Digitized by Google

B

Digitized by Google

43
4 F
7

Digitized by Google

# HISTORIA
## ECCLESIASTICA
### TOMUS SEPTIMUS

Digitized by Google

# HISTORIA
## ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO
T A U R I N E N S I
CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS SEPTIMUS.
AB ANNO JESU CHRISTI 385. USQUE AD AN. 408.



ROMÆ MDCCLXXIX.
EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

*SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.*

Digitized by Google

43 4 F 7

Digitized by Google

# PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO

PRINCIPI OPTIMO

LITTERARUM BONARUMQUE ARTIUM

FAUTORI EXIMIO

ET PATRONO SUO MUNIFICENTISSIMO

POST DIUTURNUM MORBUM

SUMMA URBIS ET ORBIS LÆTITIA

INCOLUMITATI RESTITUTO

GRATULATUR, ET PLAUDIT

GASPAR SACCARELLUS

ORATORII ROM. PRESBYTER

AC HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ VOLUMEN VII.

D. N. M. Q. E.

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

# APPROBATIONES.

VOlumen Septimum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ per annos digeſtæ, ac eruditis obſervationibus illuſtratæ a Clariſſimo Viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii de Urbe Presbytero, obſecutus voluntati Rm̃i Patris Pii Schiara Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici, percurri, attenteque legi, nihilque in eo, quod aut Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur, inveni. Quin, ut in ſex alteris jam editis, ſummo Eruditorum conſenſu adnotatum eſt, in hoc etiam Volumine eadem ſtyli elegantia viget, idem rerum geſtarum ordo, ac ad ſanioris critices regulas Eccleſiæ, & Imperii geſta narrantur, & expenduntur. Quare publica luce dignum cenſeo.

In quorum fidem &c. Ex Bibliotheca Vaticana Datum Kalendis Auguſti 1779.

*Steph. Evodius Aſſemanus Archiep. Apameæ Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.*

QUum Septimum hoc Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Volumen a Cl. Viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii de Urbe Presbytero concinnatum, quod Rm̃i Patris Pii Schiara Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici voluntati obſecutus, legi, diligentia, ſinceritate, & eruditione, non minus quam præcedentia Volumina, præſtet, publica luce gaudere poſſe cenſeo.

*Joſeph Theoli S. Theol. D.*

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*Fr. Antonius Marcucci Epiſcopus Montis-Alti Viceſgerens.*

IMPRIMATUR.

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

# HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 385. SIRICII PAPÆ 2.
VALENTINIANI IMP. 11. THEODOSII 7. ARCADII 3.
COSS. FLAVIO ARCADIO AUG. ET BAUTONE.
OLYMP. 291. AN. 1. URBIS AN. 1138.

JESU CHR. AN. 385.

Auguſtinus orationem in Bautonis Conſulis laudem recitat.

1. CUM Mediolani eſſet hoc anno Auguſtinus Rhetoricam docens, Kal. Januarii in laudem Bautonis Conſulis orationem recitavit, cujus ipſe his verbis meminit: *Cum ego Mediolanum ante Bautonem Conſulem venerim, eique Conſuli Kal. Januarii laudem in tanto conventu, conſpectuque hominum pro mea tunc Rhetorica profeſſione recitarem, &c.* Quantumque eo tempore terrenis cupiditatibus inhæreret, longa oratione proſequitur, ac inter cætera: *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio, & Tu irridebas, &c.* Ambroſii etenim ſermonibus, ac Simpliciani exhortationibus commotus, pravos paulatim exuens mores, eo devenerat, ut Apoſtolum Paulum avidiſſime legeret; quo factum eſt, ut tandem ex toto corde chriſtianæ Fidei nomen dederit. Sed de ejuſdem converſione ad Deum anno ſequenti.

*Aug. contra litt. Petil. lib. 3. cap. 25.*

*Confeſſ. lib. 6. 6.*

*Aug. Confeſſ. lib. 7. 21. lib. 8. 2. lib. 6. 3., & alibi paſſim.*

Valentiniani Imp. epiſtola ad Pinianum.

2. Siricium Damaſo ſucceſſiſſe, ſuperiori anno diximus; quem

Jesu Chr. An. 385.

quem ut ordinatum novit Valentinianus Imperator, Mediolano tunc degens, ad Pinianum Urbis Præfectum epiſtolas dedit, quibus ob tanti Pontificis electionem cum ipſo gratulatur, ejuſque diligentiam laudat, quod Urſicianæ factionis reliquias, in novi Pontificis electione iterum irrumpentes, auctoritate ſua repreſſerit: quare *Ave*, inquit, *Piniane cariſſime, nobis populum Urbis æternæ gaudere concordia, & optimum eligere Sacerdotem, Populi Romani eſſe credimus inſtituti, & noſtris gratulamur advenire temporibus. Proinde quoniam religioſum Siricium antiſtitem Sanctitatis ſic præeſſe Sacerdotio voluerunt, ut Urſinum improbum acclamationibus violarent, noſtro cum gaudio memoratus Epiſcopus ipſe permaneat, Piniane cariſſime, ac jucundiſſime: ſiquidem magnum innocentiæ, & probitatis exemplum eſt, in una acclamatione & ipſum eligi, & cæteros improbari. Datum VII. Kal. Martii.* Hæc Valentinianus ad Pinianum, quem in Præfectura urbana hoc anno Symmacho ſubrogatum fuiſſe, Muratorius certiſſimis argumentis probat. Erat autem Pinianus tum nobilitate generis, cum chriſtiana religione clariſſimus Melaniæ junioris maritus, Auguſtino, Paulino Nolano, aliiſque præſtantiſſimis hujus ævi viris cum conjuge Melania notiſſimus. Sed de Piniano, & Melania alibi ſuo loco infra.

Siricii ordinationem laudat.

*Murat. annal. 385. Anecd. latin. diſſert. 6. Opera S. Paulini Nolani.*

Siricii epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum.

3. Pontificatus ſui initio ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum ſcripſit Siricius; Damaſum quippe de nonnullis quæſtionibus interrogaverat Himerius. Cumque Himerii epiſtolæ Romam, defuncto Damaſo, perlatæ fuiſſent, Siricio traditæ ſunt, quibus ipſe reſpondens hoc anno tertio idus Februarii, non ſolum in Tarraconenſi provincia, ſed & in Carthaginenſi, Bœtica, Luſitana, atque Gallecia ea obſervari jubet, quæ iiſdem epiſtolis continentur, quarum hæc eſt Præfatio. *Siricius Himerio Tarraconenſi epiſcopo. Directa ad Deceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Damaſum fraternitatis tuæ relatio, me jam in Sede ipſius conſtitutum, quia ſic Dominus ordinavit, invenit. Quam cum in conventu fratrum ſollicitius legeremus, tanta invenimus, quæ reprehenſione, & correctione ſint digna, quanta optaremus laudanda cognoſcere. Et quia neceſſe nos erat; in ejus labores, curaſque ſuccedere, cui per Dei gratiam ſucceſſimus in honorem; facto, ut oportebat, primitus meæ provectionis indicio, ad ſingula, prout Dominus adſpirare dignatus eſt, conſultationi tuæ reſponſum competens non negamus, quia officii noſtri*

*Coutan p. 624*

Digitized by Google

*noſtri conſideratione non eſt nobis diſſimulare, non eſt tacere libertas, quibus major cunctis Chriſtianæ Religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur; quinimo hæc portat in nobis beatus Apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationibus ſuos protegit, & tuetur heredes.* His ſubdit reſponſa ad quæſtiones propoſitas; & primo: ab Arianis baptizatos rebaptizari vetat, ſed tantum manuum impoſitione in Eccleſia catholica recipiendos, quod etiam in Novatianis, aliiſque hæreticis, obſervandum eſſe jubet, uti a Liberio Papa, aliiſque ſynodis ſtatutum fuerat. Secundo capite eam conſuetudinem reprobat, quæ paſsim in feſto Nativitatis Jeſu Chriſti, ſeu Apparitionis (ideſt Epiphaniæ) aut Apoſtolorum, ſeu Martyrum feſtivitatibus catechumeni baptizabantur, quod Sacramentum ſolis diebus Paſchalibus a Paſchate ad Pentecoſten adminiſtrandum erat; *Iis duntaxat, qui ante quadraginta, & amplius dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus, ac jejuniis fuerint expiati.* Infantibus tamen, vel adultis, quacumque neceſsitate inſtante, vel periculo urgente, ſtatim Baptiſma dandum eſſe admonet. Capite ſequenti, in apoſtaſiam, aut ad Idolorum cultum, poſt ſuſceptam fidem prolapſis, in vitæ exitu reconciliationis gratiam tribui permittit; puellam alicui deſponſatam, alteri matrimonio jungi, ſequenti capite prohibet. Qui etiam poſt actam pœnitentiam, iterum in crimina labuntur, *quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, intra Eccleſiam admittantur, ſacræ myſteriorum celebritati interſint, a Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur*; cum tamen ad Dominum cœperint proficiſci, ideſt morte inſtante, ſive viri, ſive mulieres *per Communionis gratiam volumus ſublevari*, ait Siricius; de Monachis autem apoſtatis utriuſque ſexus hæc ſtatuit:

Monachi & virgines violatæ caſtitatis uſque ad mortem pœnitentiam agant.

4. Si Monachus, vel Monacha *abjecto ſanctitatis propoſito, & in abruptum conſcientiæ deſperatione perducti, de illicitis complexibus filios procreaverint*, a Monaſteriorum cœtu, Eccleſiarumque conventibus eliminentur, *quatenus, retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes... vel ad mortem ſaltem ſolius miſericordiæ intuitu per communionis gratiam poſſit indulgentia ſubvenire.* Capite ſequenti Clericorum incontinentiam pluribus arguit: *Plurimos enim Sacerdotes*, inquit, *atque Levitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coi-*

Jesu Chr. an. 385. *tu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento Sacerdotibus, ac Miniſtris, generandi facultas legitur attributa*; hanc in peccatis excuſationem ſolidiſſime ibidem Siricius refellit. Qui tamen ex Eccleſiæ canonum ignorantia ſe lapſos eſſe confitebantur, ſi impoſterum caſte ſe perſeveraturos ſpopondiſſent, ſine ullo honoris argumento, in eo quo tunc erant, quandiu vixerint, officio ut permanerent, permittit; qui vero peccata ſua ex veteris Legis exemplo excuſare præſumebant, ab omni eccleſiaſtico officio removendos eſſe judicavit. Bigamos deinde, aliiſque vitiis deditos, ab Ordinibus repellendos eſſe ſtatuit.

Regulæ in miniſtrorum electione ſervandæ.

5. De Miniſtrorum autem electione, & ordinatione hæc ſervanda docet, ut ii tantum eccleſiæ officiis deſtinarentur, qui ante pubertatis annos baptizati, & Lectorum miniſterio ſociati, uſque ad triceſimum annum laudabiliter vixerant, ac ſi unam tantum, eamque virginem cum Sacerdotis benedictione uxorem duxerint, Acolyti aut Subdiaconi poterant ordinari, deinde ad Diaconatus etiam officium promoveri, ſi quis continentia præeunte dignum ſe probaſſet; poſt quinque vero annos, ſi dignis moribus miniſtraverit, presbyterium conſequi poterat; poſt decennium, Epiſcopalem etiam cathedram obtinere. Si quis vero ætate grandævus melioris propoſiti converſione provocatus, ex laico ad ſacram militiam pervenire feſtinat, deſiderii ſui fructum non aliter obtinere poterat, niſi Lectorum, aut Exorciſtarum numero ſociari; ſi tamen eum unam habuiſſe, vel habere, & hanc Virginem accepiſſe, conſtet uxorem, expleto biennio Acolytus, & Subdiaconus fiat; & ſic ad Diaconatus officium, ſi per hæc tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exinde acceſſu temporis Presbyterium, vel Epiſcopatum accipiat, ſi eum Cleri, ac plebis electio dignum judicaverit. Clericus vero, ſi viduam, aut ſecundam conjugem duxerit, omni eccleſiaſticæ dignitatis privilegio nudetur, laica tantum communione conceſſa. Fœminas etiam in domibus Clericorum habitare prohibet, iis exceptis, quas propter neceſsitudinum cauſas habitare cum iiſdem Synodus Nicæna permiſit.

Monacos ad eccleſiæ officia eligi poſſe docet.

6. Monachos deinde, quos morum gravitas, & vitæ ſanctitas commendat, Clericorum officiis aggregari poſſe, Siricius ſtatuit; ita tamen ut per gradus ſingulos, creſcente tempore, ad majores ordines promoveantur, nec ſaltu ad Epiſcopatus

patus culmen adſcendant, ſed ut eadem, quæ in Clericis cæteris ſuperius præfixerat tempora, ſervarentur, jubet. Tandem adnotat, neminem poſt pœnitentiam, ac reconciliationem Clericatus officia adipiſci poſſe. *Quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.* Quia vero ex ignorantia hactenus nonnulli peccaverant, hinc ſubdit, ut quicumque pœnitens, aut bigamus, aut viduæ maritus indebite, & irreverenter ad ſacram militiam irrepſerat, in eo, in quo inveniebatur, ordine, perpetua ſtabilitate perſeveraret. Sciturі poſthac omnium provinciarum ſummi Antiſtites, quod ſi ultra ad ſacros Ordines quemquam de talibus crediderint aſſumendum: *Et de ſuo, & de eorum ſtatu, quos contra canones, & interdicta noſtra provexerint, congruam ab Apoſtolica Sede promendam eſſe ſententiam.* Tandem Himerium hortatur Siricius, ut ſicuti per Baſſianum presbyterum ad Romanam Eccleſiam, quæ emendanda erant, retulerat, poſtulationibuſque ſuis ipſa reſponſa reddiderat, ſic ille ad ſervandos canones, & tenenda decretalia conſtituta magis, ac magis incitaretur, eademque in omnium Coepiſcoporum notitiam pervenire curaret, nec ſolum ad eos, qui in ſua Diœceſi conſtituti erant, ſed etiam ad univerſos Carthaginenſes, ac Bœticos, Luſitanos, atque Gallecios, vel eos, qui hinc inde vicini erant, cum præcipue: *Sedis Apoſtolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum, &c. Data tertio idus Feb. Arcadio, & Bautone Coſſ.*, ideſt die ſecunda Februarii anni labentis 385. Hactenus Epiſtola Siricii, quam immerito ſuſpectam nonnulli habuerunt, ut contra Papebrochium adnotavit Pagius, & Coutantius. *Pag. not. 4. ad an. 385.*

Hieronymus in Orientem redit.

7. Poſt Damaſi mortem, Hieronymus, qui ei in ſcribendis epiſtolis inſervierat, ejuſque auctoritate tutabatur, malignantium, & æmulorum calumniis exagitatus; Roma excedere coactus eſt. Quare hoc anno in Orientem rediit; ubi in varias provincias peregrinatus, tandem in Palæſtina prope Bethlehem domicilium fixit, ut mox videbimus. Querelarum origo adverſus Hieronymum ejuſdem epiſtola ſeu liber de virginitate ad Euſtochium fuit. Cum etenim Clericorum, Monachorum, & Virginum mores acriori ſtylo reprehendiſſet, *vitiis detrahentes, offendimus plurimos*, ut idem ait, turbarum cauſam, & progreſſus in præfatione ad librum Didymi meminit, *Hieron. contra Ruff. l. 3. Ad Aſell. ep. 45. Epiſt. ad Demetriadem Præfat. in lib. Didymi.*

Jesu Chr. an. 385.

nit, & in epiſtola ad Aſellam, quam in portu Romano vela jamjam facturus conſcripſit, alibique paſſim: *Phariſæorum conclamavit Senatus, ut nullus ſcriba vel fictus, ſed omnis, quaſi indicto ſibi prælio doctrinarum adverſum me, imperitiæ factio conjuravit*, ajebat ad Paulinianum, quæ hyperbolice a Hieronymo dicta fuiſſe de adverſariis ſuis adnotavit merito Baronius; non vero de omnibus Romanæ Eccleſiæ Clericis, quorum plurimi pietate, & doctrina fulgebant.

*Baron. ann. 385. n. 9.*

Querelæ adverſus Hieronymum vulgatæ.

*Hier. epiſt. ad Paulam. 25.*

8. Quænam autem in Hieronymum, & in Monachos convicia, dum adhuc Romæ eſſet, jactarentur, in funere Bleſillæ his verbis deſcribit: *Quouſque* (dicebant) *genus deteſtabile Monachorum non Urbe pellitur, non lapidibus obruitur, non præcipitatur in fluctus? Matronam miſerabilem ſeduxerunt*, eo quod auſterioris vitæ diſciplinam ſectata fuerat; & alibi: *Nos quia ſerica veſte non utimur, Monachi judicamur, quia ebrii non ſumus, nec cachinno ore diſſolvimus, continentes vocamur, & triſtes; ſi tunica non canduerit, ſtatim illud e trivio, impoſtor, & Græcus.* Hæc & alia de his, quæ ſibi, & Monachis Romæ objiciebantur. Totius tragædiæ ſeriem in epiſtola ad Aſellam pluribus perſequitur. Inter cætera: *Ego probroſus, ego verſipellis, & lubricus, ego mendax, & Satanæ arte decipiens, &c.* Deinde poſt plurima de conſuetudine, & familiaritate cum Paula, Melania, aliiſque hæc etiam ſubdit: *Antequam domum S. Paulæ noſſem, totius in me Urbis ſtudia conſonabant, omnium pene judicio dignus ſummo Sacerdotio decernebar, beatæ memoriæ Damaſus meus ſermo erat; dicebar ſanctus, dicebar humilis, & diſertus. Numquid domum alicujus laſcivioris ingreſſus ſum? Numquid me veſtes ſericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ Matronarum, quæ meam poſſet edomare mentem, niſi lugens, atque jejunans, ſqualens ſordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus miſericordiam Domini deprecantem ſol ſæpe deprehendit, cujus canticum pſalmi, ſermo Evangelium, deliciæ continentia, vitia jejunium, &c. Si Gentiles hanc vitam carperent, ſi Judæi, haberem ſolatium non placendi eis, quibus diſplicet Chriſtus. Nunc vero proh nefas, homines Chriſtiani, prætermiſſa domorum ſuarum cura, & proprii oculi trabe neglecta, in alieno oculo feſtucam quærunt: lacerant ſanctum propoſitum, & remedium pœnæ ſuæ arbitrantur, ſi nemo ſit ſanctus, ſi omnibus detrahatur, ſi turba ſit pereun-*

*Epiſt. 23.*

*Hie. Epiſt. 45.*

Jesu Chr. An. 385.

*pereuntium, ſi multitudo peccantium. Tibi placet lavare quotidie; alius has munditiеs ſordes putat. Tu attagenem ructas, & de comeſo accipenſere gloriaris: ego faba ventrem impleo. Te delectant cachinnantium greges; me Paula, Meluniaque plangentes. Tu aliena deſideras; illæ contemnunt ſua; te delibuta melle vina delectant, illæ potant aquam frigidam, ſuaviorem. Tu te perdere exiſtimas, quicquid in præſenti non habueris, comederis, devoraveris: illæ futura deſiderant, & credunt vera eſſe, quæ ſcripta ſunt, &c.* quibus alia in eamdem rem addit, quæ longum eſſet exſcribere.

Hieronymi profectio Hieroſolymam. *Hier. lib. 3. adverſus Ruff.*

9. Qui fuerint peregrinationis ſocii, quove iter fecerit, idem Hieronymus his verbis narrat: *Vis noſſe profectionis meæ de Urbe ordinem. Narrabo breviter. Menſe Auguſto, flantibus eteſiis, cum ſancto Vincentio presbytero, & adoleſcente fratre* (Paulinianus hic erat, quem ultimo loco natum, Romæ dum eſſet, ad ſe ut veniret, accerſivit) *& aliis Monachis, qui nunc Hieroſolymis commorantur, navim in Romano portu ſecurus aſcendi, maxima me Sanctorum frequentia proſequente. Veni Rhegium; in Scylleo littore paululum ſteti, ubi veteres didici fabulas, & præcipitem fallacis Ulyſſis curſum, & Sirenarum cantica, & inſatiabilem Carybdis voraginem. Cumque mihi accolæ illius loci multa narrarent, darentque conſilium, ut non ad Protei columnas, ſed ad Jonæ portum navigarem: illum enim fugientium, & turbatorum, hunc ſecuri hominis eſſe curſum, malui per Maleas, & Cycladas Cyprum pergere. Ubi ſuſceptus a Ven: Epiſcopo Epiphanio, cujus tu teſtimonio gloriaris, veni Antiochiam, ubi fruitus ſum communione Pontificis, confeſſoriſque Paulini; & deductus ab eo media hyeme, & frigore graviſſimo, intravi Hieroſolymam. Vidi multa miracula; & quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum judicio comprobavi*, ait Hieronymus de ſuo adventu Hieroſolymam; unde anuo ſequenti in Ægyptum tranſiit, ut ſuo loco videbimus.

Paula Hieroſolymam contendit.

10. E Romano portu vix ſolverat Hieronymus, cum Paula una cum filia ſua Euſtochio eum ſecuta eſt, eademque via Hieroſolymam petiit, quam ibidem viginti annos commoraſſe, ac Coſſ. Honorio ſextum, & Ariſteneto ibidem obiiſſe anno 404., Hieronymus narrat. Quanta autem animi conſtantia iter Paula ſuſceperit, & Urbi, parentibus, liberiſque valedixerit, idem Hieronymus in Paulæ epitaphio his verbis adno-

*Jeſu Chr. an. 385.*

*Hieron. ep. 27.*

adnotat: *Deſcendit ad Portum, fratre, cognatis, affinibus; & quod majus eſt liberis proſequentibus, & clementiſſimam matrem vincere cupientibus. Jam carbaſa tendebantur, & remorum ductu navis in altum protrahebatur; parvus Toxotius ſupplices manus tendebat in littore, Ruffina jam nubilis, ut ſuas expectaret nuptias, tacens fletibus obſecrabat; & tamen illa ſiccos tendebat ad Cœlum oculos, pietatem in filios pietate in Deum ſuperans, &c.* ait Hieronymus, cujus peregrinationem Hieroſolymam uſque ſcriptis ſuis proſequutus eſt.

Juſtina Auguſta Ambroſium perſequitur.

*Ambroſ. vita tom.... p. 52., & admonit. in epiſt. 20. 21. Mur. an. 385. Baſnag. ibid.*

11. Hoc anno graviſſimam adverſus Ambroſium perſecutionem excitaſſe Juſtinam Imperatricem, probant Maurini Editores in vita Ambroſii. Ariana itaque mulier, ubi, ob initam cum Maximo pacem, Valentiniano filio ſuo Imperium firmatum credidit, adverſus Ambroſium bellum indixit; rata ſe filii ſui auctoritate innixam, omnes pro arbitrio poſſe res gerere, ac de eccleſiæ negotiis, deque fide ipſa, quidquid vellet, ſtatuere. Id præcipue Juſtinæ exacerbaverat animum, quod ſuæ perfidiæ, ideſt hæreſis Arianæ ſocii in Urbe ampliſſima templum non haberent, ubi collectas agerent. Quare inſtante Paſchali feſto, aliquam eccleſiam, aut precibus, aut vi occupandam cenſuit. Et primo quidem extra muros poſitam ab Ambroſio petiit, quam facilius fortaſſe obtinere ſe poſſe, ſperabat. Sed repulſam paſſa, ampliorem, nobilioremque intra muros ſitam, vi a militibus occupari, Ambroſium vero exilio relegari juſſit. At Deo Eccleſiam, Antiſtitemque ſuum protegente, in irritum ceſſere Imperatricis juſſa, & minæ.

Juſtina Auguſta eccleſiam occupare tentat, ſed fruſtra.

*Ambroſii epi. ad Marcellinam epiſt. 20.*

12. Quo ordine geſta hæc fuerint, qualemque tandem exitum habuerint, de rebus ſuis ad Marcellinam ſororem ſcribens, his verbis narrat Ambroſius: *Quoniam omnibus fere epiſtolis ſollicite quæris de eccleſia, accipe quid agatur. Poſtridie quam accepi litteras tuas, quibus ſignificaveras, quod te exagitarent ſomnia tua, moles inquietudinum gravium cœpit moveri. Nec jam Portiana, hoc eſt extramurana baſilica petebatur, ſed baſilica nova, hoc eſt intramurana, quæ major eſt. Convenerunt me Principes virtutum viri, Comites Conſiſtoriani, ut & baſilicam traderem, & procurarem, ne quid populus turbarum moveret. Reſpondi, quod erat mei ordinis: Templum Dei tradi a ſacerdote non poſſe. Acclamatum eſt ſequenti die in Eccleſia; etiam Præfectus eo venit; cœpit ſuadere, ut baſilicam Portianam cederemus. Populus reclamavit. Ita tunc diſceſſum eſt,*

*eſt*, *ut intimaturum ſe Imperatori diceret*. Hæc autem duobus diebus ante Dominicam Palmarum geſta ſunt, hinc ſubdit: *Sequenti die*, *erat autem Dominica* ( Palmarum ) poſt lectionem, atque tractatum, dimiſſis Catechumenis, ſymbolum aliquibus Competentibus in baptiſterio tradiderat Ambroſius, cum ei nunciatum eſt, quod ad Portianam baſilicam de Palatio decani miſſi fuerant, ut vela ſuſpenderent; at in officio, & in Miſſæ celebratione ſanctus vir perſeveravit. Cumque cognoviſſet a catholica plebe Caſtulum quemdam, Arianorum presbyterum detineri, ac periclitari, in ipſa oblatione Deum cum lacrymis orare cœpit, ut ſubveniret, ne cujuſvis ſanguis in cauſa Eccleſiæ effunderetur, ſeipſum potius pro ſalute non ſolum populi, ſed etiam pro ipſis impiis offerens. Quid multa? Miſſis presbyteris, & diaconibus, e catholicorum manibus Arianum virum, ne offenderetur, eripuit.

13. Ob illatas tamen in Arianum presbyterum manus, adverſus Catholicos, tanquam ſeditionis reos acrius ſævitum eſt: *Condemnationes illico graviſſimæ decernuntur*, *primo in corpus omne mercatorum*. *Itaque ſanctis diebus hebdomadis ultimæ*, *quibus ſolebant debitorum relaxari vincula*, *ſtridunt catenæ*, *imponuntur collo innocentium*, *exiguntur ducenta pondo auri infra totum triduum*. Deinde poſt aliqua: *Honoratis multa minabantur graviſſima*, *niſi baſilicam traderent*. *Fervebat perſecutio*, *ac ſi aperuiſſent portam*, *prorupturi in omne facinus videbantur*. *Convenior ipſe a Comitibus*, *& Tribunis*, *ut Baſilicæ fieret matura traditio dicentibus*, *Imperatorem jure ſuo uti*, *eo quod in poteſtate ejus eſſent omnia*. *Reſpondi*: *ſi a me peteret*, *quod meum eſſet*, *ideſt fundum meum*, *argentum meum*, *me non refragaturum*; *quamquam omnia*, *quæ mea ſunt*, *eſſent pauperum*; *verum ea*, *quæ Divina*, *Imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubjecta*. Hæc Ambroſius, quibus illuſtriora adhuc addit, inquiens: *Si patrimonium petitur*, *invadite*; *ſi corpus*, *occurram*; *vultis in vincula rapere*, *vultis in mortem*? *voluptati eſt mibi*; *non ego me vallabo circumfuſione populorum*, *nec altare tenebo vitam obſecrans*, *ſed pro altaribus gratius immolabor*.

Perſecutio adverſus Catholicos ſævit.

14. *Horrebam quippe animo*, *cum armatos ad baſilicam Eccleſiæ occupandam miſſos cognoſcerem*; *ne dum baſilicam vindicant*, *aliqua ſtrages fieret*, *quæ in perniciem totius vergeret civitatis*. *Orabam ne tantæ urbis*, *vel totius Italiæ buſto ſuperviverem*. *Deteſtabar invidiam fundendi cruoris*, *offerebam jugu-*

Milites contra Ambroſium miſſi, cum eo reconciliantur.

Jesu Chr. an. 385. *jugulum meum. Aderant Gothi Tribuni; adoriebar eos, dicens: Propterea vos poſſeſſio Romana ſuſcepit, ut perturbationis publicæ vos præbeatis miniſtros? Quo tranſibitis, ſi hæc deleta fuerint? Exigebatur a me, ut compeſcerem populum. Referebam, in meo jure eſſe ut non excitarem, in Dei manu ut mitigaret. Poſtremo, ſi me incentorem putarent, jam in me vindicari oportere, vel abduci me, in quas vellent terrarum ſolitudines.* His dictis, illi abierunt: Ambroſius vero in Baſilica veteri totum diem exegit; inde in domum cubitum ſe recepit, ut ſi quis abducere vellet, inveniret. Ante lucem, a militibus iterum occupatur baſilica; Arianorum interea nullus prodire audebat, quia in eorum ſecta ex civibus nullus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi; dum vero legerentur lectiones, intimatum eſt Ambroſio plenam populi eſſe baſilicam novam, ac lectorem in ea eflagitari, eodemque tempore milites ipſi, qui videbantur occupaſſe baſilicam, cognito, quod præcepiſſet, ut abſtinerentur a Communionis conſortio, ad conventum ſancti viri tranſierunt. Ambroſius autem poſtquam lectus fuit liber Job, ſermonem ad populum habuit, quo multa de non tradendis baſilicis dixit; inter cætera: *Scriptum eſt: Quæ Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ; publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum.* Hæc cum adeo conſtanter, atque frequenter affirmet, atque inculcet Ambroſius, compello te, vir chriſtiane atque erudite, ut ſerio mediteris, an Ambroſii ſententia, qua habet: *Principibus jus nullum in res ſacras eſſe*, verior ſit, an aulicorum, & adulantium, qui non ſolum Eccleſiæ bona, res ſacras, ſed & ipſam fidem Principum voluntati, & arbitrio ſubjiciunt. Sed tragædiæ ſeriem proſequimur.

Milites ab Eccleſia recedunt.

15. Dum hæc tractaret Ambroſius, nunciatum eſt ei cortinas regias eſſe collectas, ac a congregata ibidem plebe ejus præſentiam deſiderari. Quare exultans Ambroſius: *Quam alta*, inquit, *& profunda ſunt oracula Spiritus Sancti; matutinis horis lectum eſt, ut meminiſtis fratres, quod ſummo animi dolore reſpondemus: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. Et revera venerunt gentes, & plus etiam quam gentes venerunt: venerunt enim Gothi, & diverſarum nationum viri: venerunt cum armis, & circumfuſi occupaverunt baſilicam; hoc nos ignari tuæ altitudinis dolebamus, ſed noſtra imprudentia aliud*

*alind opinabatur. Venerunt Gentes, ſed vere in hæreditatem venerunt, facti ſunt Chriſtiani, qui ad invadendam hæreditatem venerunt, facti ſunt cohæredes Dei: defenſores habeo, quos hoſtes putabam; ſocios teneo, quos adverſarios exiſtimabam, &c.* At ubi hæc novit Imperator, milites ſcilicet in ejus communionem tranſiiſſe, notarium ad Ambroſium miſit, ut eidem quaſi tyrannidem exprobraret. At Ambroſius, ut hanc a ſe calumniam repelleret, addidit: *Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego ſim Valentiniani, qui ſe meæ legationis objectu queritur, ad Italiam non potuiſſe tranſire, addidi, quia nunquam Sacerdotes tyranni fuerunt, ſed tyrannos ſæpe ſunt paſſi: Exactus eſt totus ille dies in mœrore noſtro, ſciſſæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ, ego domum redire non potui, quia circumfuſi erant milites, qui baſilicam cuſtodiebant. Cum fratribus pſalmos in eccleſia* ſeu baſilica minore *diximus*.

Ambroſii res in melius mutantur.

16. *Sequenti die* (ideſt feria quinta majoris hebdomadæ) *lectus eſt de more liber Jonæ, quo completo, hunc ſermonem adortus ſum. Liber lectus eſt, fratres, quo prophetatur, quod peccatores in pœnitentiam convertantur. Acceptum eſt, ita ut ſperaretur in præſenti futurum .... Nec mora nunciatur, Imperatorem juſſiſſe, ut recederent milites de baſilica, negotiatoribus quoque, quod exactum de condemnatione fuerat, redderetur.* Quanta tunc fuerit plebis lætitia, quantus totius populi plauſus, deinde narrat, plenam tamen inde ſecuritatem ſibi, aut populo tranquillitatem nequaquam obveniſſe addit, quin graviores motus futuros Imperatoris verba indicaſſe addit. Cum etenim Imperatorem Comites obſecrarent, ut prodiret ad Eccleſiam, idque milites poſtulaſſe dixiſſent, reſpondit: *Si vobis juſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis*. Et ſane paulo poſt Calligonus præpoſitus cubiculi Ambroſio hæc exprobrare non dubitavit: *Me vivo, tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo*. Eique Ambroſius: *Deus permittat tibi, ut impleas, quod minaris: ego enim patiar quod Epiſcopi, ut facies quod Spadonis &c.* Hæc aliaque plurima de rebus tunc geſtis ad Marcellinam ſororem ſanctus Doctor; de Calligono autem Valentiniani Eunucho, qui Ambroſio mortem comminatus fuerat, narrat Auguſtinus non multo poſt temeritatis pœnas, Deo vindice, ob fornicationis crimen, dediſſe: *Eſt concupiſcentia ſpadonum, pudiceque comprimitur, ne concumbendi,*

*Auguſt. contra Julian. lib. 6. 14.*

Jesu Chr. An. 385.

*quamvis irritus ipſe conatus in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum, Valentiniani junioris Eunuchum, gladio novimus ultore punitum, meretricis confeſſione convictum.* Ejuſdem Eunuchi, ac latæ in eum ſententiæ, ſuppreſſo nomine meminit idem Ambroſius in libro de Joſepho.

*Ambroſ. lib. de Joſeph cap. 6. n. 32. ſeqq.*

De Auxentio Ariano Epiſc. Mediol.

17. Perſecutionis in Ambroſium, & in Catholicam Eccleſiam a Juſtina Ariana Imperatrice hoc anno excitatæ, inventor præcipuus erat Auxentius Arianorum Epiſcopus, quem ab altero Auxentio Arianorum epiſcopo Mediolanenſi diſtinguendum eſſe, multa ſuadent, tempus ſcilicet, & patria; nam primus ſub Conſtantio, & Valentiniano ſeniore floruit, ac ante Ambroſii ordinationem obierat; hic vero ſub Valentiniano juniore larvam Epiſcopatus Mediolanenſis ſibi uſurpaverat; cum pauci tantum ex Gothis, & Aulæ miniſtris cum eo communicarent, nam ex civibus, ut ex Ambroſio audivimus, nemo Arianæ perfidiæ ſubſcribebat. Hinc Hieronymus de juniori Auxentio ad Damaſum: *Jungatur cum Beatitudine tua Urſicinus*, qui Romanam Eccleſiam ſchiſmate lacerare præſumpſerat: *Cum Ambroſio ſocietur Auxentius*, qui Mediolanenſem hæreſi Ariana inficere tentaverat. Patria etiam diſtingui poſſunt; nam Auxentius ſenior ex Cappadocia oriundus erat, teſte Athanaſio, hic vero ex Scythia, de quo hæc Ambroſius: *Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic vocatur, nomina pro regionibus habet*, ideſt in Scythia Mercurinus vocabatur, Mediolanum vero veniens, in memoriam Auxentii, qui apud Arianos illuſtris fuerat, Auxentius dici voluit, ut adnotarunt Maurini editores; de hac nominis mutatione iterum Ambroſius audiatur: *Ergo Auxentius ejicitur, Mercurinus excluditur, unum portentum eſt, duo nomina. Etenim, ne cognoſceretur quis eſſet, mutavit ſibi vocabulum; ut quia hic fuerat Auxentius Epiſcopus Arianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, ſe vocaret Auxentium. Mutavit ergo vocabulum, ſed perfidiam non mutavit; exuit lupum, ſed induit lupum &c.* Hæc de peſtifero homine Ambroſius; quem perſecutionis in Catholicos incentorem fuiſſe his verbis indicat: *Auxentius uno momento tot populos, quod in ipſo eſt, trucidabit, alios gladio, alios ſacrilegio. Meam baſilicam petit cruento ore, ſanguinolentis manibus.* Hæc, aliaque in Auxentium Ambroſius, quæ anno ſequenti coram frequenti populo narravit in ſermone, de non tradendis baſilicis, cum iterum

*Ambroſ. ad Marcellinam epiſt. 20.*

*Hieronym. epiſt. 57.*

*Athan. epiſt. ad Solit.*

*Ambroſius ep. 21. ſerm. de non tradendis baſil. tom. 3. p. 922.*

*Baron. an. 386.*

*Baſnag. 385. n. 3.*

in

iu Catholicos, & contra ipſum Ambroſium perſecutio ſæviret, ut ſuo loco videbimus.

Uſus pſallendi alternatim ab Ambroſio invectus.

18. Inter decreta, quæ Damaſo Romano Pontifici vulgo iuſcribuntur, id etiam ſtatuiſſe, fertur, ut *Pſalmi diu noctuque canerentur per omnes Eccleſias*. Quin tamen uſus pſallendi in Eccleſia Damaſo antiquior ſit, dubitari non poteſt. De Chriſtianis etenim ſuæ ætatis ſcribit Plinius ad Trajanum, *quod eſſent ſoliti, ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem*, ideſt alternatim; quem uſum in Antiochenam Eccleſiam Ignatium epiſcopum, qui Trajani tempore floruit, invexiſſe, ait Socrates: *Unde ad omnes poſtea Eccleſias iſta traditio permanavit*, quod de Orientalibus præcipue verum eſt; nam in Occidente tardius fortaſſe idem canendi mos invaluit, ita ut plerique Damaſum auctorem fecerint. Alii vero Ambroſium dixerunt, qui hoc eodem anno, cum Juſtinæ perſecutio ferveret, & populus diu, noctuque in Eccleſia perſiſteret, eum pſallendi modum Catholicam plebem docuit, ut teſtis coævus & omni fide digniſſimus Auguſtinus his verbis narrat: *Non longe cœperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis, & exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum concinnentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Juſtina, Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur, hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo tuo; tunc hymni, & pſalmi ut canerentur, ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris ſtudio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam, ac pene omnibus gregibus tuis, & per cæteras Orbis imitantibus*. In Oriente autem hymnos pſallendi alternis vicibus Ignatium docuiſſe, ex Socrate diſcimus; pſalmos vero eodem modo canendi, Flavianum, ac Diodorum magiſtros fuiſſe, Theodoretus tradit: cæterum tum in Oriente, tum in Occidente hic pſallendi modus breviſſimo temporis intervallo eouſque invaluit, ut ubique ſervaretur. De Arelatenſi Eccleſia teſtis eſt Cæſarius, dum ait, ſe hortante hunc morem pſallendi admiſſum fuiſſe: *Plures enim erant anni*, inquit, *quod pro hac re æſtuabat animus meus, & tota cordis intentione deſiderabat, ut illam pſallendi conſuetudinem vobis prius Dominus inſpiraret....Cum enim vos ego ita pſallere deſiderabam, quomodo*

Coutan. p. 610 Plin. epiſt. 102.

Socrat. lib. 6. 8.

Coutan. p. 611 Bona de div. pſalm. cap. 16 1.

Auguſt. Confeſſ. lib. 9. 7.

Theodoret. lib. 2. 24.

Apud Auguſt. in App. tom. 5. Serm. 384.

in

JESU CHR. AN. 385.

*in aliis vicinis civitatibus pſallebatur , taliter præparavit Deus animum veſtrum , ut hoc etiam melius , adjuvante Domino , compleatis* . Hæc de pſallendi ritu alternis vicibus Cæſarius , quibus etiam indicat exemplo magis , quam Damaſi auctoritate , hunc canendi morem in eccleſiis introductum fuiſſe . De Avenionenſi Eccleſia teſtatur auctor vitæ s. Agriculæ ejuſdem civitatis Epiſcopi apud Mabillonium : *Voluit etiam* , inquit , *horas canonicas , & divina officia deinceps in eadem eccleſia , ut eodem modo , quo ſolerent in monaſteriis , alternis videlicet cantibus recitari* ; *nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos , &c.*

*Mabill. præfat. in par. 2. Sæc. 4. act. Bened. n. 210.*

An Damaſus conſtituerit , ut in fine Pſalmorum Gloria Patri &c. adderetur.

*Bona de div. Pſalm. cap. 16. 2.*

19. Materiæ affinitas exigit , ut dum de Pſalmorum cantu agimus , de Doxologia in fine Pſalmorum canenda , aliqua addantur ; quem morem hoc etiam tempore Damaſum , Hieronymi hortatu , dum Romæ eſſet , in Eccleſiam induxiſſe , Scriptores plurimi tradidere , ut a Cardinali Bona adnotatum eſt , decepti ex ſuppoſititia Hieronymi epiſtola ad Damaſum ſcripta , qua legitur : *Precatur ergo Cliens tuus , ut vox iſta pſallentium in Sede tua Romana diu , noctuque canatur , & in fine Pſalmi cujuslibet , ſive matutinis , ſive veſpertinis horis conjungi præcipiat Apoſtolatus tui ordo , Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , ſicut erat &c.* Quam glorificationem , etſi ab exordio naſcentis Eccleſiæ , vel ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſiis a Chriſtianis cani ſoleret , nondum tamen uſu receptum erat in Oriente , ut caneretur in fine Pſalmi , ſed in fine Hymnorum , ut in Eccleſia Mediolanenſi Ambroſii tempore ſervabatur , teſte Auguſtino , vel in fine Antiphonarum , ut de Orientalibus Eccleſiis teſtatur Caſſianus , dum ait : *Illud etiam , quod in hac provincia Galliarum vidimus , ut uno cantante in clauſula Pſalmi omnes adſtantes concinant cum clamore Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , nuſquam per omnem Orientem audivimus* . In Oriente tamen ante Caſſiani ætatem in uſu eam fuiſſe , certum eſt ; etſi in Pſalmorum fine non caneretur , diverſo etiam modo canebatur , cum alii dicerent : *Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto* ; alii : *Gloria Patri in Filio per Spiritum Sanctum* . Hic autem canendi mos , cum antiquiſſimus in Eccleſia eſſet , poſt Arianam hæreſim frequentior evaſit , ut ea formula perfecta Filii , & Spiritus Sancti cum Patre æqualitas teſtaretur . Hinc canone quinto concilii Vaſenſis II. anno

*Auguſt. Conf. lib. 9. 7.*

*Caſſian. Inſtit. lib. 2.*

*Baſil. lib. de Spiritu S cap. 1*

*Couſtan. p. 613*

529.

529. habiti, ut in iis Eccleſiis caneretur juſſum eſt: *Quia non ſolum*, ajunt Patres ejuſdem Concilii, *in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum aſtutiam, qui Filium Dei non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed a tempore cœpiſſe, blaſphemant, poſt Gloria &c., ſicut erat in principio dicatur*. Jesu Chr. an. 385.

20. In Eccleſiis *Alleluja* frequenter canitur, quæ vox Hebraica *laudate Dominum* ſignificat. De ejuſdem vocis uſu hæc ad Damaſum ſcripſiſſe Hieronymum, Iſidorus, aut quisquis alius ejuſdem epiſtolæ ad Damaſum auctor finxit: *In Eccleſia a ſancta Reſurrectione, uſque ad ſanctam Pentecoſtem, intra dierum ſpatia quinquaginta finiatur Alleluja*. Quædam tamen de voce Alleluja ſtatuiſſe Damaſum, teſtis eſt Gregorius Magnus, dum narrat, quod quidam ex Sicilia Romam pergens, ſibi exprobravit, quod Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Græcorum conſuetudini in pluribus faveret, & inter cetera, quod *Alleluja dici ad Miſſas extra Pentecoſtes tempora feciſſet*. Cui S. Pontifex rationem reddens, reſpondit: *Quia in nullo eorum*, quæ reprehendebat, *aliam Eccleſiam ſecuti ſumus*; & de cantu Alleluja ſubdidit: *Nam ut Alleluja hic diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex beatæ memoriæ Damaſo traditur tractum, & ideo magis in hac re illam conſuetudinem amputavimus*. Hæc Gregorius ad Joannem Syracuſanum Epiſcopum; quibus verbis, quid ſtatuerit Damaſus Hieronymi hortatu non ſatis conſtat. Hinc aliqui Gregorium ita interpretantur, ut dicere voluerit, quod cum Damaſi tempore Alleluja in Paſchali tempore tantum Romæ caneretur, Hieronymi hortatu ſtatuiſſe Damaſum, ut etiam extra tempus Paſchale caneretur. Alii contrarium omnino ſenſum Gregorii verbis affingunt, itaut cum Damaſi tempore etiam extra tempus Paſchale Romæ caneretur, hortante Hieronymo ſtatuerit Damaſus, ut nonniſi intra tempus Paſchale diceretur, cui interpretationi favet Coutantius. Quæ ſit legitima verborum Gregorii & lectio, & interpretatio, in incerto relinquimus; illud tamen certum eſt, Damaſi etiam tempore, & deſinente ſæculo quarto variam fuiſſe conſuetudinem canendi Alleluja, cum alicubi intra tempus Paſchale tantum caneretur, alibi vero etiam extra illud tempus: *Ut Alleluja*, ait Auguſtinus, *per illos ſolos dies quinquaginta in Eccleſia cantetur, non uſquequaque obſervatur; nam & aliis die-*

De Alleluja, ejuſque uſu.

*Gregor. ep. ad Joann. Syrac. Epiſc. lib. 7. epiſt. 63.*

*Bona de Div. pſalm. cap. 16. Tillem. tom. 8. not. in Damaſ.*

*Coutan. p. 615*

*Aug. epiſt. 55. 17.*

*Jesu Chr. an. 385.*

diebus varie cantatur alibi, & alibi; eamdem varietatem ſuo tempore viguiſſe adnotat Sanctus Iſidorus. An autem Romæ infra tempus Paſchale Alleluja caneretur, vel etiam extra illud, incertum eſt. Sine dubio tamen erravit Sozomenus, dum de variis conſuetudinibus agens, quibus inter ſe Eccleſiæ diſſidebant, ſcribit: *Praterea Romæ quot annis ſemel Alleluja canitur primo die Paſchalis feſtivitatis*; quem locum & Caſſiodorus in Tripartita exſcripſit. Nam, ut adnotat Coutantius, quæ de Paſchali feſto per quinquaginta dies uſque ad Pentecoſtem Latini Scriptores tradiderant, de die Paſchatis male interpretatus eſt Sozomenus, & qui ipſum exſcripſerunt Nicephorus, & Caſſiodorus; cujus rei teſtis eſt ipſe Hieronymus, dum inter cetera Vigilantium in eo etiam reprehendit, quod affirmaret: *Nunquam niſi in Paſcha Alleluja cantandum*; nam Vigilantii ſententiam nunquam Hieronymus oppugnaſſet, ſi Romanæ Eccleſiæ uſu confirmata fuiſſet. Inſuper adnotat, vel ipſis in funeribus Alleluja in uſu fuiſſe Romæ, dum in Fabiolæ epitaphio hæc habet: *Fama totius Urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant pſalmi, & aurata tecta Templorum reboans in ſublime quatiebat Alleluja*; tractu tamen temporis in Miſſis Defunctorum ab Alleluja ceſſatum eſt, *quia luctum imitatur*, ait Auctor gemmæ animæ *Lib. 1. cap.* 121. Jejuniorum etiam tempore Alleluja intermittebatur. Quod cum a nonnullis in Hiſpania in Quadrageſima, ultima tantum excepta hebdomada caneretur, a Toletanis Patribus vetitum eſt: *Statuimus*, inquiunt Patres quartæ Synodi, *ut in omnibus diebus Quadrageſimæ Alleluja non decantetur*. Nec ſolum in Eccleſiis Alleluja reſonabat, ſed & in Monaſteriis, *quo ſigno vocabantur ad Collectam*, ut tradit Hieronymus, qui alibi adnotat in domibus quoque Alleluja frequenter inſonaſſe, itaut ad Lætam ſcribens de ejus filia Paula adhuc infantula, narret ore balbutienti Alleluja occiniſſe; uno verbo piorum ore frequentabatur, itaut & agricolæ, & nautæ, loco ſæcularium cantionum, laboris moleſtias eo cantico ſublevarent. De nautis vero hæc Sidonius habet:

*Iſidor. de off. Eccleſ. lib. 1. 13.*
*Sozom. lib. 7. 19.*
*Coutan. p. 615*
*Hier. adver. Vigil. cap. 1.*
*Hieronym. epiſt. 30. 4.*
*Synod. Tolet. 4. can. 110. Hard. tom. 3. p. 583.*
*Hieronym. ep. 27. 10. & epi. 7.*
*Hieron. epiſt. 17.*

*Sidon. epiſt. lib. 2. 10.*

*Curvorum hinc chorus Helciariorum*
*Reſonantibus Alleluja ripis*
*Ad Chriſtum levat Amicum Celeuma.*

Tan-

Tandem de voce Alleluja cum Auguſtino concludimus, ſemper ore, & in corde cantandum eſſe; cum ſemper, & ubique, & ab omnibus laudandus ſit Deus, unde ajebat: *Certis quidem diebus cantamus Alleluja, ſed omni die cogitamus, ſic enim hoc verbo ſignificatur laus Dei.*

JESU CHR. AN. 385. *Aug. in Pſal.* 106.

21. Ad hiſtoriam redimus, adnotantes hoc anno Burdigalenſem ſynodum contra Inſtantium & Priſcillianum hæreticos celebratam fuiſſe; at Hæreſiarcha ſynodi ſententiam declinans, cum ad Maximum Imp. appellaſſet, meritas pro temeritate pœnas, capite damnatus, ſubiit: *Sub eodem Arcadii, atque Bautonis Conſulatu* ( id eſt hoc anno, ait Proſper in Chronico ) *Priſcillianus in Synodo Burdigalenſi ſe damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum provocavit, audituſque Treviris ab Evodio Præfecto Prætorii, ab eodem Maximo gladio addictus eſt cum Euchrocia Elphidii Rhetoris conjuge, & Latroniano, aliiſque erroris conſortibus. Quo tempore Burdigalæ quædam ſectæ Priſcilliani, nomine Urbica, ob impietatis pertinaciam per ſeditionem vulgi lapidibus extincta eſt.* Hæc Proſper ſummatim rem narrans. Sulpicius vero totius tragædiæ ſeriem uſque ad Hæreticorum necem fuſiori ſtylo proſequitur, iiſque adnotatis, quæ ſub Gratiano Imperatore contigerant, de quibus anno 380. egimus, ſubdit.

Priſcillianus ad Maximum Imp. confugit

22. Ubi Maximus oppidum Trevirorum victor ingreſſus eſt, Ithacius preces in Priſcillianum, ac ſocios ejus invidiæ, atque criminum plenas ingeſſit. Quibus permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hiſpaniarum litteris, omnes omnino, quos labes illa involverat, deduci ad ſynodum Burdigalenſem juſſit, quo cum eſſent, Inſtantius cauſam dicere juſſus, Epiſcopatu dejectus eſt. Priſcillianus vero, Epiſcoporum judicium declinans, ad Principem provocavit; idque Epiſcoporum inconſtantia permiſſum fuiſſe, adnotavit Sulpicius, nam aut *ſententiam in refragantem ferre debuerant, aut ſi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare, non cauſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere.* Itaque omnes, quos cauſa involverat, ad Maximum deducti, una cum accuſatoribus Idacio, & Ithacio Epiſcopis, quorum zelus in expugnandis hæreticis, laude fortaſſe dignum fuiſſet, ſi non ſtudio vincendi, pluſquam oportuit, certaſſent, nec turpioribus ipſi maculis obruti fuiſſent. Ithacius certe, Sulpicio teſte, vir erat audax, loquax, imprudens,

Burdigalenſis Synodus contra Priſcillianiſtas.

Jesu Chr. An. 385. ſumtuoſus, ventri & gulæ inſerviens, qui ſtultitiæ eo uſque proceſſerat, ut omnes etiam ſanctos viros, qui ſacris lectionibus, jejuniiſque vacabant, tamquam Priſcilliani ſocios, aut diſcipulos in crimen vocaret. Auſus etiam Martino epiſcopo, viro plane Apoſtolis conferendo, palam objectare hæreſis infamiam, eo quod Martinus Treviris degens non deſinebat increpare Ithacium, ut ab accuſatione deſiſteret, Maximum vero Imperatorem rogabat, ut ſanguine infelicium abſtineret, ſatis ſuperque ſufficere, ut Epiſcopali ſententia hæretici judicati Eccleſiis pellerentur: novum eſſe, & inauditum, ut cauſam Eccleſiæ judex ſæculi judicaret. Quare inde diſceſſurus Martinus ſponſionem a Maximo obtinuerat, ut nihil cruentum in reos ſtatueretur.

Priſcillianus, & Socii a Maximo extremo ſupplicio puniti.

23. Imperator tamen inſtinctu Ithacii & Rufi a mitioribus conſiliis deflexus, cauſam Præfecto Evodio permiſit viro acri, & ſevero. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obſcænis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium feminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum, nocentem pronunciavit, redegitque in cuſtodiam, donec ad Principem referret. Geſtis itaque delatis examinatiſque, Maximus Priſcillianum, ſociosque capite plecti juſſit. Ithacius vero videns, quam invidioſum ſibi apud epiſcopos fuiſſet, ſi accuſato etiam poſtremis rerum capitalium judiciis adſtitiſſet, ſubtraxit ſe cognitioni, ſcelere jam perfecto; eamdemque cum Priſcilliano capitis ſententiam tulerunt Feliciſſimus, & Armenius, Latronianus, & Euchrocia, aliique Priſcilliani aſſeclæ. Inſtantius, vero ab Epiſcopis damnatus, in Sylinam inſulam, quæ ultra Britanniam ſita eſt, deportatur. Cum his alii, quos Severus recenſet, aut bonorum proſcriptione, aut exilio multati ſunt.

Maximi crudelitas a Pacato notata.

24. Hanc Ithacii ſeveritatem, & Maximi crudelitatem in panegyrico in Theodoſii honorem recitato adnotavit Pacatus: *Sed nimirum*, ait, *graves ſuberant, invidioſæque cauſæ, ut unco ad pœnam Clarivatis matrona traheretur; objiciebatur enim, atque exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentius culta divinitas. Quid hoc majus poterat intendere accuſator ſacerdos? &c.* Hæc aliaque Pacatus ethnicus ſcriptor, quæ Maximum Imperatorem, æque ac Ithacium epiſcopum feriunt; quem etiam graviori cenſura Sulpicius redarguit.

De Latroniano Poeta.

25. De Latroniano, quem eadem de cauſa una cum Euchro-

Jesu Chr.
an. 385.
*Hier. de Vir. Ill. in Matroniano.*

cia, gladio necatum narrant Proſper, & Severus, hæc Hieronymus addit, ac Matronianum nominat: *Matronianus provinciæ Hiſpaniæ vir valde eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus, cæſus eſt & ipſe Treviris cum Priſcilliano, Feliciſſimo, Juliano, Euchrocia ejuſdem factionis auctoribus: extant ejus ingenii opera diverſis metris edita*. Priſcilliani quoque idem s. Doctor his verbis meminit: *Quid loquar de Priſcilliano, qui & ſæculi gladio, & totius Orbis auctoritate damnatus eſt*. Et alibi de eodem tradit, edidiſſe multa Opuſcula, habuiſſeque defenſores, qui eum excuſarent, fruſtra tamen in id laboraſſe; cujus ſordes putidarum libidinum nec Bœtis, Taguſve abluere valuiſſent. De Tiberiano quoque Bœtico, quem Severus eadem ex cauſa relegatum a Maximo dicit in inſulam Sylinam, idem Hieronymus narrat: *Scripſit pro ſuſpicione, qua cum Priſcilliano accuſabatur, hæreſeos Apologeticum tumenti, compoſitoque ſermone. Poſt ſuorum cædes, tædio victus exilii, mutavit propoſitum, & juxta ſanctam Scripturam, canis reverſus ad vomitum, filiam devotam Chriſto virginem matrimonio copulavit*.

Priſcillianiſtarum hæreſis propagata.
*Sulp. ut ſupra cap. 51.*

26. Reorum ſupplicio nequaquam extincta eſt Priſcillianiſtarum hæreſis; nam ſubdit Sulpicius: *Priſcilliano occiſo, non ſolum non repreſſa eſt hæreſis, quæ illo auctore proruperat, ſed confirmata, latius propagata eſt*. Nam ſectatores ejus, qui eum prius ut ſanctum honoraverant, poſtea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum vero corpora ad Hiſpanias delata, magno in honore habita ſunt, apud Priſcillianiſtas, quos etiam per Priſcillianum jurare ſolitos fuiſſe adnotat Severus, qui hiſtoriæ ſuæ hoc anno, Conſulatu Arcadii, & Bautonis finem impoſuit. Poſthac quid contra Ithacium geſtum ſit, anno ſequenti videbimus.

Maximi Imp. epiſtola ad Siricium.
*Coutan. p. 640*

27. Ad Maximum, qui in Galliis, & Britannia imperabat, ſcripſerat Siricius Pontifex hoc anno, eumdem rogans, ut Catholicam fidem tueretur; cui reſpondens Maximus, Catholicæ Fidei defenſorem ſe futurum promiſit, & de Hæreticorum ſupplicio certiorem reddidit, ideſt Priſcillianiſtarum, quos Manichæorum nomine deſignat, eo quod inter utroſque maxima affinitas eſſet. Maximi autem epiſtola hæc habet: *Victor Maximus perpetuus triumphator Auguſtus Domino vere ſancto, Apoſtolico viro Epiſcopo ſalutem. Accepimus litteras Sanctitatis tuæ, quæ nobis fuere gratiſſimæ, quæque plane & nomini Sacerdotis, & dignitati Urbis ſplendidiſſime convenirent*.

*Coutan. not. ibid.*
*Baro. 387. 65.*
*Pag. ibid.*

JESU CHR. AN. 385.

Fidei vero Catholicæ ſe protectorem futurum ſpondet, utpote qui ad Imperium ab ipſo ſtatim ſalutari Fonte conſcenderat. De Agricio autem ad Presbyterii gradum illicite ordinato de quo conqueſtus fuerat Siricius: *Quid Religioni noſtræ Catholicæ poſſum præſtare reverentius, quam ut de hoc ipſo, cujuſcemodi eſſe videatur, catholici judicent Sacerdotes? quorum conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque Provincias commorantur, in qua elegerint urbe conſtituam; ut iiſdem reſidentibus, & cognoſcentibus, quid habeat conſuetudo, quid legis ſit judicetur; hæc enim, quæ libris ſunt aſſerenda, & majorum noſtrorum religioſiſſimis conſtitutis, ipſi poſſunt melius aſtruere, qui norunt &c.* Atque de ſupplicio Priſcillianiſtarum ſumpto plura addit.

Christiani Principis digna ſententia.

Timothei Epiſcopi Alex. obitus, cui ſuccedit Theophilus. Socrat. lib. 5. 12. Renaudot. hiſt Patriarch. Alex. Pallad. hiſt. Lauſ. cap. 12. B. Elioth. PP. tom. 5. p. 1218

28. Hoc eodem anno Arcadio, & Bautone Coſs. *mortuo Timotheo Alex. Epiſcopo Theophilus Sacerdotii curam ſuſcepit*, ait Socrates. De eodem Timotheo narrat Palladius, Ammonem ſanctiſſimum monachum Epiſcopum ordinaſſe; etſi Ammon reluctans, ne Epiſcopus fieret auriculam ſibi amputaſſet. Ajebat enim Timotheus: *A Judæis lex iſta ſervatur. Ego, ſi dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, ſed moribus probum, non dubitabo eum epiſcopum facere.* Timothei Epiſcopi extat epiſtola canonica apud Balſamonem; qui etiam geſta Monachorum illuſtrium, qui Ægyptum incolebant, conſcripſit: *Quænam fuerit* (Apollonis Monachi) *vivendi ratio, & quanta, quamve divina miracula patraverit, Timotheus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus commemorat, qui & hujus viri, & aliorum, quorum antea mentionem feci, vitam litteris prodidit*, ait Sozomenus.

Sozom. lib. 6. 29.

Theodoſii Lex de Clericorum immunitate ab Officiis ſæcularibus. Cod. Theod. de Epiſc. et audientia lib. 3.

29. Thimothei Alexandrini Epiſcopi mentio habetur a Theodoſio Auguſto in ſuo reſcripto ad Optatum Præfectum Auguſtalem Ægypti de immunitate Clericis tributa a muneribus publicis, & foro: *Graviter admodum*, inquit, *mota eſt noſtra clementia, quædam ab his, qui Epiſcoporum ſibi nomina vindicant, perpetrata, & contra leges non minus divinas, quam humanas improba temeritate commiſſa; vexatos etiam nonnullos Orthodoxorum Clericos, quorum ætas huic injuriæ a Sacerdotio repugnabat, flagitatos itineribus, quæſtionariis deditos; atque hæc omnia per eos commiſſa, qui ad tegumenta frontis, Sacerdotii nonniſi titulos præferebant. Denique lectis in Conſiſtorio precibus, quibus Epiſcopalis pietas aliquid poſtulans refragatur, de-*

negat-

*negatque, idcirco continua lege ſancimus, nomen Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ne ad judicia, ſive ordinariorum, ſive extraordinariorum Judicum pertrahatur. Habent illi Judices ſuos, nec quicquam his publicis commune cum legibus; quantum ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopali auctoritate decidi*. Quare quæſtiones ad Chriſtianam fidem pertinentes ab Epiſcopis, aut Metropolitis cognoſcendas, finiendaſque decernit. Hoc autem reſcriptum uno, aut altero ab hinc anno datum ſcimus, cum Timotheus Alexandrinam adhuc Sedem teneret, cujus in eo fit mentio, is vero hoc anno 385. vigeſima die Julii obiit, ut adnotat Theophanes: De Theophilo ejus ſucceſſore infra ſermo fiet.

Clericorum cauſæ epiſcopali judicio finiendæ.

30. Hoc etiam anno Placilla Auguſta Theodoſii uxor, quæ anno proximo Honorium pepererat, ut diximus, vivere deſiit; nam ſequenti anno Theodoſius alteram uxorem, ideſt Gallam duxit, ut narrat Marcellinus: *Honorio Cæſare, & Evodio Coſs.*, ait, *Galla Theodoſii Regis altera uxor Conſtantinopolim venit*. Piiſſimam fœminam laudarunt ejus ævi Scriptores Chriſtiani, & Ethnici; præ cæteris Gregorius Niſſenus funebri oratione ejus virtutes proſequutus eſt, quam Græci, uti ſanctam in Mænologiis venerantur. Nec immerito, nam de eadem narrat Theodoretus: *Aliam præterea occaſionem proficiendi habuit Imperator Theodoſius; conjux enim divinæ legis præcepta ei memoriam aſſidue revocabat, quibus ſe ipſa prius accurate erudierat. Neque enim Imperiali potentia efferebatur; ſed ad amorem Dei excitabatur ardentius*. Ac præcipue in pauperum, infirmorumque neceſſitatibus ſublevandis ſollicitam fuiſſe adnotat, ita ut eleemoſinis non ſolum ſublevaret, ſed ſuis ipſa manibus miniſtraret, ollas contrectans, & juſculum ipſa deguſtans: panem frangens, & eſcam porrigens: calicem denique lavans, aliaque omnia faciens, quæ a ſervis, & ancillis fieri ſolent. Iis vero, qui ab hoc miniſterio eam revocare ſtudebant, dicere ſolebat: ſe Deo miniſterium ſuum offerre. Viro autem ſuo, id eſt Theodoſio Imp., quis antea fuerit, quis tunc eſſet, in memoriam revocabat. Quanto etiam odio Placilla Auguſta Arianam perfidiam execraretur, Niſſenus in Oratione funebri his verbis narrat: *Simulacrorum odium commune eſt omnibus, qui Fidei participes ſunt, ſed ejus præcipuum, quod Arianam infidelitatem ſimiliter, atque ſimulacrorum cultum abominabatur, &c.* Sed de Placillæ laudibus ſatis, quæ Epitaphii ſepulchralis loco ſunt.

Placillæ Auguſtæ obitus.

*Gregor. Niſſ. orat. funeb. in Placill.*
*Theodor. lib. 5. 19.*
*Ambroſ. in fun. Theodoſii*
*Themiſt. orat. ad Teodoſ.*
*Gregor. Niſſ. Orat. in funere Placillæ.*

31. Hoc

Jesu Chr. an. 385. Theodoſii, & Valentiniani Leges. Cod. Theod. leg. 9. de Paganis. Hier. epiſt. 10. Leg. 8. Cod. Theod. de indulg.

31. Hoc etiam anno Theodoſius lege ad Cynegium data 8. *Kal. Junii* omnem Idolatriæ uſum, omnem divinandi artem exercere prohibuit, lege altera Fidicinas, & Pſaltrias mulieres, quas *chorum diaboli* vocat Hieronymus, ejici juſſit. Valentinianus etiam in Occidente, ut Theodoſii pietatem æmularetur, de relaxandis Paſchali tempore reis generale edictum propoſuit; exceptis tamen graviorum facinorum reis, ſacrilegis ſcilicet, adulteris, raptoribus, veneficis, maleficis, monetæ corruptoribus, & falſariis, homicidis, & Majeſtatis reis. Sed de geſtis hoc anno ſatis.

JESU CHRISTI an. 386. Siricii Papæ 3.
Valentiniani Imp. 12. Theodosii 8. Arcadii 4.
Coss. Honorio nobilissimo puero, et Evodio.
Olymp. 291. an. 2. An. Urbis 1139.

Valentiniani Lex pro Arianis data. Cod. Theodoſ. l. 4. de Fide Cathol.

1. His conſulibus, quorum alter ideſt Honorius Theodoſii filius, vix annum exceſſerat; ac ut ait Claudianus: *Inter cunabula Conſul &c.* Juſtina Auguſta ſopitam in Ambroſium perſecutionem majori furore excitavit. Cumque Eccleſiam pro Arianis ab Ambroſio nec precibus, aut minis obtinere potuiſſet, ut anno proximo diximus, Lege lata, non ſolum Mediolano, ſed per omnes Imperii provincias, Arianis, ut Eccleſias occupare, ac convenire poſſent, poteſtatem fecit, capitali pœna in eos ſtatuta, qui prohibere tentaſſent: *Damus copiam*, ait Lex Valentiniani, *colligendi his, qui ſecundum ea ſentiunt, quæ temporibus divæ memoriæ Conſtantii ſacerdotibus convocatis ex omni orbe Romano, expoſitaque fide ab his ipſis, qui diſſentire noſcuntur, Ariminenſi, Conſtantinopoli etiam confirmata, in æternum manſura decreta ſunt. Conveniendi etiam, quibus juſſimus, pateſcat arbitrium: ſcituris his, qui ſibi tantum exiſtimant colligendi contributam, quod ſi turbolentum quidpiam contra noſtræ tranquillitatis præceptum faciendum eſſe tentaverint, ut ſeditionis auctores, paciſque turbatæ Eccleſiæ, etiam Majeſtatis, capite ac ſanguine ſint ſupplicia luituri: manente nihilominus in eos ſupplicio, qui contra hanc diſpoſitionem noſtram obreptive, aut clanculo ſupplicare tentaverint. Dat. X. Kal. Febr. Mediolani, Honorio N. P. & Evodio Coſſ.*

Benevolus legi ſubſcribere recuſat.

2. Hæc autem Valentiniani lex pro Arianis data, non ſolum

Digitized by Google

ſolum Ambroſium habuit adverſarium, ſed ipſum ſcriniorum magiſtrum Benevolum, qui officio renunciare magis elegit, quam eamdem legem aut ſubſcribere, aut vulgare, de quibus hæc Ruffinus: *Interim dictanda adverſus Fidem Patrum Imperialia decreta mandantur Benevolo, tunc memoriæ ſcriniis Præſidenti. Sed ille, cui ab incunabulis ſacra fides, & venerabilis fuit, abnegat, ſe impia verba poſſe proferre, & contra Deum loqui.* Cumque majores honores Juſtina promiſiſſet, ſi legi ſubſcripſiſſet, officio ſuo renunciare maluit, quam impiæ legis promulgatione Arianorum cauſæ patrocinari, cujus excelſam animi fortitudinem multis laudibus celebravit Gaudentius Brixiæ Epiſcopus in præfatione opuſculi eidem inſcripto, inter cætera ad Benevolum: *Noſtri namque temporis Regina Jezabel, Arianæ perfidiæ patrona, ſimul ac ſocia, cum beatiſſimum perſequeretur Ambroſium Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem, te quoque ea tempeſtate Magiſtrum, memoria oblitum ſalutaris Fidei arbitrata, contra Catholicas dictare Eccleſias compellebat; quod ne faceres, ultro & promotionis politicæ dignitatem, & ambitionem ſeculi, gloriamque mundanam pro Dei gloria contempſiſti, magis eligens privatus vivere, quam mortuus militare.*

Jesu Chr. an. 386.

*Ruffin. lib. 2. 16.*

*Gaudent. Op. pag. 218. Edit. Brix. 1738.*

3. Benevoli vices Auxentius, qui legis ferendæ auctor fuerat, libentiſſime geſſit; unde de eodem Ambroſius in ſermone, de non tradendis baſilicis: *Paucos excludebat Jeſus e Templo, Auxentius nullum reliquit de Templo ſuo, Jeſus flagello, Mercurinus* (idem qui Auxentius, ut anno ſuperiori adnotavimus) *ſecuri. Pius Dominus flagello. Nequam perſequitur pios ferro.* Et poſt aliqua: *Is* (ideſt Auxentius) *mihi etiam audet mentionem facere tractandi plenus ſanguinis, plenus cruoris. Qui quos non potuerit ſermone decipere, eos gladio putat eſſe feriendos, cruentas leges ore dictans, manu ſcribens, &c.*

Auxentius Arianus Benevoli vices gerit.

*Ambr. Serm. poſt epiſt. 21. tom. 3. p. 921.*

4. Interea Auxentius, Juſtinæ protectione munitus, Ambroſium ad habendam de fide diſputationem provocavit. At cum eo congredi Ambroſius recuſavit, ea præcipue ratione motus, quod Imperatoris conſiſtorium, ignotoſque & ethnicos delegiſſet judices, ut in libello ea de cauſa oblato pluribus perſequitur his verbis: *Clementiſſimo Imperatori, & beatiſſimo Auguſto Valentiniano, Ambroſius Epiſcopus. Dalmatius me Tribunus, & Notarius, mandato, ut allegavit clementiæ convenit tuæ, poſtulans, ut & ipſe judices legerem, ſicuti elegiſſet Auxen-*

Auxentius ad diſputationem Ambroſium provocat.

*Ambroſ. tom. 3. pag. 90.*

JESU CHR. AN. 386. *xentius; nec tamen expreſſit eorum nomina, qui fuerant poſtulati. Sed id addidit, quod in Conſiſtorio eſſet futura certatio, arbitro pietatis judicio tuæ. Cui rei reſpondeo, ut arbitror, competenter.* Juxta id quod pater ejus non ſolum ſermone, ſed etiam lege firmaverat: *In cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis*, ita ut Sacerdotes tantum de Sacerdotibus judicarent; quare contumaciæ ſibi non eſſe adſcribendum addit; dum oblatam diſputationem inire recuſaverat; tandem poſt aliqua: *Quando*, inquit, *audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa Fidei laicos de Epiſcopo judicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris ſimus immemores; & quod Deus donavit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum? Si docendus eſt Epiſcopus a laico: quid ſequetur? Laicus ergo diſputet, & Epiſcopus audiat; Epiſcopus diſcat a laico. At certe ſi vel Scripturarum ſeriem divinarum, vel vetera tempora retractemus; quis eſt, qui abnuat, in cauſa Fidei, in cauſa inquam Fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare?* Poſt nonnulla de Auxentio, qui Mediolanenſium Epiſcopus ſe eſſe jactabat, hæc ſubdit: *Quod ſi de aliquorum peregrinorum adſentatione ſe jactat, ibi ſit Epiſcopus, unde ſunt ii, qui eum Epiſcopatus nomine putant eſſe donandum, nam ego nec Epiſcopum novi, nec unde ſit, ſcio.*

Valentiniani Lex injuſta declaratur. *Ambr. ut ſup.*

5. De lege autem ab Imperatore paulo ante in Arianorum gratiam vulgata, hæc inter multa Ambroſius ſacerdotali adnotat libertate. *Quis erit igitur ille, qui cum legat, per tot provincias uno momento eſſe mandatum, ut quicumque obviaverit Imperatori, feriatur gladio: quicumque Dei Templum non tradiderit, protinus occidatur: quis, inquam, eſt, qui poſſit vel unus, vel inter paucos dicere Imperatori: Lex tua mihi non probatur? Non permittitur hoc dicere Sacerdotibus, permittitur Laicis? Et judicabit de fide, qui aut gratiam ſperat, aut metuit offenſam? Deinde ipſe committam, ut eligam Judices laicos; qui cum tenuerint Fidei veritatem, aut proſcribantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit? Ego igitur aut prævaricationi offeram homines, aut pœnæ? Non tanti eſt Ambroſius, ut propter ſe dejiciat Sacerdotium. Non tanti eſt unius vita, quanti eſt dignitas omnium Sacerdotum, quorum de conſilio iſta dictavi, intimantibus ne forte etiam Gentilis eſſet aliquis, aut Judæus, qui ab Auxentio eſſet electus;*

*ctus*; *quibus traderemus de Chriſto triumpham*, *ſi de Chriſto judicium committeremus*. Deinde tradit Nicænæ Fidei tam fortiter ſe inhærere, ut: *Me nec mors, nec gladius poterit ſeparare*. Quam Fidem Theodoſius etiam probaverat.

*6.* De ineunda autem de rebus fidei diſputatione: *Si ad ſynodum*, inquit, *provocat Auxentius, ut de Fide diſputet, licet non ſit neceſſe propter unum tot Epiſcopos fatigari; qui etiamſi Angelus de Cœlo eſſet, paci Eccleſiarum non deberet præferri, cum audiero Synodum congregari, & ipſe non deero. Tolle igitur legem, ſi vis eſſe certamen. Veniſſem, Imperator, ad conciſtorium Clementiæ tuæ, ut hæc coram ſuggererem, ſi me vel Epiſcopi, vel populus permiſiſſent, dicentes, de fide in Eccleſia coram populo debere tractari. Atque utinam Imperator, non denunciaſſes, ut quo vellem, pergerem. Quotidie prodibam, nemo me obſervabat. Debuiſti me, quo volueras, deſtinare, quem ipſe omnibus offerebam. Nunc mihi a Sacerdotibus dicitur: Non multum intereſt, utrum volens relinquas, ac tradas altare Chriſti. Cum enim reliqueris, trades. Atque utinam liquido mihi pateret, quod Arianis Eccleſia minime traderetur; ſponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio*. Quare ne ſibi iraſceretur, quod ad conciſtorium non adfuerit, enixe rogat: *Ego*, inquit, *in conciſtorio niſi pro te ſtare non didici: & intra Palatium certare non poſſum, qui Palatii ſecreta nec quæro, nec novi*. Hæc Ambroſius ad Valentinianum, non tam pro excuſatione, quod ejus mandatis non obtemperaverit, ſed etiam, ut legis ab ipſo latæ injuſtitiam demonſtraret, atque a tam impio propoſito revocaret.

Ubi, & a quibus quæſtiones de fide tractandæ ſint *Ambr. ut ſup.*

*7.* Quinam autem deſignati eſſent judices ab Auxentio, qui de fide Chriſti ſententiam dicerent, in citato ſermone, de non tradendis baſilicis his verbis narrat: *Gentiles quoſdam quatuor, aut quinque ferme homines elegit, cognitores ſibi, ſi tamen aliquos elegit, quos vellem adeſſe in cœtu omnium, non ut de Chriſto judicent, ſed ut Majeſtatem audiant Chriſti, &c.* Ubi vero multa contra Auxentii temeritatem addidit, nec ipſum Imperatorem in ea cauſa judicem eſſe poſſe, teſtatur: *Concluſus undique* (Auxentius) *ad verſutiam patrum ſuorum* (Arianorum ſcilicet) *confugit. De Imperatore vult invidiam commovere, dicens, judicare debere adoleſcentem Catechumenum ſacræ lectionis expertem, & in Conciſtorio judicare*; ac qua conſtantia anno proximo Juſtinæ conatibus reſtiterat, cum ab ea Eccleſia

Quoſnam in cauſa fidei judices Auxentius elegerat. *Ambroſ. tom. 3. p. 922.*



Digitized by Google

JESU CHR. AN. 386.

Arianis tradenda expeteretur, pluribus commemorat.

Ambroſius exilio deſtinatus, aut morti addictus, divinitus liberatur. Paulin. Ambroſii vita to. 4. p. 5.

8. Poſt hæc Juſtina Auguſta immenſo odio, & fæminea rabie in Ambroſium furens, eum aut vi, aut dolo e vivis, aut ſaltem ſua Sede exturbare conatur; fruſtra tamen hæc tentaſſe, Paulinus in ejus vita narrat: *Innumeras inſidias ſuſtinuit* (a Juſtina), *quæ muneribus, atque honoribus adverſus ſanctum virum oblatis populum excitabat*. Promittebat enim Tribunatus, & dignitates iis, qui illum de Eccleſia raptum, ad exilium perduxiſſent. Quod cum multi conarentur, tandem quidam audacior cæteris, nomine Euthymius, domum ſibi juxta eccleſiam paravit, in eaque currum, quo facilius Ambroſium raptum, in exilium duceret: *Sed iniquitas ejus in verticem ipſius deſcendit*. Poſt annum etenim eadem die, quo illum rapere ſe arbitrabatur, in eodem carpento impoſitus, de eadem domo ipſe ad exilium deſtinatus eſt, reputans ſibi juſto judicio Dei, id in ſe eſſe converſum; ut eadem pateretur, quæ adverſus Sacerdotem Dei paraverat. Cui non minimum ſolatii Ambroſius præbuit, *dando ſumtus, vel alia, quæ erant neceſſaria*. De exilio ſibi deſtinato idem Ambroſius in ſupracitato ſermone contra Auxentium agit. *Nemo*, inquit, *ergo vos turbet, quod aut currum præparaverunt, aut dura, ut videbatur ſibi Auxentii ipſius, qui ſe dicit Epiſcopum, ore jactata*.

Pſalm. 7. 17.

Tom. 3. p. 955.

Armati milites ad eccleſiam mittuntur.

9. Interea armati milites Eccleſiam obſederant, in qua Ambroſius cum plebe Catholica conſidebat; ibique per dies, noctesque pro Paſtore ſuo ſolliciti perſeverarunt Mediolanenſes cives, unde ajebat Ambroſius: *Circumfuſi milites, armorum crepitus, quibus vallata eſt Eccleſia, fidem non terrent meam, ſed exagitant, ne dum me tenetis perniciosum aliquid veſtræ oboriatur ſaluti*. Et poſt aliqua de plebis ſollicitudine in ſui ipſius defenſionem: *Si Dominus*, ait, *huic nos certamini deſtinavit, fruſtra pervigiles tot noctibus, & diebus cuſtodias exhibuiſtis, & excubias*. Deinde narrat, apertas januas impervias fuiſſe militibus, quas vel cœcus invenerat: *Turbati eſtis*, inquit, *quia apertas reperiſtis geminas fores, quas captus oculis quidam, dum hoſpitium proprium repetit, patefeciſſe memoratur. In quo cognoſcite, quod nihil ſuffragetur humana cuſtodia. Ecce unus, qui videndi munus amiſit, ſolvit veſtra univerſa munimina, & cuſtodias luſit: Dominus autem ſuæ miſericordiæ cuſtodiam non omiſit. Nonne ante biduum, ut*

Pag. 917.

Digitized by Google

*ut meminiſtis, etiam illum repertum eſt, quod a parte leva baſilicæ ingreſſus quidam pervius fuit, quem putabatis clauſum eſſe, atque munitum? Sepſerunt nempe armati baſilicam, explorabant hos, atque illos aditus: cæcitate perfuſi ſunt, ut quod apertum erat, videre non poſſent; itaque per plurimas noctes, quod apertum fuerit, non ignoratis. Deſinite ergo ſollicitari, quia hoc erit, quod Chriſtus jubet, & quod eſſe expedit.* Unde vel ipſam mortem nullatenus ſe timere teſtatur, nam ait: *Plerique narrabant percuſſores præmiſſos, pœnam mortis eſſe decretam, nec illa timeo, & iſta non deſero* ( ideſt Eccleſiam Chriſti ); *prius eſt, ut animam mibi, quam fidem auferat.* Hæc, aliaque in eamdem rem Ambroſius, quæ ſummatim a Paulino in ejuſdem vita narrantur; eademque Auguſtinus, qui Eccleſiam tunc Catechumenus frequentabat, narrat, plebis ſcilicet anxietatem, pſalmorumque cantum, quo in Eccleſia perſeverans populus a mœſtitia, & ſomno levabatur, in quam rem: *Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter, &c.* *Auguſt. Conf. lib. 9. 6. 7.*

10. Dum in dies adverſus Ambroſium fureret Juſtina Auguſta, ex refoſſis ſanctorum Martyrum reliquiis, opportunum ſanctiſſimo Præſuli auxilium adfuit; de quibus Auguſtinus hæc narrat: *Tunc memorato Antiſtiti tuo* ( Ambroſio ) *per ipſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Prothaſii, & Gervaſii, quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras, unde opportune promeres, ad coercendam rabiem fœmineam, ſed regiam.* Nam dum Sanctorum martyrum reliquiæ ad Ambroſianam Baſilicam transferrentur, non ſolum ab immundis vexati ſpiritibus ſanabantur; ſed etiam quidam, qui per plures annos cæcus fuerat, cum populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet, atque Martyrum reliquias transferri audiſſet exilivit, eoque ſe ut duceret, ſuum ducem rogavit. Quo perductus, impetravit admitti, ut ſudario tangeret feretrum ſanctorum Martyrum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes totius populi, inde illius inimicæ, ( ideſt Juſtinæ ) *animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, a perſequendi tamen furore compreſſus eſt. Gratias tibi Deus meus.* Hæc in Confeſſionibus Auguſtinus; eademque in Commentariis de Civitate Dei, & alibi: *Tantæ*, inquit, *gloriæ Martyrum etiam ego teſtis fui, ubi Mediolani eram, facta miracula novi &c.*

Inventio corporum Gervaſii, & Prothaſii Martyrum. *Auguſtin. confeſſ. lib. 9. 7.*

D 2 Inter

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 386. Inter cætera cæcum tactis Martyrum reliquiis viſum recupe- raſſe narrat. Paulinus vero addit Prothaſii, & Gervaſii nomina, & ſepulchra ita incognita fuiſſe, ut nulla eorum memoria aut veſtigium appareret, & ſi ad Cancellos, ubi Sanctorum Naboris, & Felicis Martyrum quieſcebant, recondita eſſent.

De Inventione Ss. Martyrum. Ambroſii epiſt. ad Marcellinam. 11. Eademque, epiſtola ad Marcellinam ſororem, corpora ſanctorum Martyrum ſe inveniſſe narrat Ambroſius: *Sanctos Martyres a nobis eſſe repertos*. Cum terram effodi juſsiſſet ante cancellos ſanctorum Felicis, & Naboris: *Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut priſca ætas ferebat, oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum. Ingens concurſus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condidimus integra ac ordine, tranſtulimus veſpere jam incumbente ad baſilicam Fauſtæ; ibi vigiliæ tota nocte, manus impoſitio. Sequenti die tranſtulimus ea in baſilicam, quam appellant Ambroſianam, dum transferimus, cæcus ſanatus eſt*; ac de miraculorum frequentia multa adnotat, nonnullos ſcilicet a dæmone tunc liberatos fuiſſe, alios vero, ubi veſtem ſanctorum manibus contigerunt, ab infirmitatibus ſanatos: *Quanta oraria jactitantur? quanta indumenta ſuper reliquias ſacratiſſimas, & tactu ipſo medicabilia repoſcuntur. Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, ſalvus erit*. Martyrum reliquias ſub Altari, ubi ſepulchrum ſibi Ambroſius paraverat, tandem recondidit: *Succedant victimæ triumphales*, inquit, *in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt; ſed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt: iſti ſub altari, qui illius redempti ſunt paſſione. Hunc ego locum prædeſtinaveram mihi, dignum eſt enim, ut ibi requieſcat Sacerdos, ubi offerre conſuevit: ſed cedo ſacris victimis dexteram portionem, locus iſte Martyribus debebatur, &c*. Eademque die, cum ad populum ſermonem haberet, obduratam Arianorum perfidiam adnotavit, qua miraculorum evidentiam negabant, dicentes non ſunt iſti Martyres, nec torquere diabolum poſſunt, nec aliquem liberare; ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Notus homo eſt, publicis cum valeret mancipatus obſequiis, Severus nomine, Lanius miniſterio, depoſuerat officium, poſtquam inciderat impedimentum: clamat, quia ut contigit fimbriam de veſte Martyrum, qua ſacræ Reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen ſit. Hæc, aliaque in eamdem rem Ambroſius. Pau-

Ambroſ. tom. 3. p. 930.

Martyrum reliquiæ ſub Altari recondita.

Epiſt. 22. n. 16. p. 932.

Paulinus vero in ejus vita addit, Arianorum quemdam a dæmone vexatum coactum fuiſſe Trinitatem, & Martyrum gloriam confiteri. Jesu Chr. an. 385.

12. *Deus tamen, qui gratiam Eccleſiæ ſuæ augere conſuevit, non paſſus eſt diu inſultari a perfidis Sanctis tuis.* Nam unus ex iis ſubito arreptus a Dæmone, clamare cœpit ſe ita torqueri, eo quod negaſſet Martyres, nec in Trinitate Unitatem, ſicut docebat Ambroſius, crederet. *At illi hac voce confuſi, qui converti debuerant, & dignum tali confeſſione agere pœnitentiam, in piſcinam demerſum hominem necaverunt, perfidiæ homicidium adjungentes.* Hæc ibi Paulinus, qui & narrat, ex hac Martyrum inventione ſedatam quodammodo fuiſſe in ſanctum Epiſcopum perſecutionem, licet in Palatio Ariani vulgata miracula deriderent: *Ex hoc tempore*, inquit, *ſedari cœpit perſecutio, quæ Juſtinæ furore accendebatur, ut Sacerdos de Eccleſia pelleretur. Tamen intra Palatium multitudo Arianorum cum Juſtina deridebant tantam Dei gratiam, quam Eccleſiæ Catholicæ Dominus Jeſus meritis Martyrum ſuorum conferre dignatus eſt; venerabilemque virum Ambroſium narrabant, pecunia comparaſſe homines, qui ſe vexari ab immundis ſpiritibus mentirentur, atque ita ab illo, ſicut a Martyribus ſe torqueri dicerent. Sed hoc Judaico ore loquebantur Ariani*, cum dicerent: *In Beelſebud principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Sed de inventione, & translatione Ss. Martyrum Gervaſii & Prothaſii hactenus, de quibus S. Paulinus, Auguſtinus, Gregorius Turonenſis mentionem habent.

Arianus a dæmone obſeſſus, veritatem confitetur.

*Paulinus vita Ambroſii n. 16 tom. 4. p. 5.*

*Luc. 11. 15. Paulin. epiſt. 12. ad Severum.*

*Auguſtin. de Civit. Dei lib. 22. c. 8. Gregor. Turon. de gloria Martyr. cap. 47. Hiſt. Franc. lib. 10. 31.*

13. Poſt hæc Juſtina, cum Sanctum virum, Catholicæ plebis benevolentia, & Dei protectione undique vallatum videret, ut impoſſibile eſſet aperta vi, aut patria, aut vita exturbare, clandeſtinis inſidiis eum e medio tollere tentavit, ut in ejus vita narrat Paulinus. Nam haruſpex quidam Innocentius nomine, cum in cauſa maleficiorum a judice torqueretur, fateri cœpit, ab Angelo majora ſe tormenta ſuſtinere; quoniam temporibus Juſtinæ, ad excitanda odia populorum adverſus Epiſcopum, cacumen tecti eccleſiæ conſcendens, medio noctis ſacrificaverit. Fruſtra tamen Acheruntem, omniaque dæmonia adverſus Ambroſium excitaſſe addidit; quin, cum quidam educto gladio Sancti viri cubiculum intraſſet, repente dextera ejuſdem obriguit.

Aliæ inſidiæ adverſus Ambroſium.

*Tom. 4. oper. Ambroſ. p. 6.*

14. Ad frenandam quoque Juſtinæ rabiem, adfuit opportune

Maximi Imp. epiſt. ad Valentinianum Imperatorem

JESU CHR. AN. 386. tunc Maximus Imperator, ſive tyrannus, qui, ut accepit, Valentiniani edicto Catholicam turbari Eccleſiam, datis ad eum epiſtolis, ab impio conatu revocare conatus eſt; & ut ab inferendis Catholicæ Eccleſiæ moleſtiis ceſſaret, enixe rogavit: *Dum hæc in longum*, ait Ruffinus, *diverſis machinis, & oppugnationibus nequam Juſtina moliretur, Maximus, qui ſe exuere tyranni infamia, & ſe legitimum Principem geſtiret oſtendere, datis litteris, impium proteſtatur inceptum, fidem Dei impugnari, & ſtatuta Catholicæ Eccleſiæ ſubrui*. Epiſtola autem ſua teſtatur Maximus, tantum ſe Religionis ſervandæ ſtudio teneri, ut eam a quoquam violari non pateretur; quare ut a Catholicorum vexatione ceſſaret, Valentinianum his verbis admonuit: *Idcirco perennitatem tuam credidimus commonendam, ut introſpecta ratione Numinis ſummi, & Majeſtatis ipſius conſiderata potentia, quid agere debeas, ſolida mente perpendas. Audivi enim ( nam fama non patitur occultari, præſertim quod agatur in populos ) novis clementiæ tuæ edictis, Eccleſiis catholicis vim illatam fuiſſe, obſideri in Baſilicis Sacerdotes, mulctam eſſe propoſitam, pœnam capitis adjectam, & Legem ſanctiſſimam ſub nomine, neſcio, cujus legis everti. Hoc quam grave ſit, poteris intueri, ſi Dei magnitudinem volueris cogitare. Erubeſco, ſi quam crediderit Serenitas tua aſtruere, velle rationem, & Dei agere cauſam, &c.* Denique addit, ne quod antiquitus traditum fuerat, quodque *Italia omnis, Africa, Gallia, Aquitania, omnis Hiſpania, Roma ipſa venerabilis* ſervabat, immutaret, cum maxime pater ejus Valentinianus ſenior Arianam perfidiam, una cum aliis hæreſibus toto Imperio exturbandam decreverit: *Unde æquum admodum eſt*, ſubdit, *ne Sancto Numini dicata convellas, Italiam omnem, & venerabilem Romam, ceteraſque provincias ſuis Eccleſiis, Sacerdotibus ſuis reddas, neque te medium interferas, cum fas ſit, ac juſtius eos, qui a Catholica Eccleſia Arianorum interpretatione diſceſſerint, errorem ſuum vera Religione mutare, quam recte ſentientibus ſuam immittere pravitatem*. Hactenus Maximi epiſtola ad Valentinianum, exhortans, ne Catholicæ Eccleſiæ ulterius bellum inferret; at anno ſequenti, motis in eum armis, ut ibidem videbimus, extincta omnino perſecutio remanſit; quin Juſtina, & Valentinianus Ambroſium, ut iterum ad Maximum legationem iniret, rogarunt.

Ruffin. lib. 2. 16.

De die Paſchatis an. 387

15. Inter cæteras Ambroſii curas pro Dei Eccleſia, hoc anno

Digitized by Google

anno ſuſceptas, de Paſchatis die anno ſequenti celebrando, ad Æmiliæ Epiſcopos epiſtolam dedit. Cum etenim de die Paſchatis nonnulli incerti eſſent, ſeptimo Kal. Majas Paſcha celebrandum eſſe docet, ac de Paſchatis die inveniendo, plura ex Ægyptiorum computis tradit. Inter cætera, quod poſt lunam decimam quartam primi menſis celebrandum ſit, ideſt Dominica prima poſt Lunam XIV. Quod ſi contigerit cum Dominica die concurrere Lunam decimam quartam, tunc ad proximam Dominicam differendam eſſe Paſchalem Feſtivitatem, rationibus, & exemplis plurimis comprobat, ut ibidem videre eſt.

Jesu Chr. an. 386. *Ambroſ. epiſt. 23.*

16. Auguſtinum Mediolano reliquimus anno proximo, Philoſophiæ quidem ſtudio intentum, ſed adhuc vitiorum ſuorum pondere preſſum, ut ipſe pluribus narrat; ibi cum eſſet hoc anno, teſtis miraculorum in translatione Corporum Ss. Gervaſii, & Prothaſii fuit: *Tantæ gloriæ Martyrum etiam ego teſtis fui, ubi Mediolano eram, facta miracula novi, &c.* Cumque in dies de invenienda veritate ſollicitior eſſet, tandem ad divinas literas ſe tranſtulit, & maxime ad epiſtolas Divini Pauli: *Titubans, properans, hæſitans, arripio Apoſtolum Paulum* (ajebat ad Romanianum) *perlegi totum intenſiſſime, atque cautiſſime. Tunc vero quantocumque jam lumine aſperſo, tanta ſe mihi Philoſophiæ facies aperuit.* Hæc de mira animi ſui mutatione ex ſacrorum Codicum lectione Auguſtinus; ita ut ſe ultro chriſtianæ Fidei rudimentis imbuendum tradiderit; incertus tamen adhuc hærebat, quam tandem viam iniret, cum præcipue caſtitatem ſervare ſe poſſe adhuc deſperaret. Simplicianum itaque adiit ſpiritalem quodammodo Ambroſii patrem, in Sede poſtea ſucceſſorem; cui cum animi ſui æſtus, fluctuſque aperuiſſet, ab eodem, ut in ſancto propoſito perſiſteret, confirmatus eſt; & maxime ex hiſtoria, quam ei narravit de Victorino Rhetorum celeberrimo, qui, Roma plaudente, Chriſti Fidem ſuſceperat; quique coram frequentiſſimo populo in Eccleſia ſymbolum reddiderat, ut ſuo loco adnotavimus; quibus auditis: *Ego ſuſpirabam ligatus*, ait Auguſtinus, *non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate, &c.*

De Auguſtini geſtis uſque ad Baptiſmum *Auguſt. Conf. lib. 6.* *Aug. de Civit. Dei lib. 22. cap. 8.* *Auguſtin. lib. Acad. lib. 2. 2.* *Auguſt. Conf. lib. 8. 1.*

17. Deo tandem juvante vitiorum vincula diſrupit, ac toto corde ad Deum ſeſe convertit, ut idem Auguſtinus pluribus narrat: *Quadam die*, inquit, *venit ad me, & Alypium Pontitianus quidam civis noſter, in quantum Afer, præclare in* Pala-

Auguſtinus S. Antonii, aliorumque exemplis ad vitæ emendationem excitatur. *Confeſſ. lib. 8. 6.*

Jesu Chr. An. 386. *Palatio militans, neſcio quid a nobis volebat. Conſedimus, ut colloqueremur, & forte ſupra menſam luſoriam, quæ ante nos erat, adtendit Codicem, tulit, aperuit; invenit Apoſtolum Paulum inopinate ſane*; cui cum miraretur, dixit Auguſtinus, ſe illis Scripturis maxime delectari. *Interea ipſo narrante, ortus eſt ſermo de Antonio Ægyptio monacho, cujus nomen excellenter clarebat apud ſervos ſuos; nos autem uſque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus eſt in eo ſermone, inſinuans tantum virum ignorantibus, & admirantibus eamdem noſtram ignorantiam.* Inde ſermo ejus devolutus eſt ad monachorum mores, quorum vivendi rationem Auguſtinus ejuſque ſocii penitus tunc ignorabant, etſi Mediolano extra urbem monaſterium eſſet. His addidit Pontitianus hiſtoriam aulicorum Valentiniani Imp., qui fortuito in domunculam ſolitarii cujuſdam, extra Trevirorum urbem, ingreſſi, cum vitam Antonii Monachi ibidem repertam legiſſent, ad ejuſdem ſectanda veſtigia, tanto ſpiritus fervore excitati ſunt, ut continuo dimiſſis uxoribus, aulaque relicta, in eodem loco ſolitariam vitam agere ſtatuerint. Alter quippe ad amicum hæc inter cætera dixit: *Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quo ambimus pervenire? quid quærimus? Cujus rei cauſa militamus? Major ne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quam ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculi? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quando iſtud erit? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio.* Poſt plurima in eamdem rem: *Ego jam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli adverſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocium tantæ mercedis, tantæque militiæ.* Ubi vero hæc Auguſtinus audivit, mirum in modum ad æmulationem, & imitationem excitabatur, ita ut in immenſum interna pugna excreverit: *Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam excitaveram cum anima mea in cubiculo noſtro, corde meo, tum vultu, quam mente turbatus, invado Alypium, & exclamo: Quid patimur, quid eſt hoc, quid audiſti? Surgunt indocti, & Cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne, & ſanguine? An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi? Dixi, neſcio quæ talia, & abripuit me ab illo æſtus meus, cum taceret attonitus intuens me. Neque enim*

*Auguſt. vita cap. 5.*

*ſoli-*

*ſolita ſonabam, pluſque loquebantur animum meum frons, genæ, oculi, color, modus vocis, quam verba, quæ promebam. Hortulus quidam erat hoſpitii noſtri, quo nos utebamur ſicut tota domo, nam hoſpes ibi non habitabat dominus domus. Illuc me abſtulerat tumultus pectoris, ubi nemo impediret ardentem litem, quam mecum aggreſſus eram, donec exiret, qua tu ſciebas; ego autem non, ſed tantum inſaniebam ſalubriter, & moriebar vitaliter, gnarus quid mali eſſem, & ignarus quid boni poſt paululum futurus eſſem. Abſceſſi ego in hortum, & Alypius pedem poſt pedem, &c.*

18. Longa deinde oratione internam, quam tunc ſuſtinuit, pugnam exponit, cujus cauſa cum in lacrymas totus diffflueret, aliquantiſper ab Alypio ſeceſſit, ut liberius fletibus indulgeret: ille vero rem tacitus, & admirans conſiderabat. Cum itaque amariſſime Auguſtinus fleret, vocem tanquam de vicina domo ſibi dicentem audivit: *Tolle, lege: tolle, lege.* Ipſe vero cogitare cœpit, an ſolerent aliquando pueri in aliquo genere ludendi tale aliquid canere; nil tamen ſe umquam audiviſſe occurrebat. Quare repreſſo lacrymarum impetu ſurrexit, ac codicem, quem in proximo reliquerat aperuit, ac in eum Apoſtoli locum oculos convertit, quo in epiſtola ad Romanos dicit: *Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione; ſed induite Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis*; nec ultra legit. Statim quippe cum fine hujuſce ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infuſa, cordis ſui tenebras diffugiſſe narrat. Cumque hæc Alypio indicaſſet, ille quæ ſequebantur verba Auguſtino relegit: *Infirmum* ſcilicet *in fide recipite. Quod ille ad ſe retulit, mihique aperuit*, ait Auguſtinus; atque melioris vitæ propoſitum ſe quoque amplexurum profeſſus eſt. Inde vero ſubdit Auguſtinus: *Ad matrem ingredimur; indicamus, gaudet: narramus, quemadmodum geſtum ſit: exultat, & triumphat; & benedicebat tibi, qui potens es, ultra quam petimus, aut intelligimus facere, quia tanto amplius ſibi a te conceſſum de me videbat, quam petere ſolebat miſerabilibus, flebilibuſque gemitibus.* Hactenus de ſua ad Deum converſione Auguſtinus. Hæc autem ineunte Auguſto, aut Septembri contigiſſe inde ſcimus, quod vix viginti ſupererant dies ad vindemiales ferias, quarum occaſione docendi officio renuntiare deſtinaverat. Quare ingreſſis paulo

Auguſtinus cœleſti voce vocatus, toto corde ad Deum convertitur.

*Rom.* 13. 13.

*Rom.* 14.

*Auguſt. Conf. lib.* 9. 2.

Jesu Chr. an. 386.

poſt autumnalibus feriis, in villam a Verecundo oblatam, quæ Caſſiciacum vocabatur, una cum ſuis ſeceſſit, ideſt cum Monicha matre, Navigio fratre, Trigetio, & Licentio diſcipulis, Gaſtidiano, & Ruſtico conſobrinis, Adeodato filio, & Alypio amico; ubi perſeveravit uſque ad Quadrageſimæ initium anni ſequentis, cum Mediolanum rediit, nomen inter Catechumenos eo tempore daturus, ut ſuo loco videbimus; nec tamen ibidem in otio vixit, ſed orationibus, & veritatis ſtudio intenſius eo tempore vacavit, ac opuſcula quædam digeſſit, libros ſcilicet contra Academicos de Vita beata, de Ordine, Siloloquia, &c., de quibus plura apud Maurinos videri poſſunt. Ad hunc autem annum 386. Auguſtini converſionem, & ad ſequentem 387. ejuſdem Baptiſmum alligandum eſſe, invictiſſimis argumentis demonſtrarunt tum Auguſtini editores, & Cardinalis Noriſius, quibus libentiſſime ſubſcribimus.

*Auguſtin. vita cap. 7. Noriſ. Oper. tom. 3. ad Somn. P. Macedo p. 1189. 1212., & ad Somnium 31. 32.*

19. Die octava Idus Januarii poſt Conſulatum Arcadii Aug. & Bautonis, ideſt hoc anno, Siricius Papa una cum octoginta Epiſcopis Romæ ſynodum habuit; qua canones novem de Eccleſiæ diſciplina ſervanda editi, ſeu potius renovati ſunt, ut ex Siricii Epiſtola ad Epiſcopos Africæ conſtat, qua ait: *Cum in unum plurimi fratres conveniſſemus ad Sancti Apoſtoli Petri Reliquias, per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, &c. Hæc ſunt, quæ deinceps, intuitu divini Judicii, omnes Catholicos Epiſcopos expedit cuſtodire, ſcilicet*: 1. Ut extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt Primatis, nemo audeat ordinare. 2. Ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat. 3. Si quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiæ ſæcularis habuerit, ad Clerum admitti non debet. 4. Mulierem, ideſt viduam, Clericus non ducat uxorem. 5. Qui Laicus Viduam duxerit, non admittatur ad Clerum. 6. Ex aliena Eccleſia ordinare Clericum nullus præſumat. 7. Abjectum vero Clericum alia Eccleſia non admittat. 8. Venientes a Novatianis, vel Montenſibus, per manus impoſitionem ſuſcipiantur, præter eos, qui rebaptizant. Sacerdotes tandem, & Levitas admonet Synodus, ut in Miniſterio ab uxoribus ſe abſtineant: *Quia*, inquit, *quotidianis neceſſitatibus occupantur*; deinde, *ſi laicis abſtinentia imperatur, ut poſſint deprecantes audiri*, juxta Apoſtoli monitum, *abſtinete vos, ut vacetis orationi, quanto magis Sacerdos, utique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus*,

Synodus Romana. Siricii epiſtola ad Epiſc. Africæ. *Harduin. tom. I. p. 857. Couſtan. p. 653.* Canones Synodi.

*Ad Corinth. 1. 7.*

*rus*, *ne aut Sacrificium offerat*, *aut baptizare cogatur*? Hæc, aliaque in eamdem rem Romana Synodus *Data*, *Romæ in Concilio Epiſcoporum octoginta ſub die octavo Idus Januarias poſt Coſs. Arcadii Aug.*, *& Bautonis VC. Coſs.* Data autem legitur cum nota poſt Conſulatus Arcadii Aug., & Bautonis, qui elapſum annum ſignaverant, eo quod ſexta Januarii Romæ nondum conſtabat, quis labentis anni Conſul deſignatus eſſet. Romanæ Synodi decreta, & epiſtola ad Epiſcopos Africæ in Synodo Teleptenſi in Africa anno 418. habita, recitata, & confirmata fuerunt. Innocentius etiam Papa ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum ſcribens, multa ex eadem epiſtola ſumpſit, ut ex utriuſque Epiſtolæ collatione conſtabit. Hanc Siricii epiſtolam eruditorum aliqui ſuſpectam, aut ſuppoſititiam habuerunt. Sine cauſa tamen eam in dubio vocari a viris doctis demonſtratum eſt, qui leviſſimas Queſnelli, Papebrochii, Blondelli conjecturas invictis argumentis confutarunt, ut apud Scheleſtratum, & Coutantium præcipue videre eſt. Eamdemque epiſtolam cæteris quoque Epiſcopis, qui aut *adverſa valetudine*, *aut feſſæ ætatis cauſa Synodo adeſſe non potuerunt*, communem eſſe voluit Siricius; eademque ſummatim de Epiſcoporum, & Sacerdotum ordinationibus continet, quæ in Epiſtola ad Africanos leguntur.

An Siricii epiſtola legitima ſit.

*Queſnel. diſſert. 15. ad Oper. S. Leonis. Papebr. Propileo menſis Maii. Pontif. in Pſeudo-Iſidoro pag. 550.*

*Scheleſtrat. Eccl. Afric. diſſert. 3. cap. 12.*

*Coutan. p. 634*

*Pagi ad an. 386.*

20. Hoc etiam tempore, atque hoc anno, Anyſio Theſſalonicenſi Epiſcopo ſcripſit Siricius, admonens eum, ne quemquam abſque conſenſu ſuo in Illyrico Epiſcopum ordinari permitteret: *Multa enim*, ſubdit, *geſta ſunt illic per contentionem ab Epiſcopis in ordinationibus faciendis*, *quod tua melius charitas novit*; eique ſuas in Illyrico vices commiſit. Quo tempore Romani Pontifices Theſſalonicenſibus Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis vicariam in Illyrico poteſtatem delegaverint incertum eſt; hinc eruditorum aliquot Damaſum hanc poteſtatem Aſcholio, & Anyrio primum contuliſſe tradunt. Alii vero, (quorum ſententia, utpote a Baluſio pluribus argumentis confirmata, præferenda eſt, ut ait Pagius,) Siricium hujuſce vicariatus auctorem dicunt: & ſane S. Leo in epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem dum eum Apoſtolicæ Sedis Vicarium fecit, Siricii exemplum ſecutum ſe fuiſſe, ſcribit: *Beatæ recordationis*, inquit, *Siricii exemplum ſecuti*, *qui ſanctæ memoriæ Anyſio Prædeceſſori tuo bene de Apoſtolica Sede tunc merito*, *& rebus poſt ſequentibus approbato*, *certa tum primum ratione commiſit*, ut

*Coutan. p. 659*

Siricii epiſt. ad Anyſium Theſſal. Epiſ. de Vicariatu Romanæ Sedis conceſſo.

*Coutan. not. p. 642.*

*Baluz. ad lib. 5. Demarcha de Concord. Sacerd.*, *& Imp. cap. 23.*

*Pag. not. 9. ad an. 385.*

*Coutan. p. 642. in notis ad ep. Siricii 4.*

JESU CHR. AN. 386.

*ut per illam provinciam poſitis , quas ad diſciplinam teneri voluit , Eccleſiis ſubveniret* . Quia tamen Damaſus Aſcholio , & Anyſio Theſſalonicenſibus Epiſcopis ſcribens , nonnulla , prout occaſio ferebat , injunxit , Damaſus etiam hujuſce Vicariatus auctor quodammodo dici poteſt . Nec cauſa defuit , cur Damaſus , & Siricius Theſſalonicenſes epiſcopos Apoſtolicæ Sedis Vicarios crearent .

De origine Vicariatus Theſſalonicenſibus Epiſc. collati.

21. Ex diviſione etenim Imperii ea repetenda eſt ; nam cum Illyricum ad Occidentale Imperium pertineret , harum Provinciarum Epiſcopi Romano Pontifici , ut Primati totius Eccleſiæ , & uti Occidentis Patriarchæ parebant . At anno 379. Gratianus adſcito in Imperii ſocietatem Theodoſio , Illyrici maximam partem ejuſdem Imperio attribuit , & inter cætera Macedoniam , & Daciam , ut invictis argumentis probat Pagius , ubi & Balutii ſententiam confutat , eam diviſionem poſt Theodoſii obitum adſcribentis . Diviſo itaque Illyrico , etſi Epiſcopi , qui in Theodoſii Imperium tranſierant , Romano Pontifici ſubeſſent ; cum , ut ait Innocentius Papa ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum : *Eccleſiæ dignitati non congrueret , ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari , honoreſque , aut diviſiones perpeti , quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator* : nihilominus periculum erat , ne tractu temporis a Romanæ Eccleſiæ juriſdictione , & Occidentalium Patriarcha alienarentur ; & ſicuti ad Imperium Orientale eæ provinciæ adjunctæ fuerant , ita quoque in rebus Eccleſiaſticis Orientalibus Eccleſiis ſociarentur , aut Orientis Patriarchatui , ut exitus comprobavit . Quare ne ex ea Imperii diviſione præjudicium aliquod Romani Pontificis juribus inferretur , iidem Pontifices Theſſalonicenſem Epiſcopum , cujus urbs Illyrici Orientalis Metropolis erat , ſuum Vicarium conſtituendum cenſuerunt , ut ipſorum vices ibidem ageret , & ut Romanæ Sedis jura in iis Provinciis ſarta tecta ſervaret .

*Pag. ad ann. 380. n. 4. ad 9.*

*Apud Coutan. ep. 30.*

Philaſtrii Brixienſis epiſcopi obitus; ejus vitæ breviarium .

22. Hoc , vel ſuperiori anno , cum Mediolani eſſet Auguſtinus , Philaſtrium Brixienſem Epiſcopum cum Ambroſio ſe vidiſſe teſtatur . Quouſque autem vitam ſanctus vir tenuerit , in incerto eſt ; id tantum ſcimus , ante Ambroſium e vivis exceſſiſſe , ut Gaudentius ejuſdem vitæ ſcriptor , & in Sede ſucceſſor narrat . Ideoque circa hæc tempora , & ad annum 386, aut 387. Philaſtrii obitum alligant eruditi viri . Philaſtrii geſta in Panegyrico in ejus laudem , die ipſa qua obiit , recitato

*Aug. epiſt. ad. Quod vultdeum .*
*Dupin. ſæcul. 4. p. 879.*
*Baſnag. ann. 386. 10.*
*Baillet. 18. Julii .*
*Bolland. ibid.*

tato narrantur, eoque auctore, Gaudentio ſcilicet, (ut communiter traditur) ſcimus, Philaſtrium eo uſque pietatis, & Trinitatis cultorem fuiſſe, ut ante Epiſcopatum ab Arianis verbera etiam ſuſtinuerit: *Non ſolum*, inquit Gaudentius, *contra Judæos, & Gentiles, verum etiam contra hæreſes omnes, & maxime contra eo tempore furentem Arianorum perfidiam, tanto fidei vigore pugnavit, ut etiam verberibus ſubderetur, ut in corpore ſuo ſtigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti portaret; nam & in Mediolanenſi urbe idoneus olim Dominici gregis cuſtos fuit, Ariano repugnans Auxentio, priuſquam beatus eligeretur Ambroſius. Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos & publica, & privata diſputatione lucratus in fide eſt.* Cum eſſet Epiſcopus anno 381. Aquilejenſi ſynodo adfuit, & ſubſcripſit; tandem cum Brixienſem Eccleſiam per plures annos gubernaſſet, obiit vir per omnia Apoſtolicus, ut a Gaudentio dicitur in præfatione ad Benevolum, cujus memoria decimo octavo Julii Martyrologio Romano recolitur. Ex eo etiam ejus memoria clarior perſeverat, quod librum de hæreſibus vulgaverit, cujus Auguſtinus meminit his verbis: *Philaſtrius quidam Brixienſis Epiſcopus, quem cum ſancto Ambroſio Mediolani ipſe vidi, ſcripſit hinc librum, nec illas hæreſes prætermittens, quæ in populo Judæorum fuerunt ante adventum Domini, eaſque 28. commemoravit, & poſt adventum centum vigintiocto ſcripſit.* Philaſtrio tamen doctiorem Epiphanium fuiſſe, qui idem tractaverat argumentum, eodem loco teſtatur Auguſtinus, & ſane in Philaſtrii opere de Hæreſibus multa occurrunt, quæ vix, ac ne vix quidem cum hiſtoria, aut chronologia conciliari poſſunt. De Philaſtrii vita, ac operibus, præter Bellarminum, Dupinium, Cellierium, Oudinium, Caveum, vide, ſi lubet, collectionem Monumentorum Eccleſiæ Brixianæ, juſſu Angeli Cardinalis Quirini Brixienſis Epiſcopi, editam Brixiæ anno 1738.

*Aug. epiſt. ad Quodvultdeum.*

23. Poſtquam Priſcillianus cum ſociis capite damnatus fuit, aliique exilio multati, ut anno proximo diximus, ab Ithacii communione Epiſcoporum plurimi receſſerunt, eo quod adverſantibus Eccleſiæ canonibus, hæreticorum necis apud Maximum Imp. auctor fuerat. At Ithacianæ partis Epiſcopi hoc anno Treviris congregati Ithacium innoxium Eccleſiæque communione dignum cenſuerunt, ut narrat Severus Sulpicius: *Maximus Imperator alias ſane bonus, depravatus conſiliis Sacerdotum*

*Synodus Trevirenſis in cauſa Ithacii.*

*Sever. Sulpic. Dialog. lib. 3. cap. 11.*

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 386.

*dotum, poſt Priſcilliani necem, Ithacium Epiſcopum Priſcilliani accuſatorem, cæteroſque illius ſocios, quos nominari non eſt neceſſe, vi regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cujuſcumquemodi hominem fuiſſe damnatum. Interea Martinus multis, gravibuſque laborantium cauſis ad Comitatum ire compulſus, procellam ipſam totius tempeſtatis incurrit. Congregati apud Treviros Epiſcopi tenebantur; qui quotidie communicantes Ithacio, communem ſibi cauſam fecerunt.*

Martinus Treviros pergit; cum Ithacio invitus communicat.

24. Dum hæc gererentur Treviros inopinato adfuit Martinus, cum: *Tribunos ſumma poteſtate armatos ad Hiſpaniam mittere*, Imperator decreverat, *qui hæreticos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin Sanctorum etiam maximam turbam tempeſtas iſta depopulatura eſſet, parvo diſcrimine inter hominum genera; etenim tum ſolis oculis judicabatur, cum quis pallore potius, aut veſte, quam fide hæreticus exiſtimaretur.* Hæc autem Ithacianæ partis Epiſcopi Martino nequaquam placitura ſentiebant, in id maxime ſolliciti, ne adveniens ab eorum communione ſe abſtineret, alioſque exemplo ſuo ab eorum communione revocaret. Hinc conſilio cum Imperatore inito, miſſis Palatii officialibus, Treviros ingredi prohibetur, niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium adveniſſe promitteret. At ille pace Chriſti ſe eſſe venturum profeſſus, ac in urbem admiſſus, nocturno tempore orationis cauſa in eccleſiam ingreſſus eſt. Palatium deinde petiit, ut pro Narſete Comite, & Leucadio Præſide, quorum ambo Gratiani partium fuerant, a Maximo veniam impetraret. Interea Epiſcopi, quorum communioni Martinus renunciaverat, Maximum adeuntes ſe prædamnatos conqueſti ſunt, ac Priſcilliani morte nihil actum addiderunt, cujus cauſam tantæ auctoritatis vir, cujuſmodi Martinus erat, tutabatur. Quare cum fletu & lacrymis Maximum Imp. rogarunt, ut Martinum geſtis eorum conſentire juberet; Maximus vero tanti viri ſanctitatem reveritus, ne vim inferret, primo ſecreto accerſitum blande tractavit, ac hæreticos jure damnatos more judiciorum publicorum potius, quam inſectationibus Sacerdotum; non eſſe cauſam, qua Ithacii, cæterorumque partis ejus communionem putaret eſſe damnandam. Theognoſtum odio potius, quam cauſa feciſſe diſſidium; eumdemque tamen ſolum eſſe, qui ſe a communione interim ſepararit, a reliquis nihil novatum; quin etiam ante paucos dies habita Synodus Itha-

Ithacium pronunciaverat culpa non teneri. Cumque Martinus his nil moveretur, Rex ira accenſus de conſpectu ſuo eum ejecit, ac percuſſores adverſus eos, pro quibus Martinus rogaverat, dirigit. Quod ubi Martinus accepit, animo conſternatus Palatium irrumpit; ſpondet, ſi parceretur, ſe communicaturum, dummodo Tribuni jam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur; cui Maximus omnia indulſit. Poſtridie Felicis Epiſcopi ordinatio parabatur, cui Martinus quoque interfuit, ac cum Epiſcopis communionem iniit, ſatius exiſtimans ad horam cedere, quam his non conſulere, quorum cervicibus gladius imminebat. Verumtamen ſumma vi Epiſcopis nitentibus, ut communionem ſubſcriptione firmaret nequaquam ceſſit.

25. Poſtridie autem, cum reverteretur, ac mœſtus ingemiſceret, eo quod vel ad horam ceſſiſſet, haud longe a vico, cui nomen eſt *Andethanna*, qua vaſtas ſolitudines Sylvarum ſecreta patiuntur, progreſſis paulum comitibus, ille ſubſedit, cauſam doloris, ac facti accuſante, ac defendente invicem cogitatione pervolvens; eique repente Angelus adſtitit: *Merito*, inquit, *Martine, compungeris, ſed aliter exire nequiſti. Repara virtutem, reſume conſtantiam; ne jam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurreris. Itaque ab illo tempore ſatis cavit cum illa Ithacianæ partis communione miſceri. Ceterum cum quoſdam ex energumenis tardius quam ſolebat, & gratia minore curaret, ſubinde nobis cum lacrymis fatebatur, ſe propter communionis illius malum, cui ſe vel puncto temporis, neceſſitate, non ſpiritu miſcuiſſet, detrimentum ſentire virtutis. Sexdecim poſtea vixit annos, nullam Synodum adiit, ab omnibus Epiſcoporum conventibus ſe removit*, ait Severus de communione S. Martini cum Ithacianis, quam conſtantiſſime vitavit Ambroſius, cum Treviros anno ſequenti adſuit, ut ibidem videbimus.

Martinus cum Ithacianis communicaſſe pœnitet.

26. Honores vero maximos Martino exhibitos fuiſſe ab Imperatore, ejuſque uxore, idem adnotat Auctor, & præcipue quod cum Epiſcoporum plerique ex diverſis partibus eum conveniſſent, & circa Principem omnium adulatio notaretur, in ſolo Martino Apoſtolica auctoritas refulſit, ita ut cum pro aliquibus ſupplicandum Regi fuit, imperavit potius, quam rogavit; & ad convivium frequenter invitatus, abſtinuit, dicens, *ſe menſæ ejus participem eſſe non poſſe, qui duos Impe-*

Imperator Martin. convivio excipit. *Sever. vita S. Martini c. 20.*

*rato-*

Digitized by Google

 *ratores, unum Regno, alterum vita expuliſſet*. Cum vero Maximus, ſe non ſponte ſumpſiſſe Imperium affirmaret, ſed impoſitam ſibi a militibus neceſſitatem, armis defendiſſe; tandem victus vel ratione, vel precibus ad convivium perrexit, cui tanquam ad diem feſtum vocati fuerant illuſtres viri, Præfectus ſcilicet, & Conſul Evodius, Comites duo ſumma poteſtate præditi, frater Regis, & Patruus; medius inter hos Martini Presbyter accubuerat: *Ipſe autem, ſellula juxta Regem poſita conſederat. Ad medium fere convivium (ut moris eſt) pateram Regi miniſter obtulit, ille Sancto admodum Epiſcopo potius dari jubet, expectans, atque ambiens, ut ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus, ubi ebibit, pateram Presbytero ſuo tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet; nec integrum ſibi fore, ſi aut Regem ipſum, aut eos, qui a Rege erant proximi, Presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſque, qui tunc aderant, ita admirati ſunt, ut hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret; celleberrimumque per omne Palatium fuit, feciſſe Martinum in Regis prandio, quod in infimorum Judicum conviviis Epiſcoporum nemo feciſſet*. Maximo autem prædixit Martinus, ut ſi ad Italiam pergeret, bellum Valentiniano Imp. illaturus, ſe primo quidem impetu futurum eſſe victorem; ſed parvo poſt tempore eſſe periturum, quod ſane anno 388. eidem accidit, ut ſuo loco adnotaturi ſumus.

Convivium Auguſtæ Martino exhibitum. *Sever. Sulpic. Dialog. lib. 2. 6.*

27. Maximi Imperatoris in Martinum obſequia longe ſuperavit ejus uxor, ut idem narrat Severus. Cum etenim frequenter ad Palatium Martinus advocaretur: *Diebus, ac noctibus de ore Martini Regina pendebat*: quæ etiam a viro ſuo obtinuit, ut remotis omnibus miniſtris ſola convivium Martino præberet, cui non potuit vir beatus obſtinatius reluctari. *Quare ſellulam ipſa conſternit, menſam admovet, aquam manibus ſubminiſtrat; cibum, quem ipſa coxerat, appoſuit. Ipſe ſolo ſedente, eminus ſecundum famulantium diſciplinam, ſolo fixa conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatem exhibens ſervientis. Miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis aſſumpti, micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens*. Sed de Martini geſtis hactenus.

S. Hieronymus in Ægyptum peregrinatur; Dydimum audit, ac laudat.

28. Menſe Auguſto, flantibus Atheſiis e portu Romano ſolverat Hieronymus, hybernoque tempore Hieroſolymam perve-

venerat; quo cum aliquantulum ſubſtitiſſet, Alexandriam perrexit, ubi Didymi diſcipulus eſſe voluit: *Jam canis ſpargebatur caput*, ait, *& magiſtrum potius, quam diſcipulum decebat; perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum, & in multis ei gratias ago; quod neſcivi, didici; quod ſciebam, illo docente, non perdidi*; & iterum: *Cum eſſem Alexandriæ, vidi Didymum & eum frequenter audivi, virum ſui temporis eruditiſſimum; rogavique eum, ut quod Origenes non fecerat, ipſe compleret, & ſcriberet in Oſeam commentarios; qui tres libros, me petente, dictavit, quinque quoque alios in Zachariam*. Hæc ad Pammachium; & ad ſanctam Paulam: *Denique nuper ob hanc, vel maxime cauſam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia ſciſcitarer*.

Jesu Chr. an. 386. *Hieronym. ad Pammach. ep. 65.*

29. Hunc virum videntem, etſi cœcus eſſet, appellare conſuevit Hieronymus, ac oculos eum habuiſſe columbæ, qui laudantur in Canticis Canticorum, gloriatuſque eſt, ſe eum habuiſſe magiſtrum, nam ad Domnionem: *Gregorium Nazianzenum*, inquit, *& Didymum in Scripturis ſanctis catechiſtas habui*. Aliquot tamen poſt annos, cum Origenis cauſa adverſus Ruffinum ſcriberet, Didymum quoque inter Origeniſtas recenſuit: *In Didymo*, ait, *viro & memoriam prædicamus, & ſuper Trinitate fidei puritatem, ſed in ceteris, quæ Origeni male credidit, nos ab eo retrahimus*. Præclariſſimi viri, cujus fortaſſe nulla infra mentio occurret, Opuſcula, quæ ſuperſunt, ſeu potius fragmenta, edidit Mingarellus, quem Lector conſulat.

De Didymo, ejuſque operibus.

*Hieronym. Apolog. contra Ruffin.*

30. Ad Hieronymum redimus, qui Alexandria excedens, Ægypti monaſteria luſtravit: *Contendi*, inquit, *Ægyptum, luſtravi monaſteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aſpides latere perſpexi*; aſpidum vero nomine Origeniſtas deſignat; quare *Concito gradu Bethlehem meam reverſus ſum, ubi adoravi præſepe, & incunabula Salvatoris. Vidi quoque famoſiſſimum locum, nec me inerti tradidi otio, ſed multa didici, quæ ante neſciebam*; ideſt Hebraicam linguam, ut alibi idem Hieronymus narrat: *Putabant me homines, poſt auditum Didymum finem feciſſe diſcendi, veni rurſus Hieroſolymam, & Bethlehem, quo labore, quo pretio Barſubanum nocturnum habui Præceptorem, timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicomedum*. Quo etiam tempore epiſtolas S. Pauli inter-

Hieronymus Ægyptum peregrinatur, Hieroſolymam redit. *Apolo. contra Ruff.*

*Hier. epiſt. 65.*

Jesu Chr. An. 386. pretari aggreſſus eſt; primum eam, quæ ad Philemonem inſcribitur, deinde epiſtolam ad Galatas, & ad Epheſios, ut in præfatione in dictam epiſtolam, & in epiſtola ad Galatas teſtatur. Dum vero hæc ſcriberet, Albina clariſſima fœmina vivere deſiit, unde idem Hieronymus: *Pauci admodum dies ſunt, ex quo epiſtolam Pauli ad Philemonem interpretatus, ad Galatas tranſcenderam, multis retrorſum in medio prætermiſſis, & ecce ſubito litteræ mihi de Urbe allatæ ſunt, nunciantes & Albinam venerabilem anum præſentiæ Domini redditam, & ſanctam Marcellam matris contubernio deſtitutam.* Hanc piiſſimam fœminam multis ſæpe laudibus celebrat, quam veluti matrem venerabatur.

Hier. præf. in epiſt. ad Galat. lib. 1.

Epiſt. 74. & 100.

S. Paulæ peregrinatio in Ægyptum. Hier. epi. 27.

31. Hieronymum Hieroſolymam properantem S. Paulæ ſubſequuta fuerat, ut anno elapſo diximus; atque hoc anno ejuſdem veſtigia ſequens, Alexandriam, & Ægyptum ipſa quoque peregrinata eſt, ut idem narrat Hieronymus: *Poſt viſam Alexandriam, venit in oppidum domini Nitrian, in quo puriſſimo virtutum nitro ſordes lavantur quotidie plurimorum. Quod cum vidiſſet, occurrente ſibi ſancto, & venerabili Epiſcopo Iſidoro Confeſſore, & turbis innumerabilibus Monachorum,* ex his multos Sacerdotalis, & Levitici ordinis fuiſſe adnotat; Paula vero ſe tantorum virorum præſentia, & conſortio indignam eſſe fatebatur, Macarii ſcilicet, Arſenii, Serapionis, aliorumque, quorum pedibus advolutabatur, non aliter ac ſi Chriſtum in iis videret. Bethlehem deinde reverſa, anguſto per triennium manſit hoſpitiolo, donec extrueret cellulas, ac monaſteria, & diverſorum peregrinorum juxta viam conderet manſiones, ait Hieronymus.

Joann. Chryſoſtomus Presbyter ordinatur.

Chryſoſt. Homil. ad Popul. Antioch. 16. Socrat. lib. 6. 3. Pallad. Chryſoſt. vita.

32. Cum Diaconatus officia per annos aliquot ſanctiſſime adminiſtraſſet Antiochiæ Chryſoſtomus, labenti anno presbyter ordinatus eſt, quo in officio annis duodecim perſeveravit, antequam Epiſcopus fieret, Coſſ. Honorio quartum, & Eutychiano, anno 398., quare cum uno, aut altero ab hinc anno ſeditio Antiochiæ excitata eſſet, ſecundum ſacerdotii ſui annum Joannes numerabat: *Ecce ſecundum hunc annum*, ajebat, *habeo veſtræ differens charitati, &c.* Ab Evagrio Epiſcopo Chryſoſtomum presbyterum ordinatum fuiſſe, tradit Socrates; veroſimilius tamen eſt, a Flaviano Meletii ſucceſſore id muneris accepiſſe.

33. Ut vero presbyter ordinatus fuit, concionandi munus

Digitized by Google

nus eidem a Flaviano demandatum tanta cum omnium admiratione, & laude obivit, ut *Os aureum*, dici meruerit; atque in prima, quam ad populum orationem habuit, cujus initium eſt: *Num vera ſunt, quæ nobis acciderunt*, de concionandi munere tunc ſibi impoſito plura habet. Quanta autem cum laude muneri ſatisfecerit, teſtes ſunt ejuſdem homiliæ, ad populum Antiochenum recitatæ; quæ ſane ornatiſſimum, ac eloquentiſſimum præſeferunt oratorem. Flavianus tamen Epiſcopus ad populum verba facere non ceſſavit, ut ex Chryſoſtomi homilia prima conſtat, nam verba Iſaiæ exponens: *Vidi Dominum*, iſta habet: *Hæc ſervantes redeamus domum; quin potius hæc ſervantes excipiamus perfectiorem Doctoris exhortationem. Nam noſtra quidem, qualiacumque ſunt, habent juventutis oſtentationem: hujus autem, qualiacumque fuerint, majore prudentia ſunt ornata. &c.* Hæc ipſe, modeſte quidem conſultum in omnibus volens Epiſcopi exiſtimationi, & dignitati. Quantum autem profecerit Antiochena Eccleſia his irrigata fontibus, Flaviani ſcilicet, & Joannis Chryſoſtomi exhortationibus, ingens pauperum numerus, qui fidelium oblationibus ſuſtentabatur, demonſtrat, de quibus hæc Chryſoſtomus: *Habens proventum Eccleſia, quot per ſingulos dies viduis ſufficiat, quot virginibus cogita; nam ad trium millium aſcendit numerum earum catalogus, & præter has, quot carcerem inhabitantibus, quot in xenodochio laborantibus, ſanis & peregrinis, corpora habentibus mutilata, &c.*

Joanni Chryſoſtomo concionandi munus demandatur.

*Chryſoſt. hom. 33. ad Populum Antiochenum.*

34. Hoc eodem anno, Theodoſii octavo, S. Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus mortem obivit, cujus memoria apud Latinos, & Græcos illuſtris in Eccleſia perſeverat, tum ob vitæ ſanctitatem, cum ob Catecheſes ad populum recitatas, quibus catholicæ Eccleſiæ dogmata, ac ritus mirifice confirmantur; de quibus plura apud Totte Cyrilli editorem videri poſſunt. Cyrillo ſucceſſit Joannes, de quo ſequentibus annis ſermo fiet.

Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi obitus.

*Hieronym. de vir. Ill. in Cyrillo.*

*De Cyrilli Cathec. vide Moſhem. Inſt. Hiſt. Eccl. ſæc. IV. par. 2. cap. 3. pag. 149.*

35. De Theodoſii geſtis ex Idacio adnotamus, labenti anno Gruthingos, gentes ex Scythia barbaras, in Romanum ſolum irrumpentes, eum viciſſe, de quibus hæc in Faſtis: *Honorio Nob. & Evodio Coſſ. Victi atque expugnati, & in Romania captivi adducti gens Gruthingorum a noſtris, Theodoſio, & Arcadio, deinde cum victoria, & triumpho ingreſſi ſunt Conſtantinopolim die quarto Idus Octobris*: Marcellinus vero narrata

Theodoſii victoriæ, & Leges.

JESU CHR. AN. 386. rata Theodoſii victoria, ſubdit: *Victorque cum Arcadio filio ſuo urbem ingreſſus eſt*. Geſta hæc contra Grothingos pluribus narrat Zoſimus libro quarto. Hoc etiam anno Hæreticos, quibus ſacros cœtus celebrandi jus erat, ſi turbas excitaſſent, pœna capitis plectendos eſſe ſancivit Theodoſius lege Conſtantinopoli lata decimo Kal. Februarii. Lege altera ſepulchrorum integritati conſuluit, & ne Religionis prætextu violarentur, juſſit: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem diſtrahat, nemo mercetur. Habeant vero in poteſtate, ſi quolibet in loco Sanctorum eſt aliquis conditus pro ejus veneratione, quod Martyrium vocandum ſit, addant, quod voluerint fabricarum. Dat. quarto Kal. Martii CP.* His vero & Sanctorum venerationi conſultum voluit; & impoſtoribus, qui Religionis prætextu reliquias falſas ſæpe diſtrahebant, fræna injecit. De Archierosinæ autem officio hæc ſtatuit. *In conſequenda Archieroſyna ille ſit potior, qui patriæ plura præſtiterit, nec tamen a Templorum cultu obſervatione Chriſtianitatis abſceſſerit. Dat. decimo ſexto Kal. Julii CP.* Quid eſſet *Archieroſyna*, ibidem deſcribitur, ideſt *munus, ad cujus curam Templa, & Templorum ſolemnia pertinent*. Quæ cum ad Idolatriæ cultum proxime ſpectarent, Chriſtianis eo munere fungi, Theodoſius prohibuit, utpote chriſtianæ pietati & religioni illicita; unde: *Neque ſacrificet*, (Chriſtianus) *neque ſacrificiis auctoritatem ſuam accomodet, non hoſtia locet, non curas Templorum deleget, non vectigalia eorum procuret; non ſpectacula edat de ſuo, aut de publico, aut edendis præſit*. Sed de Archieroſyna plura apud Gothefridum in dictam legem, aut Pagium videri poſſunt.

*Cod. Theo. leg. ult. de Sepulc. violat.*

*Cod. Theodoſ. leg. 12. de Decurionibus.*

*Tertull. de Idolatr. cap. 17.*

*Pag. n. 7. 8. 9. 10. ad an. 386.*

Valentiniani epiſtola ad Saluſtium de conſtruenda Baſilica Sancti Pauli.

*Cod. Theodoſ. Gothofr. tom. 2. . .*

36. Annalibus digna eſt Valentiniani epiſtola ad Saluſtium Urbis Præfectum hoc anno data, qua veterem S. Pauli Baſilicam a Conſtantino Magno ædificatam, in ampliorem formam reædificari juſſit his verbis: *Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius A. A. A. Saluſtio Urbis Præfecto. Deſiderantibus nobis, contemplatione venerationis, antiquam jam ſacratam baſilicam Pauli Apoſtoli pro ſanctimonia Religionis ornare, pro quantitate conventus amplificare, & pro ſtudio devotionis attollere; gratum fuit tuæ ſublimitatis officium, quod ad inſpicienda univerſa, ut res exigebat, detuliſti, & omnem ſitum, locorumque faciem ſermonis congrui diligentia noſtræ Serenitatis auribus intimaſti*. Poſt aliqua: *Si placuerit tam populo, quam Sena-*

Digitized by Google

*Senatui iter vetus, quod Baſilicæ præterit dorſum; quodque ripæ Tyberis amnis adjacet, innovari, ita ut præſens via ſpatio futuri operis amplificetur; eatenus per architectos favore baſilicæ dirige formam, quatenus ſe planicies exſtructioni amica protulerit, ne ulla inæqualitas ſplendorem fabricæ amplificentioris ſublimet.* Hæc aliaque ad Saluſtium Urbis Præfectum Valentinianus hoc anno. In eamdem rem, hæc in Baſilicæ fornice Inſcriptio legitur:

*Mur. an. 386. Tillemon. hiſt. Imper. tom. 5. pag. 261. Baron. n. 40.*

THEODOSIUS CŒPIT: PERFECIT HONORIUS AULAM DOCTORIS MUNDI SACRATAM CORPORE PAULI. PLACIDIÆ PIA MENS OPERIS DECUS OMNE PATERNI GAUDET PONTIFICIS STUDIO SPLENDERE LEONIS.

Cum autem ex hac inſcriptione conſtet, Theodoſium id opus cœpiſſe, Honorium perfeciſſe, & Placidiam, ſuadente Leone Pontifice, exornaſſe, dicendum eſt, Valentinianum, quod de extruenda Baſilica in votis habuerat, morte præventum nullatenus perfeciſſe, cui operi poſtea Theodoſius cum Romæ adfuit anno 389. manum admovit. Magnificum opus a Theodoſio, & Honorio Imperatoribus extructum, Prudentius his verſibus deſcribit in Hymno Periſtephanon:

*Parte alia titulum Pauli ſervat Oſtienſis*
*Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtram*
*Regia pompa loci eſt; Princeps bonus has ſacravit arces*
*Clauſitque magnis ambitum talentis*
*Bracteolas trabibus ſublevit, ut omnis aurulenta*
*Lux eſſet intus, ceu jubar ſub ortu*
*Subdidit & parias fulvis laquearibus columnas*
*Diſtinguit illic quas quaternus ordo*
*Tunc Camurus hyalo inſigni varie cucurrit arcus,*
*Sic prata vernis floribus renident.*

Sed de his hactenus.



Digitized by Google

Jesu Chr. an. 387.

JESU CHRISTI AN. 387. SIRICII PAPÆ 4.
VALENTINIANI IMP. 13. THEODOSII 9. ARCADII 5.
COSS. VALENTINIANO AUG. III.
ET EUTROPIO.
OLYMP. 291. AN. 3. URBIS AN. 1140.

Ambroſii Legatio ad Maximum.

1. Labenti anno perſecutio a Juſtina Auguſta adverſus Catholicos excitata, non ſolùm ſopita, ſed penitus extincta fuit, ob inopinatam Maximi Imperatoris in Italiam irruptionem; cujus cauſa Juſtina Ambroſium Epiſcopum legatum miſit; hujus ſecundæ Legationis in oratione funebri in honorem Valentiniani Imp. recitata his verbis meminit: *Ego tuus iterum legatus repetivi Gallias, & mibi dulce illud officium fuit, pro ſalute tua primum, deinde pro pace, atque pietate, qua fraternas reliquias poſtulabas, nondum pro te ſecurus, & jam pro fraternæ ſepulturæ honore ſollicitus.* Quanta autem prudentia commiſſum ſibi munus Ambroſius expleverit, & injuſtas Maximi querelas ſacerdotali libertate confutaverit, fraudeſque detexerit, dum pacem ſimulans, bellum adverſus Valentinianum pararet, ejuſdem Ambroſii epiſtola ad Valentinianum data teſtatur, cum adhuc in via eſſet, in qua de rebus geſtis narrat: *Etſi ſuperioris Legationis meæ fides ita approbata ſit tibi, cui non commiſiſſes ſecundam, niſi primam probaſſes; quia tamen egredienti mibi decernendi ſecum impoſuit neceſſitatem, ideo hac epiſtola expoſitionem Legationis meæ inſinuandam putavi, ne cujuſquam ſermo veris prius vana intexerit, quam reditus meus integra, & ſincera veritatis expreſſa ſignaculo manifeſtaret.*

Ambr. in fun. Valentin. tom. 4. p. 258.

Ambroſii geſta cum Maximo. Ambr. ep. 24.

2. *Cum perveniſſem Treviros poſtridie proceſſi ad palatium. Egreſſus eſt ad me vir Gallicanus præpoſitus cubiculi, eunuchus regius; popoſci adeundi copiam. Quæſivit, num reſcriptum haberem clementiæ tuæ. Reſpondi habere. Retulit, non poſſe me niſi in Conſiſtorio videri. Dixi, non eſſe hunc morem Sacerdotalem; certe non eſſe aliqua, de quibus ſecretò deberem cum ſuo Principe confabulari. Quid plura? Conſuluit eum; ſed eadem referenda credidit, ut liqueret etiam priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen, alienum id quidem a noſtro munere, ſed me recepto officio non defuturum, gratam mibi eſſe humilitatem in tuo præſertim, & quod mibi verum*

*rum eſt fraternæ pietatis negotio. Ut ſedit in Conſiſtorio, ingreſſus ſum, aſſurrexit, ut oſculum daret. Ego inter Conſiſtorianos ſteti. Hortari cœperunt alii, ut aſcenderem: vocare ille. Reſpondi ego: Quid oſcularis eum, quem non agnoveris? Si enim me agnoviſſes, non hoc loco videres. Commotus es, inquis, Epiſcope. Non, inquam, injuria, ſed verecundia, quod alieno conſiſto loco. Et prima, inquit, legatione ingreſſus es Conſiſtorium. Nec illud, inquam, mei erroris fuit: vocantis, non ingredientis vitium eſt. Cur,* inquit, *ingreſſus es? Quia, inquam, tunc ut inferiori pacem petebam, nunc ut æquali: Cujus, inquit, beneficio æquali? Reſpondi: Omnipotentis Dei, qui Valentiniano regnum, quod dederat, reſervavit.* His addidit Maximus, ſe ab eo, & Bautone olim fuiſſe illuſum, ne in Italiam deſcenderet, at Ambroſius, ne commoveretur, admonuit, poſt aliqua ſubdens: *Glorioſum mihi eſt hoc pro ſalute pupilli Imperatoris. Quos enim Epiſcopi magis, quam pupillos debemus tueri? Scriptum enim eſt: Judicate pupillo, & juſtificate viduam, &c.* nihilominus nullum ſe eidem, quin in Italiam irrumperet, impedimentum objeciſſe addidit. *Quibus rupibus? qua acie? quibus numeris? An vero corpore meo clauſi tibi Alpes? Utinam hoc meum eſſet: objectionem non timerem, non vererer criminationes tuas.* Vanas deinde inaneſque Maximi querelas longa oratione refellit. Ac neque ſeipſum, neque Bautonem, aut Valentinianum Imp. offendiſſe probavit; unde poſt plurima:

Ambroſ. coram Maximo Valentiniani cauſam tuetur.

3. *Quos ego tuos revocavi exercitus? quas de Italia reflexi aquilas? quos immiſit barbaros Bauto Comes? Et quid mirum, ſi hoc Bauto feciſſet Tranſrhenanus genere, cum tu miniteris Imperio Romano, Barbarorum auxilia, & turmas tranſlimitanas, quibus commeatus provincialium tributa ſolvebant? Vide autem quid interſit inter tuas minitationes, & Valentiniani Auguſti manſuetudinem. Tu flagitabas, quod Barbarorum ſtipatus agminibus Italiæ te infunderes: Valentinianus Hunnos, atque Alanos appropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit. In medio Romani Imperii ſinu Juthungi, & ideo adverſus Juthungum Hunnus accitus eſt. Idem tamen quia de finitimo proterebat Alemanniam, & jam vicinia mali urgebat Gallias, coactus eſt triumphos ſuos deſerere, ne tu timeres. Confer utriuſque factum. Tu feciſti incurſari Rhætias: Valentinianus ſuo tibi auro pacem redemit. Aſpice illum quoque, qui*

*tibi*

Jesu Chr. An. 387.

*tibi ad dexteram aſſiſtit, quem Valentinianus, cum poſſet ſuum dolorem ulciſci, honoratum ad te redire fecit: tenebat eum in ſuis Terris, atque in ipſo nuncio necis fraternæ frenavit impetus; nec tibi vicem, etſi non parilis dignitatis, ejuſdem tamen neceſſitudinis retulit.*

Ambroſ. Gratiani cadaver a Maximo poſtulat.

4. *Ille tibi fratrem tuum viventem remiſit, tu illi vel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi adverſum ſe auxilia non negavit*, ac Maximi Imp. prætextus, ne Gratiani corpus redderet, pluribus confutat, ac cætera, quæ objecta fuerant, eadem libertate refellit Ambroſius, cui etiam crudelitatem ſuam in Gratiani, aut Valentiniani amicos exprobravit; Maximus vero: *Quos*, inquit, *occidi? Reſpondi ei, Balionem: at quem virum? qualem bellatorem? Hæccine fuit juſta cauſa exitii, quod Imperatori ſuo fidem ſervavit? Non ego*, inquit, *eum juſſi occidi. Reſpondi: Hoc audivimus, quod occidi juſſus ſit. Sed*, inquit, *ſi ipſe ſibi vim non intuliſſet, juſſeram, eum deduci Cabillonum, & ibi vivum exuri. Reſpondi: Ergo propterea & illud creditum eſt, quod eum occideris. Quis autem ſibi parcendum putaret, cum occiſus ſit bellator ſtrenuus, miles fidelis, comes utilis?* Cumque Ambroſius Epiſcoporum communionem refugeret, qui cum Maximo communicabant, eorumque, qui Ithacianæ factionis erant; regredi tandem juſſus eſt, ac iter ingreſſus de geſtis cum Maximo Valentinianum admonuit, ac ut caveret hortatus eſt his verbis: *Vale Imperator, & eſto tutior adverſus hominem pacis involucro bellum tegentem.* Cui ſi fidem habuiſſet, Maximus Italiam nequaquam invaſiſſet.

Domninum ad Maximum Valent. mittit.

Zoſim. lib. 4. 42.

5. At imprudens, dum Ambroſii conſilia ſpernit, & alterum ad Maximum Legatum mittit, ſua imprudentia, ad inferendum ſibi in Italia bellum, viam aperuit. Hanc Legationem Domninus ſuſcepit; de cujus infelici exitu hæc narrat Zoſimus: *Itaque Valentinianus Domninum, hanc ob cauſam*, (ad pacem ſcilicet firmiorem ſtabiliendam) *ablegat hominem natione quidem Syrum, ſed notæ melioris familiarem, quippe regni, poteſtatiſque particeps, fide pariter, & uſu rerum præſtare cæteris videbatur: & quicquid alioqui Princeps alio nemine conſcio facere volebat, huic in primis credendum ſtatuerat.* Profectus itaque Domninus, expoſitiſque legationis ſuæ capitibus, non ſolum cum clementia a Maximo exceptus fuit, ſed etiam muneribus ditatus, atque honoris, ſecuritatiſque præ-

Digitized by Google

prætextu, militum turba ſtipatus dimiſſus eſt, eaque arte viam ſibi Maximus in Italiam aperuit. Nam cum exercitu Domninum ſubſequens, ut eum Alpes tranſiiſſe cognovit, nullo reſiſtente in Italiam ingreſſus, Aquilejam uſque copias ſuas perduxit.

*Valentiniani fuga cum Juſtina.*

*Zoſim. ut ſup. cap. 43.*

6. *Valentinianus* vero, ut narrat Zoſimus, tam repentino caſu perterritus, ne in Maximi poteſtatem redactus occideretur, navem ingreſſus, Theſſalonicam profectus eſt cum Juſtina matre, & Galla ſorore. Theſſalonicam autem appulſus, Theodoſium Imperatorem rogavit, ut ſibi opem ferret. Is vero & profugos honorificentiſſime excepit, & Maximum bello perſequi ſtatuit, ut infra videbimus. Hanc Maximi irruptionem in Italiam, ob violatam pietatem, & perſecutionem adverſus Catholicos excitatam, Deo vindice contigiſſe ſcriptorum plurimi adnotant; unde Theodoretus: *Cum Imperator Theodoſius ea, quæ a Valentiniano juniore facta, & quæ a Maximo tyranno ſcripta fuerant*, ad Valentinianum ſcilicet, *cognoviſset, ad profugum adoleſcentem ſcripſit, mirandum non eſſe ſi Imperatori quidem terror, Tyranno vero robur accreſceret, quippe cum Imperator pietati bellum intuliſſet, Tyrannus autem tuliſset auxilium. Itaque is quidem, qui eam deſeruit, nudus fugit, ille vero qui pietatis armis munitus eſt, nudatum vincit: Pietati enim ſemper conjunctus eſt Legiſlator pietatis: & hæc quidem ſcripſit ad illum Theodoſius, dum procul abeſſet: ubi vero de fuga ejus certior factus eſt, ad opem ei ferendam adfuit*; ſed de his anno ſequenti. Theodoſii pietatem erga Valentinianum commendat inter alios Auguſtinus: *Poſt mortem Gratiani, pulſum ab ejus interfectore Maximo Valentinianum ejus parvulum fratrem, in ſui partes Imperii, tamquam Chriſtianus excepit pupillum; paterno cuſtodivit affectu, quem deſtitutum omnibus opibus nullo negotio poſset auferre, ſi latius regnandi cupiditate magis, quam benefaciendi charitate flagraret*; quantis vero laboribus, periculis, & impenſis eum in Regnum reſtituerit, ex dicendis conſtabit.

*Socrat. lib. 5. 11. 12.*
*Sozom. lib. 7. 13.*
*Theodor. lib. 5. 14. 15.*
*Ruffin. lib. 2, 16.*
*Pacatus in panegyr. Theodoſii.*

*Auguſt. de civit. Dei. l. 5. 26.*

Maximus legationem ad Theodoſium Imp. mittit.

7. His geſtis, Maximus ad Theodoſium Imperatorem legationem miſit, ut pacem ab eo peteret; Theodoſius vero viciſſim Maximum rogavit, ut Regnum Valentiniano reſtitueret, quod etſi ignaviæ adſcribit Zoſimus; Theodoſii tamen prudentiæ tribuendum eſt, ut civile bellum Reipublicæ ſemper infauſtum vitaret.

Clades Italiæ a Maximo illatæ.

8. Cæterum Maximi in Italiam adventus repentinus adeo ac

Jesu Chr. An. 387. *Ambroſ. ep. 39.*

ac infauſtus fuit, ut nemine reſiſtente eam peragrando vaſtaverit, ut teſtis eſt Ambroſius in epiſtola ad Fauſtinum circa annum 388. ſcripta, qua de Italiæ cladibus adnotat: *Hoc nobis commune non ſolum cum hominibus, ſed etiam cum civitatibus nempe de Bononienſi veniens urbe, a tergo Claternam, ipſam Bononiam, Mutinam, Rhegium derelinquebas: in dextera erat Brixillum, a fronte occurrebat Placentia, veterem nobilitatem ipſa adhuc nomine ſonans; ad lævum Apennini inculta miſeratus, & florentiſſimorum quondam populorum caſtella conſiderabas, atque affectu relegebas dolenti. Tot igitur ſemirutarum urbium cadavera, terrarumque ſub eodem conſpectu expoſita funera non te admonent unius ſanctæ licet, & admirabilis feminæ deceſſionem conſolabiliorem habendam?* Hæc Ambroſius de Italiæ cladibus, & civitatum everſionibus, quæ in hac Maximi irruptione in Italiam acciderunt. Urbem quoque ipſam in tyranni poteſtatem fuiſſe, Ambroſius teſtatur; dum anno ſequenti hæc ad Theodoſium ſcripſit: *Nonne propterea Maximus deſtitutus eſt, qui ante ipſos expeditionis dies, cum audiſset Romæ Synagogam incenſam, edictum Romam miſerat, quaſi vindex Diſciplinæ publicæ; unde populus chriſtianus ait: Nihil boni huic imminet, Rex iſte Judæus factus eſt &c.* Brevi tamen tempore Italiam Maximus vexavit; nam anno ſequenti Aquilejam uſque obviam Theodoſio factus, vitam cum Imperio amiſit, de quibus ibidem.

*Ambroſ. epiſt. 40. n. 23.*

Auguſtinus ab Ambroſio baptizatur.

*Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. 7. hiſt. Donatiſt. tom. 4., & adverſus Macido tom. 3. pag. 1212. & alibi paſſim. Pag. not. ad Baron. an. 388 n. 9. Murat. Anecdota latina to. I. diſſert. 15. Auguſtin. confeſſ. lib. 9. 6.*

9. Auguſtini converſionem ad Fidem anno elapſo narravimus, cujus Baptiſmum ad labentem annum dilatum fuiſſe, ibidem diximus cum Noriſio, Mabillonio, & Pagio, aliiſque. Itaque, ut advenit tempus, quo dandum erat nomen, ut inter Competentes adſcriberetur, qui Paſchali ſolemnitate ſalutaribus aquis abluendi erant, relicta ſolitudine, ſeu villa Caſſiniaca Mediolanum rediit: *Ubi tempus advenit*, ait ipſe Auguſtinus, *quo me nomen dare oporteret*, relicto rure, *Mediolanum remeavimus. Placuit & Alypio renaſci in te mecum, jam induto humilitate Sacramentis tuis congrua, & fortiſſimo domitore corporis uſque ad Italicum ſolum glaciale, nudo pede obterendum inſolito auſu.* Auguſtino & Alypio adjunctus eſt Adeodatus Auguſtini ex concubina filius, annorum ferme quindecim, admirabilis ingenii adoleſcens, e vivis in adoleſcentia ereptus, ne malitia mutaret intellectum ejus, ut in Confeſſionibus ſuis narrat Auguſtinus. Eoque tempore, addit, *ſatiabar dulcedine mirabi-*

Digitized by Google

*rabili, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter*. Ab Ambroſio autem Epiſcopo ſe baptizatum fuiſſe, gloriatur adverſus Julianum ſcribens: *Adhuc audi alium excellentem Dei diſpenſatorem, quem veneror ut patrem, in Chriſto enim Jeſu per Evangelium ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtro lavacrum regenerationis accepi: Beatum loquor Ambroſium, cujus pro catholica Fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſive operibus, ſive ſermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat prædicare Orbis Romanus*.

JESU CHR. AN. 387.

*Auguſtin. contra Julian. lib. 1. 9.*

De hymno Te Deum laudamus.

10. Poſt ſuſceptum ab Auguſtino Baptiſmum tunc primum *Te Deum laudamus* alternatim ab Ambroſio, & Auguſtino decantatum fuiſſe, vulgaris fert opinio, quæ ex Dacii Mediolanenſis Epiſcopi Chronico deſumpta, in poſteros tranſiit. Hujuſce quidem hymni mentio antiqua eſt, nam in regula S. Benedicti numero 40. legitur: *Poſt quartum Reſponſorium incipiat Abbas hymnum Te Deum laudamus*; & in Triburicenſi Synodo anno 822. celebrata: *Eccleſiaſticus ordo, & Principes laudes referentes hymnum Te Deum laudamus decantabant, & ſic ſoluta eſt Synodus*. At quis ejuſdem auctor fuerit, adhuc in obſcuro eſt, ut apud Cardinalem Bonam, Mabillonium, Menardum, Uſſerium, a Pagio citatos, videre eſt.

*Bybliotb. PP. tom. 9. 644.*

*Bona de Div. pſalm. cap. 16. Mabill. Analect. tom. I. Menard. in Sacram. S. Gregorii. Pag. ad ann. 388. n. 11.*

11. Percepta Baptiſmi gratia, cum Auguſtinus, Alypius, Adeodatus, aliique tota mente Deo ſe dedicaſſent, eorum numero ſe Evodius adjunxit, unde Auguſtinus: *Qui habitare facis unanimes in domo conſociaſti nobis & Evodium Juvenem ex noſtro Municipio, qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te converſus eſt, & baptizatus, & relicta militia ſæculari accinctus eſt, in tua ſimul eramus, ſimul habitabamus placito ſancto. Quærebamus quiſnam locus nos utilius haberet ſervientes tibi; pariter remeabamus in Africam*. Hæc Auguſtinus de communi Deo inſerviendi propoſito.

Evodius Auguſtino in ſancto propoſito ſociatur.

*Aug. Confeſſ. lib. 8. 9.*

12. Dum Mediolani Auguſtinus eſſet, quædam memoria digna ibidem accidiſſe narrat, quæ in Annales referre non inutile erit, ac primum de Profculo chriſtiano, qui invento pecuniæ ſacculo cum ſolidis ferme ducentis: *Memor legis propoſuit pitacium publice. Qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum (erat hæc forma pitacii). Ille, qui plangens circumquaque vagabatur, invento, & lecto pitacio, venit ad hominem*; ac datis apertiſſimis amiſſæ pecuniæ indiciis, Profculus quod invenerat ſponte alacriterque

De Profculo pecuniæ inventore.

*Auguſtin. de verb. Apoſt. Serm. 19.*

Jesu Chr. an. 387.

reddidit. Ille autem, inventa pecunia, vicem rependere cupiens ſolidos viginti obtulit, at inventor recipere recuſavit; obtulit vel decem, noluit accipere, tandem rogavit, ut vel quinque acciperet, noluit ille. Stomachabundus homo projecit ſacculum: *Nihil perdidi*, ait; *ſi non vis aliquid a me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! theatrum Mundus, ſpectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit, continuo totum pauperibus erogavit, unum ſolidum in domum ſuam non dimiſit*. Hæc ipſe in concione ad Hipponenſem populum.

Pater defunctus curat res Filii viventis. *Aug. de cura agen. pro mortuis cap. 11.*

13. Ut vero Defunctos noſtra quandoque audire, atque curare demonſtraret, hanc hiſtoriam a ſe Mediolani auditu acceptam narrat. Cum etenim cautione oblata debitum quoddam, quod, filio neſciente, a patre jam fuerat perſolutum iterum repeteretur, contriſtari filius graviſſime cœpit, atque mirari, quod ei pater moriens non dixerit, quid deberet, cum feciſſet etiam teſtamentum. At filio nimis anxio apparuit pater in ſomniis, & ubi repoſitum eſſet chirographum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis, atque monſtrato, non ſolum falſi debiti calumniam propulſavit, ſed etiam paternum recepit chirographum, quod Pater non receperat, quando eſt perſoluta pecunia. *Hic itaque putatur anima hominis curam geſſiſſe pro filio, & ad eum veniſſe dormientem, ut docens quod ignorabat, a magna eum moleſtia liberaret*. Hæc ipſe Auguſtinus de his, quæ Mediolani commorans noverat.

S. Monicæ obitus.

14. Nunc in Africam redeuntem comitemur, nam non multo poſt ſuſceptum baptiſma, cum Navigio fratre, & Monica matre, Adeodato filio, Alypio, & Evodio comitibus, in Africam redire ſtatuerat. Cumque ad Oſtia Tyberina perveniſſent, Monica morbo correpta obiit hoc eodem anno ante idus Novembris, cum Auguſtinus annum ageret trigeſimum tertium, ut idem teſtatur; ac in Monicæ obitu tota erraſſe via Baronium, qui biennio diſtulit uſque ad annum 389. Noriſius, & Maurini adnotarunt. Piæ fœminæ ad cœlum tranſitum Auguſtinus pluribus proſequitur: *Cum apud Oſtia Tiberina eſſemus*, inquit, *Mater defuncta eſt. Multa prætereo, quia multum feſtino &c.* Illic igitur cum eſſemus *remoti a turbis, poſt longi itineris laborem inſtaurabamus nos navigationi, colloquebamur*

*Confeſſ. lib. 9. 11.*
*Baron. an. 389 n. 2.*
*Auguſt. Confeſſ. lib. 9. cap. 8. 9. 10.*

*bamur ergo ſoli valde dulciter, & præterita obliviſcentes, in ea, quæ ante ſunt, extenti, quærebamus inter nos apud præſentem Veritatem, quod tu es, qualis futura eſſet vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, &c.* & poſt multa de vita beata, mutuo colloquio diſputata: *Fili*, inquit, *quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim, neſcio jam conſumpta ſpe hujus ſæculi. Unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Chriſtianum Catholicum viderem, priuſquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te, etiam contempta felicitate terrena, ſervum ejus videam. Quid hic facio? Ad hæc ei quid reſponderim, non ſatis recolo.* Interea poſt quinque dies, aut non multo amplius decubuit febribus; & cum ægrotaret, quodam die defectum animæ paſſa eſt, & paululum ſubtracta a præſentibus; ſed cito reddita eſt ſenſui, & aſpexit aſtantes, Auguſtinum præſertim, ejuſque fratrem, eoſque cointuens mœrore attonitos: *Ponetis hic*, inquit, *matrem veſtram. Ego ſilebam, & fletum frænabam: frater autem meus quiddam locutus eſt, quo eam non peregre, ſed in patria defungi tanquam felicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio, reverberans eum oculis, quod talia ſaperet, atque inde me intuens: Vide ait, quid dicit! Et mox ambobus: Ponite*, inquit, *hoc corpus ubicumque, niſi vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis.* Attende Lector, adnotat merito hoc loco Baronius, quid optet ſanctiſſima fœmina, non aliud utique, quam quod ſciret in Eccleſia factitari a piis viris, nimirum, ut ſacris Miſſarum Sacrificiis Sacerdotes, & alii, qui iiſdem intereſſent pro animarum Defunctorum ſalute Deo preces offerrent.

JESU CHR. AN. 387.

*Baron.an.389 num. 4.*

15. Admiratione etiam digna eſt Baſnagii Calviniſtæ in eumdem locum nota, dum expoſito piæ Fœminæ deſiderio, ejuſque verbis recitatis hæc addit: *Pietate ſunt, & prudentia tincta verba morientis*. Veritatis quippe tanta vis eſt, ut ab hoſtibus etiam ſuffragium extorqueat; ſi itaque Monicæ verba, Baſnagio teſte, pietate, & prudentia tincta ſunt, cur non & imitatione digna: ut cum auctore librorum Machabæorum, & Eccleſia catholica fateamur: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur?*

Defunctorum animas fidelium precibus ſublevari probatur.

*Baſna.an.387. n. 10.*

*Maccab.lib.2. 12.*

16 Ad

JESU CHR. AN. 387.
S. Monicæ obitus & ſepultura.

16. Ad Monicæ obitum redimus. Quærentibus itaque utrum non formidaret, tam longe a ſua civitate corpus relinquere: *Nihil*, inquit, *longe eſt Deo, neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſæculi, unde me reſuſcitet*; die autem nona ægritudinis ſuæ, quinquageſimo & ſexto ætatis ſuæ anno, trigeſimo tertio Auguſtini, pia & religioſa Monicæ anima e corpore ſoluta in cœlum tranſiit, cujus funus multa cum pietate Auguſtinus celebravit, ut eodem loco pluribus narrat, eamque poſterorum etiam orationibus commendavit, hæc poſt plurima ſubdens: *Inſpira Domine Deus meus, inſpira ſervis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce, corde, & litteris ſervio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ, cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam*. Monicæ memoria die quarta Maji recolitur, licet in obſcuro ſit qua die, vel menſe obierit; ut in Auguſtini vita Maurinus editor, & Noriſius cum Pagio adnotant.

*Auguſt. confeſſ. lib. 9. cap. 12. 13. & ultimo.*

*Pag. ad ann. 389. n. 3.*

Auguſtinus Romam redit quæ ibidem ſcripſerit.

*Auguſt. contra Petil. lib. 3. cap. 25.*
*Auguſt. vita cap. 7. 14. tom. ultim.*
*Auguſt. Retract. lib. 1. cap. 7. 8. 9.*

17. Poſtquam defunctæ matri juſta perſolvit, dilato aliquantiſper navigandi propoſito, Romam Auguſtinus rediit, ibique uſque ad Auguſtum vel Septembrem anni ſequentis ſubſtitit; ac tandem poſt interitum Maximi tyranni in Africam navigavit, eoque tempore opuſcula nonnulla edidit, ut in Retractationibus narrat: *Cum Romæ eſſem*, inquit, *nec ferre tacitus poſſem Manichæorum jactantiam de falſa, & fallaci continentia, vel abſtinentia, qua ſe ad imperitos decipiendos veris Chriſtianis, quibus comparandi non ſunt, inſuper præferunt, ſcripſi duos libros, unum de moribus Eccleſiæ Catholicæ, alterum de moribus Manichæorum*: &c. In eadem Urbe dialogum, in quo de anima multa diſputantur; ideſt, unde, & qualis, vel quanta ſit, cur corpori & quomodo juncta fuerit; qualis efficiatur, cum e corpore abſceſſerit. Sequenti vero capite diſputando quæſivit, unde ſit malum, ratione autem diligenter diſcuſſa, malum non aliunde, quam ex libero voluntatis arbitrio oriri probavit tribus libris, quos de libero arbitrio inſcripſit, *quorum ſecundum & tertium in Africa, jam etiam Hippone regio presbyter ordinatus, ſicut tunc potui, terminavi*, ait Auguſtinus.

Vitæ Sanctitas in Monachis utriuſque Sexus.

18. In libro autem de moribus Eccleſiæ Catholicæ de monaſteriis, monachiſque ea ætate Romæ pietate & eruditione claris, inter cætera hæc adnotavit: *Romæ etiam plura cogno-*

*gnovi, in quibus ſinguli gravitate, atque prudentia, & divina ſcientia præpollentes cæteris ſecum habitantibus præſunt, Chriſtiana caritate, ſanctitate, & libertate viventibus; nec ipſi quidem cuiquam oneroſi ſunt, ſed Orientis more, & Pauli Apoſtoli auctoritate, manibus ſuis ſe tranſigunt. Jejunia etiam prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendi corpus, quod eſt uſquequaque uſitatiſſimum, ſed continuum triduum vel amplius ſæpiſſime ſine cibo, ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, ſed etiam in feminis; quibus item multis viduis, & virginibus ſimul habitantibus, & lana, ac tela victum quæritantibus præſunt ſingulæ graviſſimæ probatiſſimæ, quæ non tantum in inſtituendis componendiſque moribus, ſed etiam inſtruendis mentibus peritæ, ac paratæ. Atque inter hæc nemo urgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt; nulli quod recuſat imponitur; nec ideo condemnatur a cæteris, quod in eis ſe imitandis fatetur invalidum &c.* Hæc, cum Romæ eſſet, vidit, & miratus eſt Auguſtinus, quo tempore ut ad Caſulanum poſtea ſcripſit, didicit etiam, quæ eſſet Romanorum conſuetudo jejunandi quarta & ſexta feria, & Sabbato, præter conſuetudinem aliarum Eccleſiarum, & maxime Orientalium. Hæc autem opuſcula, quæ Romæ ſe edidiſſe teſtatur Auguſtinus, cum in Africam poſtea rediiſſet, eadem retractando correxit, auxit, vulgavitque, ut in Auguſtini vita, & præfatione iiſdem opuſculis præfixa admonent Maurini.

*Auguſt. epiſt. 36.*
*Auguſt. vita cap. 14.*

19. Hoc anno, Antiochia Orientis metropolis, ob ſeditionem excitatam, ira Principis fere periit. Extraordinaria quidem tributa a Theodoſio impoſita, ob decennalia Imperii ſui, filii autem quinquennalia celebranda, ſeditioni excitandæ cauſam dediſſe Antiochenis, narrat Libanius. Alteram tamen ſeditionis cauſam, nec inveriſimilem addit Sozomenus, graviora ſcilicet tributa ob imminens bellum adverſus Maximum gerendum, impoſita fuiſſe, quamobrem concitatus Antiochenorum populus, ſtatuas Imperatoris, atque uxoris ejus dejecit; & fune injecto per urbem traxit, contumelioſa inſuper verba adjiciens, ſicuti a multitudine exacerbata fieri ſolet; in eo tamen erravit Sozomenus, ac Theodoretus, quod ſeditionem Antiochenam ad ea tempora diſtulit, quibus Theodoſius adverſus Eugenium tyrannum expeditionem parabat; quam labenti anno accidiſſe ſcimus, ac pluribus probant chronologorum plurimi.

Antiocheni Theodoſii, & Placillæ ſtatuas dejiciunt
*Libanii orat. ad Ellabichum pag. 527.*
*Sozom. lib. 7. 23.*
*Theodor. lib. 5. 20.*
*Bar. an. 388. n. 2.*
*Valeſ. ibid. ut ſupra.*
*Gothofredus chron. ad Cod. Theod.*
*Pag. in Bar. an. 388.*
*Baſnag. Murat. ibid.*

20. Quam

Jesu Chr. an. 387. Luctuoſus urbis ſtatus. Sozom. lib. 7. 23.

20. Quam luctuoſa tunc fuerit Antiochenſium conditio, pluribus tum Sozomenus, cum Chriſoſtomus narrant, nam ſedato jam furore facti pœnitebant & quaſi mala, quæ nuntiabantur, adeſſent, gemebant omnes, ac lugebant, Deumque precabantur, ut Imperatoris animum placaret; Flavianus vero Antiochenſis Epiſcopus pro civibus ſuis legatione fungens, ut Theodoſii iram frangeret, adoleſcentibus, qui ad Imperatoris menſam canere ſolebant, perſuaſit, ut Cantica, quibus Antiocheni in ſupplicationibus ſuis utebantur, cantarent. Quo facto Imperator in clementiam flexus, iram protinus abjeciſſe, & cum Antiochenſibus in gratiam rediiſſe fertur, ait Sozomenus; ac ſubdit, ea nocte, quæ ſeditionis diem præceſſit, ſpectrum quoddam viſum fuiſſe aerem flagello cœdens, unde adnotat: *Ita exitioſus quidam Dæmon hanc ſeditionem inſidioſe conflavit*. At hæc plebis credulitate fuiſſe vulgata non dubitamus; Baronius vero inter commenta id etiam ablegat, quod Sozomenus narrat de pueris a Flaviano inductis, ut ad Imperatoris menſam lugubres canerent cantilenas, eo quod Chryſoſtomus id ſilentio prǽterierit. Libanium quoque pro Antiochenſibus tunc legationem obiiſſe narrat Zoſimus; atque immerito id negaſſe Baronium Pagius nota 7. ad an. 388. probat.

Bar. 388. 40.

Bar. ut ſup. n. 11. Zoſim. lib. 4.

Cryſoſtom. homiliæ poſt ſeditionem habitæ.

21. De geſtis poſt ſeditionem Antiochiæ, Chryſoſtomum audiamus, qui ad populum eo tempore frequentiſſime verba faciens, cuncta enarrat, iis in orationibus, quas Adriantas Græci nominant, ſeu de ſtatuis, in quarum prima, ſeptimo die a perpetrato facinore habita, hæc præfatur: *Quid dicam, aut quid loquar? lacrymarum præſens tempus, non verborum, luctuum non ſermonum, deprecationis non concionis. Tanta patratorum magnitudo, tam immedicabile vulnus, tam vaſta plaga, & omni medicamine major*... & paulo poſt: *Tacuimus diebus ſeptem, ſicut & amici Job. Date mihi hodie os aperire, & hanc communem lugere calamitatem*, & exagerata diu delicti novitate, & immanitate, ſubdit: *Luctu interdicitur mihi doctrinæ ſermo &c.* lugens ipſe, populum ad pœnitentiam peragendam, & ad luctum pluribus hortatur, cum & quadrageſimæ tempus, & luctuoſa urbis conditio id exigeret.

hom. 1. ad pop. Antioch.

Pœna in Antiochenos illata.

Theod. l. 5. 20.

22. Advenerant interea Antiochiam judices a Theodoſio miſſi, cum feralibus mandatis, Elebicus magiſter militum, & Cæſarius magiſter officiorum, ut ait Theodoretus, qui primum nobiliſſimam civitatem, ac totius Syriæ Metropolim, digni-

dignitate ſua privarunt, ac Syriæ primatum Laodiceæ conceſſere. Inſuper loca publico uſui mancipata, nempe balnea, theatra, fora, & alia id genus clauſere. Inde vero nobilium complures, admiſſi ſceleris vel rei, vel ſuſpecti, in carcerem & vincula conjecti ſunt; eorumque bona a fiſco occupata; tortores deinde, tormentaque parata, atque quæſtiones atrociſſimæ inceptæ ſunt.

JESU CHR. AN. 387.

23. Dum eo res eſſent, ut vix tetrior urbis ſtatus, & facies eſſe poſſet, inſperato auxilium adfuit; nam monachorum plurimi, qui hactenus montes urbi proximos incoluerant, audito urbis periculo, facto agmine Antiochiam convolarunt, ut afflictis, & periclitantibus opem ferrent: *Cum veniſſent, qui Imperatoris minas adferebant, Elebychus ſcilicet tunc magiſter militum, & Cæſarius magiſter Officiorum, maximo in metu omnes verſabantur, minas Principis formidantes*, ait Theodoretus; *ſed virtutis Athletæ, qui ad radices montis habitabant, multi autem tunc erant, ac præſtantiſſimi, multis monitis, multiſque precibus apud illos uſi ſunt.*

Monachi afflictæ urbi opem ferunt.

*Theodor. lib. 5. 20.*

24. Macedonius, præ cæteris inter eos celeberrimus, nec Imperatoris metu exterritus, nec eorum, qui miſſi fuerant, poteſtatem conſiderans, media in urbe clamidem alterius apprehendens, utrumque ex equo deſcendere juſſit. Illi autem hominem, aſpectu habituque deſpicabilem intuentes, principio quidem indignati ſunt, ſed cum quidam præcedentium de eximia hominis virtute eos admonuiſſent, equis deſilierunt, & genua ejus amplexi, veniam poſtularunt. Tum ille divina ſapientia refertus hujuſmodi ad eos verba fecit: Viri amici, nunciate hæc Imperatori: *Homo es, non Imperator dumtaxat; proinde noli ad Imperium ſolum attendere, ſed naturam etiam conſidera. Homo enim cum ſis, ejuſdem naturæ conſortibus imperas. Porro hominum natura ad imaginem, ac ſimilitudinem Dei condita eſt. Ne igitur imaginem Dei adeo crudeliter, atque atrociter jugulari præcipias. Offendes enim Artificem, ſi ejus imaginem ſupplicio affeceris.* Æneam quippe ſtatuam tanti non eſſe addidit, ut pro ea animatæ Dei imagines deſtruendæ eſſent; cum præcipue æneæ imagines, aut ſtatuæ refici facile poſſent, nequaquam vero animatæ, ideſt homines, quos poſt mortem nulla hominum poteſtas ad vitam revocare poteſt. Quare his rationibus effecit Macedonius, ut ab inferendis ſuppliciis ceſſarent. Sanctorum Monachorum in di-

Macedonius judicum iram reprimit



Digitized by Google

JESU CHR. AN. 387. cendo; & agendo libertatem, piamque ut ita dicam temeritatem, digno præconio celebrat Chryſoſtomus, hæc inter cætera narrans: *Quando a Rege miſſi ad commiſſorum inquiſitionem, tremendum illud conſtituere judicium, omneſque ad maleſactorum pœnas vocabant, & variæ mortis omnibus erat expectatio, tunc vertices montium habitantes Monachi propriam exhibuere ſapientiam. Namque tot annis in cavernis ſuis concluſi, nemine advocante, ſuadente nemine*, tabernacula, ſpeluncaſque ſuas derelinquentes, in civitatem convolarunt, velut Angeli quidem de Cœlo profecti. Nec verbis tantum dolore oppreſſos conſolabantur; ſed etiam cum fiducia loquentes, reis veniam impetrarunt, ut eodem loco S. Doctor longa oratione proſequitur, eadem fere commemorans, quæ Theodoretus, de Macedonio, aliiſque Monachis narrat.

*Chryſoſt. hom. 17. ad Popul. Antioch.*

Luctuoſus urbis ſtatus in melius mutatus.

25. Obtenta a Judicibus dilatione, ad Imperatorem legationem mittere Antiochenſes deſtinarunt: Flavianus eorum Epiſcopus id muneris ſuſcepit, quo factum eſt, ut, ſpe veniæ concepta, reſpirare aliquatenus cœperint. Unde ad populum Sermonem habens Chryſoſtomus, de mutatione, quae eo quatriduo acciderat, ajebat: *Quale praeteritum videmus quatriduum, & quale nunc videmus præſens? Quanta in illo obſcuritas tunc erat? quanta nunc in præſenti tranquillitas?* multa in eamdem rem addens, ac, ut ingentes Deo gratiæ redderentur, populum hortatur, *Gratias igitur agamus &c.* Ubi etiam, quanta id importunitate Monachi & Sacerdotes exegerint a Judicibus, pluribus narrat: *Non Monachi tantum, verum & Sacerdotes eamdem præſliterunt animi magnitudinem, noſtramque diſpenſavere ſalutem.*

*Chryſoſt. hom. 18.*

De Flaviani legatione ad Theodoſium Imp.

26. De Flaviani autem ad Theodoſium legatione, cum plura ad populum habeat Chryſoſtomus, eximiam præcipue ejuſdem pro grege ſuo charitatem commendat; cum nulla valetudinis, aut ſenectutis ratione habita tantum ſuſcepit iter: *Quando ad ſedem hanc derelictam, & Magiſtro vacuam reſpicio, gaudeo ſimul, & lacrymo: Lacrymo quidem, quod præſentem non video patrem; gaudeo autem, quod pro ſalute noſtra profectus eſt, & tantum abiit populum a furore Regis erepturus &c.* eoſque hortatur, ut pro felici exitu precibus apud Deum agerent. *Supplicemus*, inquit, *ipſi, & ad ipſum legationem mittamus; & Regis animum penitus corripiet, & ab omni nos inſtanti anguſtia liberabit. Pater illic legationem obit*,

*Chryſoſt. ho. 3.*

*obit*; *nos hinc ad Cœlorum Regem mittamus legationem*, *ipſum precibus adjuvemus*. Homilia autem vigeſima adnotat, quod dum iter ageret Flavianus, ac judices a Theodoſio miſſos ad vindictam pro ſcelere exercendam inveniret, immenſo dolore tactus, lacrymarum fontes emiſit, & ut civitati miſereretur, ferventiori ſtudio Deum exoravit. *Homil. 20.*

*Flaviani ad Theodoſium oratio.*

27. Ut vero Regiam urbem advenit, *& regias ingreſſus eſt aulas*, *procul a Rege conſtitit mutus*, *lacrymans ac deorſum inclinatus*, *tanquam ipſe eſſet*, *qui omnia illa patraſſet*; *hoc autem faciebat*, *habitu*, *aſpectu*, *luctibus*, *prius movere volens ipſum ad miſericordiam*, *& tum defenſionem pro nobis incipere*. Quare poſt plurima *Rex conſpicatus lugentem*, *& deorſum inclinatum*, *accerſit ipſe*, *& quod patiebatur propter Sacerdotis lacrymas*, *hoc verbis oſtendit*: *non enim indignantis*, *nec iraſcentis verba fecit*, *ſed dolentis*, *non ſuccenſentis*, *ſed mœrentis*, *& dolore magis detenti*. Theodoſii deinde querelas ad Flavianum habitas exponit, quibus id præcipue exageravit, quod ne mortuis quidem pepercerint, dum ſcilicet Flaccillæ uxoris ſuæ defunctæ ſtatuas Antiocheni dejeciſſent, ac deturpaſſent. His vero Flaviani orationem ſubdit, qua precibus, multiſque lacrymis Theodoſium ad clementiam flectere conatus eſt; cui inter cætera egregium Conſtantini exemplum in medium adduxit, cujus ſtatua cum aliquando lapidata fuiſſet, ob idque facinus ad vindictam plurimi inſtigarent addentes, quod omnem ipſius faciem ſaxis convulneraſſent, manu faciem palpans, & leniter ridens, dixiſſe fertur: *Ego nuſquam vulnus in fronte factum video*, *ſed ſanum quidem caput*, *ſana vero & facies tota*. *Illi vero reveriti*, *& confuſi ab hoc iniquo deſiſtere conſilio*. His commemoratis, Flavianus ſubdidit: *Quid autem opus eſt*, *Conſtantinum*, *& aliena exempla commemorare*, *cum de te & propriis meritis tuis opus ſit exhortari*? *Recordare priorum*, *quando Solemnitate hac*, *nempe Paſchali ſuperveniente*, *per totum Orbem terrarum epiſtolam miſiſti*, *jubentem carcere detentos dimitti*, *& ipſis ignoſci crimina*; *& illis humanitatem tuam demonſtrare non ſufficientibus per litteras dicebas*. *Utinam mihi liceret*, *& defunctos revocare*, *& reſuſcitare*, *& ad priorem vitam reducere*. *Horum nunc reminiſcere verborum*. *Ecce tempus defunctorum revocandorum & reſuſcitandorum*, *& ad vitam reducendorum priſtinam*. *Et hi namque jam mortui ſunt*, *priuſquam* *Homil. 20.*

 *judi-*

Jesu Chr. An. 387.

*judicium proferatur, & ad ipſas tartari fores jam nunc civitas collocata eſt; ipſam igitur inde reſuſcita ſine pecuniis, ſine impendio, ſine tempore, & omni labore. Tibi namque ſatis eſt, tantum loqui, & revocare in tenebris jacentem, &c.* Poſt multa in eamdem rem brevitatis ſtudio prætermiſſa, apud Chryſoſtomum, vel Baronium videnda, tandem narrat, qua ratione Flavianus Theodoſium ad clementiam erga Antiochenos ita flexit, ut omnem iis injuriam remiſerit, ac Flavianum Antiochiam quantocius redire juſſerit, ut Antiochenſes non ſolum timore & periculo liberaret, ſed etiam præſentia ſua recrearet.

*Baron.* 388. n. 31. ad 38. *Chryſoſt. hom.* 20.

Flaviani reditus, & Antiochenorum lætitia. *Chryſoſt. hom.* 21.

28. Opportune autem Antiochiam rediit Flavianus, ut Paſchale feſtum cum ſuis celebraret; quo tempore Chryſoſtomus ad populum verba faciens, hoc uſus eſt exordio: *A verbo, quo ſemper in periculorum tempore apud charitatem veſtram exordiri conſueveram, ab eodem, inquam, & hodie apud vos ſermonem incipiam, & dicam vobiſcum: Benedictus Deus, hanc nos vobiſcum ſacram ſolemnitatem cum gaudio, & lætitia multa hodie celebrare dignatus, & qui caput corpori reddidit, & Paſtorem ovibus, Præceptorem diſcipulis, militibus Ducem, ſacerdotibus Pontificem. Benedictus Deus, qui ex ſuperabundanti facit, quæ petimus, aut cogitamus. Nobis enim ſufficere videbatur, inſtantibus malis interim abſolvi, & pro hoc omnem faciebamus ſupplicationem: clementiſſimus autem Deus & datis petitiones noſtras ſemper multo exceſſu ſuperans, etiam patrem nobis omni celerius reddidit; quis enim expectaſſet, quod tam paucis diebus & profecturus, & Regem allocuturus, & ſoluturus adverſa, & rurſus ad nos tam brevi reverſurus eſſet, ut ſacrum Paſcha poſſet prævenire, & nobiſcum celebrare? Sed en inexpectatum hoc factum eſt, & patrem recepimus, & majorem capimus voluptatem, ipſum nunc præter ſpem ſuſcipiendo. Pro his, inquam, omnibus clementiſſimo Deo gratias agamus, &c.* Sed de rebus Antiochiæ hoc anno geſtis hactenus.

JESU CHRISTI an. 388. Siricii Papæ 5.
Valentiniani Imp. 14. Theodosii Imp. 10.
Arcadii Imp. 6. Coss. Theodosio Aug. II.,
Et Cynegio
Olymp. 291. an. 4. Urbis an. 1141.

Theodoſii expeditio adverſus Maximum, de ejus exitu Joannem Monachum conſulit.

1. Theſſalonicæ hyemaverat Theodoſius, in expeditione adverſus Maximum paranda intentus, nec otioſus ſteterat Maximus; quin coacto exercitu, eoque validiſſimo, inſtante vere, Theodoſio, ſuperatis Alpibus, obviam ierat, ut eum ab Italiæ ingreſſu prohiberet; eodemque tempore, ne navali fortaſſe bello aggrederetur, per Andragathium mare occupavit. At Theodoſius rem magni momenti, dubiæque aleæ aggrediens, pietatis operibus divinum ſibi auxilium conciliare ſategit. Inter cætera Legatos in Ægyptum miſit ad ſanctos Anachoretas, ut ſe, ſuaque eorum precibus commendaret. Præ cæteris vero Joannem ſanctiſſimum Monachum, quem S. Hieronymus magnopere laudat, de dubio belli eventu conſulendum cenſuit: *Cum Maximum terribilem faceret ille ſucceſſus* (nempe obitus Gratiani, & fuga Valentiniani) *hic* (Theodoſius ſcilicet) *in anguſtiis curarum ſuarum non eſt lapſus ad curioſitates ſacrilegas, atque illicitas, ſed ad Joannem in Ægypti eremo conſtitutum, quem Dei ſervum prophetandi ſpiritu præditum, fama crebreſcente didicerat, miſit, atque ab eo nuncium victoriæ certiſſimum accepit*, ait Auguſtinus; eademque Ruffinus, & Evagrius, qui alteram Joannis prædictionem his verbis narrat. *Quodam tempore cum gens Æthiopum Romanum militem circa Cyrenem* (quæ prima eſt ex Æthiopiæ partibus Thebaidis civitas) *incurſaret, & ſtrages plurimas noſtrorum dediſſet, prædamque duxiſſet; venienti ad ſe Romano Duci, & metuenti confligere cum eis, eo quod exiguus ipſi erat militum numerus, & hoſtilis contra ſe innumera multitudo, Joannes ſtatutum deſignans diem: Perge*, inquit, *ſecurus, die enim, qua dixi, & hoſtem proſternes, & ſpolia capies, prædamque revocabis. Quod cum fuiſſet impletum, etiam apud Auguſtum quod carus, acceptuſque futurus eſſet, prædixit.* Hactenus de his Evagrius.

*Hieronym. ad Cteſph. Auguſtin. de Civit. Dei lib. 5. 26.*

Theodoſii leges contra hæreticos

2. Ante expeditionem, cum adhuc Theſſalonicæ eſſet Theodoſius, contra hæreticos leges vulgavit, quarum altera *dat. VI. idus Martii Theſſalonicæ Theodoſio Aug. II. & Cynegio*

*Cod. Theodoſ. de hæretic. l. 14.*

JESU CHR. AN. 388.

*gio Coſſ.* Apollinarianos , ceteroſque diverſarum hæreſum ſectatores ab omnibus locis arceri juſſit , a mœnibus urbium ſcilicet , a congreſſu honeſtorum , a communione Sanctorum , & ne collectas vel in publicis , vel in privatis eccleſiis celebrarent , aut Epiſcopos quolibet in loco ordinarent , juſſit ; quibus etiam Imperatorem adeundi , aut interpellandi aditum denegavit . Ac rurſus adverſus Arianos ſpeciatim ſanxit , ut quælibet ſanctio in eorum commodum data irrita haberetur , Falſi pœna ſtatuta in eos , qui contrafecerit ; qua lege quæcumque ſub Arianis Imperatoribus , Conſtantio ſcilicet , Valente , aut Valentiniano juniore in Arianorum gratiam conceſſa fuerant , irrita omnino eſſe voluit .

Maximus a Theodoſio debellatus , Aquilejæ captus occiditur. *Zoſim. lib.* 4. 45.

3. His armis inſtructus Theodoſius obviam Maximo ivit , cujus exercitum apud Siſciam primo vicit ; unde Pacatus in panegyrico : *Teſtis eſt Siſcia , teſtis pulcherrimus conflictus , ſi conflictus ille dicendus eſt , quo ita in publicos proditores animi plenus miles invaſit , ut eum nec numerus reſiſtentium , nec maximi fluminis altitudo remorata ſit* . Pugnæ Maximus non interfuit , quod utique Pacatus non omiſiſſet . Alteram deinde Theodoſius victoriam adeptus eſt Petavione in Pannonia , quo in loco , ut idem Pacatus narrat , *nullus finis cædendi , inſequendique , niſi ſubſtraxiſſet aliquando victoribus mors hoſtem , & nox diem , &c.* Occupata hinc Hemona , quæ victori portas aperuit , Aquilejam Theodoſius tranſiit , ubi Maximus poſt acceptas clades furens ſeſe receperat cum reliquiis exercitus ſui . At cum ad muros acceſſiſſet Theodoſius , in eam aditum ſibi fecerunt Theodoſii milites , a quibus *Maximus Imperatorio ſolio deturbatus , cum pecuniam in milites ſuos partire cœpiſſet , habitu Imperatorio exutus , ad Theodoſium deducitur* , ait Zoſimus ; inde vero *ab oculis* ( Imperatoris ) *rapitur , & ne quid licere poſſet clementiæ , inter innumeras manus fertur ad mortem* , ait Pacatus . De die , qua occiſus eſt Maximus , diſſident Idacius in Faſtis , & Socrates , nam primus : *Hoſtis publicus* , inquit , *Maximus Tyrannus , occiſus eſt a Theodoſio Auguſto in milliario tertio de Aquileja quinto Kal. Aug.* Socrates vero die ſexta Kal. Septemb. Maximi ſupplicium alligat . Cum Maximo periit & filius ejus , quem in Galliis reliquerat : *Poſt paucos dies* , ait Zoſimus , *filius ejus victor occiditur in Galliis a comite Theodoſii* . Nec meliora Andragatio navium Præfecto fata conceſſere ; nam , teſte Oroſio , *cognita Ma-*

*Zoſim. ut ſup.*

*Oroſ. lib.* 7. 35.

*ta Maximi nece, præcipitem ſeſe e navi in undas dedit, & ſuffocatus eſt.*

4. Summa etiam in victos clementia uſus Theodoſius, illuſtriorem victoriam reddidit: *Paucis Maurorum hoſtium, quos ſecum, velut agmen infernum moriturus incluſerat*, ait Pacatus, *& duobus, aut tribus furioſi Gladiatoris laniſtis in belli piaculum cæſis, reliquos omnes venia complexa, velut quodam materno ſinu clauſit*. Nullius itaque bona publicata ſunt, nullis adempta libertas, nulli dignitas imminuta: cuncti domibus ſuis, conjugibus, ac liberis reſtituti ſunt. In ipſos etiam Maximi proquinquos quanta præſtiterit Theodoſius, narrat Ambroſius: *Inimici tui filias revocaſti, nutriendas apud affinem dediſti; matri hoſtis tui miſiſti de ærario tuo ſumptus*. In altera vero epiſtola, quanta a Deo beneficia in hac contra Maximum expeditione acceperit, in memoriam revocat, hiſce eum verbis Dei nomine interpellans: *Ego tibi inimicum tuum in poteſtatem tuam captivum deduxi; frumentum non habebas ad exercitus alimoniam, ipſorum hoſtium manu patefeci tibi portas, aperui horrea, dederunt tibi hoſtes tui commeatus ſuos, quos ſibi paraverant. Ego perturbavi hoſtis tui conſilia, ut ſe ipſe nudaret. Ego ipſum uſurpatorem Imperii ita vinxi, ut mentem ejus ligavi, ut cum haberet adhuc fugiendi copiam, tamen cum omnibus ſuis tamquam metuens, ne quis tibi periret, ipſe ſe clauderet*. Hæc idcirco Ambroſius, quod cum liberum fuiſſet Maximo repetere Gallias, ſe incluſerat Aquilejæ; ut merito de eo Pacatus: *In Oppidum ſemet Aquilejenſe præcipitat, non ut vitam funderet reſiſtendo, ſed ne pœnam fruſtrando differret &c.* His Ambroſius in eamdem rem multa ſubdit, ac tandem de tribus Theodoſii victoriis Francorum, & Saxonum ope reportatis, addit: *Ille igitur*, nempe Maximus, *ſtatim a Francis, & a Saxonum gente in Sicilia*, ubi Andragathius cum claſſe erat, *Sciſciæ, Petavione, ubique denique terrarum victus eſt.*

Theodoſii in victos clementia.

*Pacatus in Panegyr. Theod.*

*Ambroſ. epiſt. 40. in fine.*

*Ambroſ. epiſt. 40. n. 22.*

5. Inde etiam ſummam ſibi gloriam adeptus eſt Theodoſius, cum Occidentale Imperium armis, & virtute ſua a Maximi tyrannide vindicatum, Valentiniano reſtituit, cujus egregium facinus commendans Auguſtinus ajebat: *Mox tyranni Maximi extinctor, Valentinianum puerum Imperii ſui partibus, unde fugatus fuerat, miſericordiſſima veneratione reſtituit*, ac ad catholicam Fidem, a qua, Juſtina hortante, defecerat, revocavit, cui hæc dixiſſe Suidas narrat: *Imperatoriam aciem ſtare*

Theodoſius Valentiniano Imperium reſtituit.

*Auguſt. de civit. Dei lib. 5. 26.*

*Suidas in verbo Valentiniano.*

Digitized by Google

JESU CHR. ANN. 388.

*ſtare non armis, ſed juſtis cauſis. Et novi*, inquit, *Valentiniane, religioſiſſimos Imperatores, quieſcente exercitu, victoriam obtinuiſſe, & hoſtes ſubactos, tributarios factos eſſe*, quod etiam præcedentium Imperatorum exemplis confirmavit.

Juſtinæ Imp. obitus.

Murat. Baſnag. ad a. 388. Proſper in Chron. Zoſim. lib. 4. 47. Ruff. lib. 2. 17.

6. Tantæ felicitatis particeps nequaquam fuit Juſtina Auguſta, quæ utpote malorum omnium auctrix, quæ filium ſuum Arianæ impietatis fermento infecerat, atque ad perſecutionem in Catholicos exercendam impulerat; ita impietatis ſuæ pœnas dedit, cujus obitum labenti anno Proſper in chronico alligat: *Juſtina, quæ Eccleſias vexaverat, ne Regnum cum filio reciperet, morte præventa eſt*; neque audiendus eſt Zoſimus, qui, reſtituto in Imperium Valentiniano, eidem a conſiliis fuiſſe tradit; niſi dicamus ad breviſſimum tempus eo munere perfunctam fuiſſe. Cæterum labenti anno eam obiiſſe cum Proſpero tradit Ruffinus, auctoritate, & ætate Zoſimo fide dignior.

Theodoſius Maximi geſta irritat.

Cod. Theod. de infirm. his, quæ ſub tyranni leg. l. 9.

7. Reſtituta tandem Occidentali Imperio tranquillitate, Maximi geſta Theodoſius irrita declaravit ad Tripholium Præfectum prætorii ſcribens: *Nullus ſibi honorem audeat vindicare, quem tyrannica conceſſit audacia; ſed ad priſtinum ſtatum damnata præſumptio revocetur, dat. X. Kal. Octob. Aquilejæ Theodoſio II. & Cynegio Coſſ.* & iterum cum eſſet Mediolani: *Omne judicium, quod vafra mente conceptum, non jura reddendi Maximus infundiſſimus tyrannorum credidit promulgandum, damnavimus. Nullus igitur ſibi lege ejus, nullus judicio blandiatur, dat. VI. id. Octob. Mediolani Theodoſio Aug. II., & Cynegio Coſſ.*

Theophili Epiſcopi Alex. Subdola legatio ad Imperatorem.

Socrat. lib. 6. 2.

8. Dum hæc in Occidente agerentur, cum adhuc in incerto belli exitus eſſet, Theophilus Alex. Epiſcopus, ut victorem Principem ſibi promereretur, Iſidorum legatum cum muneribus in Occidentem miſit; cui duas litteras ſubdolus vir dederat, *mandans, ut victori munera ſimul ac litteras offerret; quibus mandatis obſequens Iſidorus, cum Romam veniſſet eventum belli expectabat. Verum ea res diu latere non potuit, nam lector, qui eum comitabatur epiſtolas clam ſurripuit. Quo facto conterritus Iſidorus illico aufugit Alexandriam. Hæc fuit cauſa, cur Theophilus Iſidoro tantopere ſtuderet*, ait Socrates.

Ariani Conſtantinopoli tumultuantur

Socrat. lib. 5. 13.

9. Ariani vero, ut idem narrat, cum Imperator in expeditione bellica occupatus eſſet, tumultum Conſtantinopoli excita-



Digitized by Google

citarunt; cum etenim de bello, quod procul gerebatur, varie pro libitu confingentes divulgaſſent, Tyrannum de Imperatoris exercitu victoriam retuliſſe; reſumpta fiducia in apertam, erupere inſaniam, domumque Epiſcopi Nectarii conjectis facibus Ariani incenderunt. *Id factum eſt Theodoſio Auguſto iterum, & Cynegio Coſſ.* ideſt hoc anno. Cum vero Conſtantinopoli vulgatum eſt, Theodoſii armis Maximum periiſſe, tunc Ariani timore perterriti Arcadium Theodoſii filium, quem Conſtantinopoli reliquerat, ſupplices adierunt, ut apud patrem veniam impetraret; quam facile a piiſſimo Principe obtinuerunt; unde Ambroſius ad Theodoſium: *Conſtantinopoli dudum*, inquit, *domus Epiſcopi incenſa eſt, & filius Clementiæ tuæ interceſſit apud patrem, ut & ſuam, hoc eſt, filii Imperatoris injuriam, & domus ſacerdotalis incendium non vindicares &c.*

*Ambroſ. epiſt. 40. n. 13.*

DeJudæorum ſynagoga, & Valentinianorum templo a chriſtianis incenſo Ambroſii epiſtola.

*Ambroſ. vita p. 58. tom. 4.*
*Ambroſ. epiſt. 40. n. 6.*

9. Dum vero Mediolani Theodoſius eſſet, Ambroſius Aquilejam profectus eſt, quo cum eſſet epiſtolam ad Imperatorem dedit, expoſtulans, ut reſcriptum ab eo datum de reficienda a Chriſtianis Judæorum ſynagoga, quam incenderant, & templo Valentinianorum, revocaret, quem ideo his verbis hortatur: *Relatum eſt a Comite Orientis militarium partium incenſam eſſe ſynagogam, idque auctore factum Epiſcopo. Juſſiſti vindicari in cæteros, ſynagogam ab ipſo ædificari Epiſcopo. Non aſtruo expectandam fuiſſe aſſertionem Epiſcopi: Sacerdotes enim turbarum moderatores ſunt, ſtudioſi pacis, niſi cum & ipſi moventur injuria Dei, aut Eccleſiæ contumelia. Sit aliquis iſte Epiſcopus ferventior in exuſtione ſynagogæ, timidior in judicio; non vereris, Imperator, ne acquieſcat ſententiæ tuæ, ne praevaricetur non times? Non etiam vereris, quod futurum eſt, ne verbis reſiſtat Comiti tuo? Neceſſe erit igitur, ut aut prævaricatorem, aut martyrem faciat; utrumque alienum temporibus tuis, utrumque perſecutionis inſtar, ſi aut praevaricari cogatur, aut ſubire martyrium. Vides quo inclinet cauſæ exitus ſi fortem Epiſcopum putas, caveto martyrium fortioris; ſi inconſtantem, declina lapſum fragilioris; plus enim aſtringitur, qui labi infirmum coegerit.* Deinde non ſolum veniam petit, ſed & factum excuſat, ſeque pro tali crimine reum dicit: *Quid mandas*, inquit, *in abſentes judicium? habes præſentem, habes confitentem reum: Proclamo, quod ego ſynagogam incenderim;* illicitum tamen eſſe tradit, ex chriſtianorum facultatibus ſy-

JESU CHR. AN. 388.

nagogam ædificari, unde poſt aliqua: *Erit igitur locus Judæorum perfidiæ factus de exuviis Eccleſiæ, & patrimonium, quod favore Chriſti adquiſitum eſt Chriſtianis, hoc transferretur ad donaria perfidorum... Hunc titulum Judæi in fronte ſynagogæ ſuæ ſcribent: Templum impietatis factum de manubiis chriſtianorum; &c.* Nec ob incenſam in viliſſimo loco domum tantæ commotioni locum eſſe oſtendit, cum alias magnificæ domus incenſæ fuerint, aut eccleſiæ, nuſpiam autem vindicatum fuerit crimen.

Quid Ethnici, & Judæi alias contra Eccleſias egerint.

10. Poſt aliqua hæc etiam addit: *Certe ſi jure gentium agerem, dicerem quantas Eccleſiæ baſilicas Judæi tempore Imperii Juliani incenderint*, duas ſcilicet Damaſci, quarum una vix reparata fuit, ſed Eccleſiæ non ſynagogæ impendiis; altera informibus adhuc horrebat ruinis. Incenſæ ſunt baſilicæ Gazis, Aſcalonæ, Beryto, & illis fere locis omnibus, & vindictam nemo quæſivit: incenſa eſt baſilica & Alexandriæ a Gentilibus, & Judæis, quæ ſola præſtabat ceteris, nec tamen uſquam vindicata eſt Eccleſia. *Quare vindicabitur Synagoga? vindicabitur etiam Valentinianorum fanum incenſum?* Imperatorem deinde admonet, ne ob incenſam Judæorum ſynagogam, & Valentinianorum templum pœnam ſumeret; eique in memoriam revocat, quot a Deo beneficiis cumulatus fuerit, dum hoc anno adverſus Maximum tanta proſperitate pugnaverat, ac ſubdit ideo Maximum victum fuiſſe, quia paucos ante expeditionis dies, cum audiſſet Romæ Judæorum ſynagogam incenſam, edictum Romam miſerat, ut a Chriſtianis reficeretur; ac tandem epiſtolam his verbis claudit: *Ego certe quod honorificentius fieri potuit, feci, ut me magis audires in Regia, ne ſi neceſſe eſſet, audires in Eccleſia*; ideſt ne ſi fortaſſe hanc privatam admonitionem ſprevifſet, publice, & in eccleſia redargui mereretur, uti revera accidit.

Ambroſius Theodoſium publice redarguit. *Paulinus Ambr. vita tom. 4. p. 7.*

11. Mediolanum itaque reverſus Ambroſius, ut Imperatorem in ſua ſententia perſiſtere cognovit, dum ad populum ſermonem haberet, adſtantem Imperatorem publice redarguit; quare deſcendenti de cathedra Ambroſio: *Contra nos propoſuiſti hodie*, inquit Theodoſius; at ille, non contra ipſum, ſed pro ipſo loquutum ſe fuiſſe, reſpondit. Cumque Imperator factum excuſaſſet, ac reſcriptum ſe revocaturum promiſiſſet, divina Myſteria Ambroſius peregit. *Hæc autem ſcripta ſunt*, ait Paulinus, *in ea epiſtola, quam ad germanam ſuam fecit*;

Digitized by Google

*cit*; *in qua tractatum inſeruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo, qui a Propheta Hieremia viſus eſſe deſcribitur*. Extat adhuc Ambroſii epiſtola ad ſororem, qua ſermonem in eccleſia habitum inſeruit; & cuncta a ſe cum Theodoſio geſta enarrat, quæ longum eſſet exſcribere.

Baſnagii cenſura in Ambroſium rejicitur.

*Baſnag. ann.* 388. *n.* 5.

12. Tanta Ambroſii in dicendo libertas, qua Theodoſio reſtitit, ne adverſus Synagogæ Judæorum, & Valentinianorum incendiarios animadverteret, Baſnagio non placuit; hinc narratis, quæ ad hiſtoriam pertinent, ſubdit: *Zelum quidem Ambroſio non invidemus, prudentiam tamen in eo facto deſideramus, cum & Monachorum, & Epiſcopi facinus iniquitate conditum fuerit*, dum privata auctoritate, & contra legum auctoritatem Judæorum, & Valentinianorum delubra deſtruxerunt; deinde Baronius dum hæc in Ambroſio laudat, *lupum auribus tenet*, ait Baſnagius, *quem ſane improbat Gregorius, dum contraria Ambroſio ſtatuit*; nam S. Gregorius Papa Januario Calaritano Epiſcopo juſſit, ut Crucem, quam Petrus in Judæorum Synagoga erexerat, tolleret: *His hortamur affatibus*, inquit S. Pontifex, *ut ſublata exinde, cum ea, qua dignum eſt veneratione, imagine, atque Cruce, debeatis quod violenter ablatum eſt reformare. Quia ſicut legalis definitio Judæos novas Synagogas non patitur erigere, ita quoque ſine inquietudine veteres habere permittit*. Et alia epiſtola idem Pontifex Fantino defenſori inſcripta, Panormitano Epiſcopo, jubet, ut pro Synagoga Judæis ablata, ac chriſtiano ritu conſecrata, pretium redderet: *quia quod ſemel conſecratum eſt, Judæis ultra non valet reſtitui*. Diverſæ tamen Ambroſii, & Gregorii circumſtantiæ fuerunt, quas ſane Baſnagius diſtinguere facile potuiſſet. Nam Gregorius Papa occupatam vi Synagogam, in cujus fronte imago, & crux locata fuerat, his ſublatis reſtitui juſſit; Pro altera vero Synagoga, quæ ob conſecrationem reſtitui non poterat, pretium dari præcepit, ſicuti juſtitia exigebat, ne quiſquam rerum ſuarum diſpendium pateretur. Ambroſius vero Theodoſium rogavit, ne de incendio Synagogæ, aut Valentinianorum delubri tantopere commoveretur, ut Epiſcopum ad Synagogam ſuis impenſis reſtaurandam cogeret; quod ſane longe diverſum erat ab eo, quod Gregorius juſſerat, nam pecunia, quam pro Synagoga occupata, & conſecrata reddi Gregorius præcepit, in alios etiam uſus impendi poterat. Quod ſi quædam in ea epiſtola Ambroſio

*Baron.* 388. *n.* 91.

*Gregor. lib.* 7. *epiſt.* 5.

ESU CHR. AN. 388. exciderunt, quibus Synagogæ incendium excuſare, aut laudare videtur, hæc ad rei geſtæ excuſationem dicta ſunt; cum totus Ambroſianæ epiſtolæ ſcopus in eo ſit, ut Theodoſio perſuaderet, ne tantæ ſibi curæ eſſet Judæorum injuriam vindicare, cum illatas Eccleſiis in earum incendiis, aut deſtructione nemo hactenus vindicare curaverat, ne Judæorum conditionem meliorem, quam Chriſtianorum fuiſſe videretur.

Ambroſius Gentilibus reſiſtit.

13. Eadem dicendi libertate uſus eſt Ambroſius, cum Romani Senatores a Theodoſio petiiſſent profanarum Religiorum inſtaurationem, & maxime ut Senatui ara Victoriæ redderetur, iiſque coram Imperatore dum Mediolani eſſet, hoc, vel ſequenti anno reſtitit, ut idem Ambroſius Eugenio ſcribens narrat: *Poſtea etiam*, inquit, *clementiſſimo Imperatori Theodoſio coram intimavi, atque in os dicere non dubitavi, cui intimata Senatus legatione hujuſmodi, licet non totus Senatus popoſcerit, inſinuationi meæ tandem adſenſionem detulit &c.*

*Ambroſ. epiſt. 17. 4.*

Depoſitum viduæ Ambroſius ſervat.

*Ambroſ. offic. lib. 2. 19.*

14. Altero adhuc exemplo fortiter, ac ad mortem uſque Ambroſium pro juſtitia certaſſe conſtabit: *Meminiſtis, ipſi quoties adverſus regales impetus pro viduarum, immo omnium depoſitis certamen ſubierimus. Commune hoc vobiſcum, mihi recens, exemplum Eccleſiæ Ticinenſis proferam, quæ viduæ depoſitum, quod ſuſceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo, qui ſibi illud Imperiali reſcripto vindicare cupiebat, Clerici non tenebant auctoritatem; honorati quoque, & interceſſores dati, non poſſe præceptis Imperatoris obviari, ferebant: legebatur reſcripti forma directior, Magiſter Officiorum ſtabat, Agens in rebus imminebat. Quid plura? Traditum erat: tamen communicato mecum conſilio obſedit Sanctus Epiſcopus ea conclavia, ad quæ tranſlatum illud depoſitum viduæ cognoverat. Quod ubi non potuit auferri, receptum ſub Chirographo eſt. Poſtea iterum flagitabatur ex Chirographo. Præceptum Imperator iteraverat, ut ipſe per ſemetipſum nos conveniret. Negatum eſt, & expoſita divinæ Legis auctoritate, & ſerie lectionis, & Heliodori periculo, vix tandem rationem Imperator accepit. Poſt etiam tentata fuerat obreptio. Sed prævenit ſanctus Epiſcopus, ut redderet viduæ, quod acceperat &c.*

Cynegii Conſulis obitus.

15. Hoc anno vir clariſſimus Cynegius Conſul, & Præfectus Prætorio Orientis vivere deſiit, ut Faſti Idaciani narrant: *Defunctus eſt Cynegius Præfectus Orientis in ſuo Conſula-*

*Zoſim. lib. 4. 45.*

*Jaluta Conſtantinopoli*. Hujus pietas in eo præcipue eluxit, quod ſimulacra Deorum ad Ægyptum uſque deſtruxit, *unde cum magno fletu totius populi civitatis deductum eſt corpus ejus ad Apoſtolos die XIV. Kal. April.*, *& poſt annum tranſtulit eum Matrona ejus* ( ideſt uxor ) Archantia ad Hiſpaniam. Eo mortuo Tatianus ſuffectus eſt, *accerſitum*, ut ait Zoſimus, *Aquileja Tatianum, qui & alios ſub Valente Magiſtratus geſſerat, & erat in omnibus virtute ſingulari præditus, Prætorii præfectum in patria declarat*.

De Simulacrorum, & Templorum everſione. *Marcell. Zoſim. Sardian. in vit. Philoſoph. in Ædeſio. Theodor. l. 5. 21. 22. Socrat. lib. 5. 21. 22. Socrat. lib. 5. 16. 17. Sozom. lib. 7. 15. Aug. de divinat. Dæmon. cap. 1.*

16. In hac ſimulacrorum everſione, & templorum deſtructione a Cynegio incepta, & ſequentibus annis continuata, multa ſcitu digna acciderunt, ab Ethnicis, & Chriſtianis ſcriptoribus poſterorum memoriæ tradita. In primis auctor eſt Eunapius in vita Antonini Ethnici Philoſophi, eum inſtinctu Dæmonis hanc templorum everſionem, & præcipue templi Serapidis Alexandrini prævidiſſe, ac prænunciaſſe; quare Deos ſuos futurorum præſcios eſſe, non ſolum Alexandriæ, ſed toto Orbe Deorum cultores effutiebant; quam ob cauſam S. Auguſtinus commentarium edidit de Divinatione dæmonum, in cujus exordio cur eo in argumento verſatus ſit, his verbis narrat: *Quodam die in diebus ſanctis octavarum, cum mane apud me adeſsent multi fratres laici Chriſtiani, & in loco ſolito conſediſſemus, ortus eſt ſermo de Religione Chriſtiana adverſus præſumptionem, & tanquam miram, & magnam ſcientiam Paganorum; quem recordatum, atque completum litteris mandandum putavi, non expreſſis contradicentium perſonis, quamvis Chriſtiani eſſent, & magis contradicendo quærere viderentur, quid Paganis reſpondere oporteret. Cum ergo de divinatione dæmonum quæreretur, & affirmaretur prædixiſſe, neſcio, quam everſionem templi Serapidis, quæ in Alexandria facta eſt; reſpondi, non eſſe mirandum, ſi iſtam everſionem templi ſimulacris ſuis imminere dæmones, & ſcire, & prædicere potuerunt, ſicut alia multa, quantum eis noſſe, & prænunciare datum eſt*. Hæc aliaque ſanctus Auguſtinus in eo commentario, quod de divinatione dæmonum inſcripſit.

Templa Idolorum deſtrui Theodoſius jubet. *Theodoret. lib. 5. 21.*

17. De hac templorum everſione narrat Theodoretus, Conſtantinum, cum Orbem Terrarum adhuc inſanientem erga ſimulacrorum cultum videret, ſacrificia, quæ dæmonibus offerebantur, prohibuiſſe, ac ut templa clauderentur, juſſiſſe; ejus vero filii paternis inſtiterunt veſtigiis. At Julianus impietatem

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 388. tatem renovavit, & vetuſti erroris flammam ſuſcitavit. Poſtea Jovianus Imperium adeptus, ſimulacrorum cultum denuo prohibuit. Valentinianus deinde major iiſdem uſus legibus Imperium gubernavit. Valens vero aliis quidem omnibus permiſit colere, ut vellent, iiſque, quos colerent, obſervantiam exhibere; ſolis iis, qui Apoſtolicam doctrinam tuebantur, bellum inferre nunquam deſtitit. Itaque quamdiu ille Imperium tenuit, & in aris incendebantur thura, & libamenta, ac ſacrificia ſimulacris ſuis offerebant Pagani, & publicas epulas in foro celebrabant.

Templum Jovis Apameæ Marcelli precibus deſtruitur. *Theod. ut ſup.*

18. Hæc autem Theodoſius funditus ſuſtulit, & perpetua oblivione delevit. Inter alios Marcellus Apameæ Epiſcopus vir ſanctitate & doctrina clariſſimus, Theodoſii legibus, & auctoritate fretus, ſuæ civitatis fana deſtruxit: nam cum Apameam perveniſſet Cynegius, templum Jovis, quod ampliſſimum ibidem erat, deſtruere aggreſſus, nulla vi humana diſſolvi poſſe lapidum compaginem judicabat; quare Marcellus eum quidem ad alias urbes interim miſit; ipſe vero Deum precatus, ut quomodo deſtruendum eſſet ædificium indicaret, ſequenti die vir quidam ad eum acceſſit, qui neque ſtructor erat, neque lapicida, neque ullam aliam artem callebat, ſed lapides tantum, & ligna humeris bajulare conſueverat. Hic Marcellum adiens, levi negotio deſtructurum ſe templum ſpopondit, minimamque pro tanto opere mercedem petiit, quam cum ſe daturum promiſiſſet Marcellus, vir ille columnas, quæ templum ex quatuor lateribus ambiebant, undique ſoffodit, eaſque ſuppoſitis oleaginis lignis circumdedit, hac ratione cum tres jam columnas ſuffodiſſet, ignem lignis ſubjecit. Sed Dæmon quidam atri coloris apparens, & flammæ vim cohibens, materiam ab igne, ſicut natura fert, conſumi non ſinebat. Id igitur ſæpius fruſtra molitus, Epiſcopo res delata eſt, qui confeſtim ad eccleſiam progreſſus, aquam in vaſculo afferri juſſit, & aquam quidem ſub altari poſuit: ipſe vero frontem ſolo affixam habens, clementem Dominum orabat, ne dæmonis tyrannidem ulterius pateretur. Hæc & alia cum dixiſſet, Cruciſque ſigno aquam benedixiſſet, Equitio cuidam Diacono, qui fide ac zelo munitus erat, præcepit, ut aquam acciperet, & ocyus ad locum properans, eam cum fide ſpargeret, ignemque admoveret. Quod cum factum eſſet, dæmon aquæ vim non ferens aufugit; ignis vero aqua ipſi contraria, non ſecus atque

atque oleo excitatus, & materiam apprehendit, & momento temporis eam conſumpſit. Ita columnæ, combuſtis quibus ſuffulciebantur lignis, & corruerunt ipſæ, & duodecim alias eadem ruina ſecum traxerunt; templi latus, quod columnis inhærebat, illarum vi ſimul tractum concidit. Reliqua quoque delubra eodem modo deſtruxit divinus ille Antiſtes, *qui Martyrii tandem coronam adeptus eſt, quæ nunc ſuperſedeo, ne ſermonem longius trahens, lectores tædio afficiam*. At quæ de Marcelli martyrio Theodoretus præteriit, Sozomenus his verbis narrat:

Marcelli Epiſcopi Apamea martyrium. *Sozom. lib. 7. 15.* *Theod. 7. 15.*

19. *Cum adhuc in urbibus aliquot Pagani pro templis ſuis acriter dimicabant, in Arabia quidem Petrei, & Preopolitæ, in Palæſtina Raphientes, & Gazei, in Phœnice vero Heliopolitæ. Apud Syros denique cives urbis Apameæ, quæ ad Axium fluvium ſita eſt, quos quidem accepi, ad tutelam templorum ſuorum ſæpenumero uſos eſſe præſidio Galilæorum, & ruſticorum hominum ex vicis, qui ſunt circa Libanum, tandemque eo audaciæ prorupiſſe, ut Marcellum ejus loci Epiſcopum interfecerint*. Videns enim Marcellus non aliter a priori ſuperſtitione facile converti poſſe, niſi Idolorum fana undique deſtruerentur, aſſumptis ſecum militibus & gladiatoribus Aulonam Apameæ oppidum perrexit, ut templum ibidem deſtrueret, & cum propius acceſſiſſet, ipſe quidem non longe ſubſtiterat, erat enim pedibus æger, & neque pugnare, nec perſequi, aut fugere poterat. Quare dum milites, & gladiatores in expugnatione templi intenti erant, nonnulli ex Idolorum cultoribus, cum illic ſolum relictum cognoviſſent, ex improviſo aggredientes, accenſo rogo interfecerunt; cujus cædem cum tractu temporis Marcelli filii ulciſci cuperent, *Provinciæ Synodus id prohibuit, æquum non eſſe cenſens, eam ulciſci mortem, ob quam gratias Deo agere oporteret*, ait Sozomenus. Marcelli memoria die decima quarta Auguſti Martyrologio Romano recolitur.

Serapidis templum, & idolum Alexandriæ deſtruitur. *Ruffin. lib. 2. 22.*

20. Majori adhuc Chriſtianorum ſtrage Serapidis templum, & idolum Alexandriæ everſum eſt: *Interea apud Alexandriam novi motus*, ait Ruffinus, *& contra temporum fidem adverſus Eccleſiam concitantur, ex occaſione hujuſmodi oborti*; dum ſcilicet Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Idolorum fanum, ab Idololatriæ ſordibus expurgatum, Chriſtiano cultui addixit; quo in loco antra quædam latentia & terræ defoſſa, latro-

JESU CHR. AN. 388. latrociniis, & ſceleribus magis, quam cœremoniis apta reperta ſunt. Quare cum Idolatræ referari criminum ſuorum latebras, & flagitiorum cavernas viderent, ægre ferentes operta tot ſæculis mala, & tenebris obtecta retegi, inſanire omnes, ac palam furere cæperunt. Nec vocibus jam, & ſeditionibus, ut ſolebant, ſed manu, & ferro; hinc conflictus media in urbe peracti ſunt. Chriſtiani tamen, etſi numero ac viribus potiores vim vi repellere facile potuiſſent, pati nihilominus multa, quam ulciſci elegerunt. Nam cum Ethnici ad Serapidis templum, tanquam ad munitiſſimam arcem confugiſſent, ac Chriſtianorum nonnullos abreptos, ibidem accenſis aris, immolare cogerent, renitentes novis exquiſitiſque ſuppliciis excruciatos necarunt, alios patibulis ſuſpenderunt, aut fractis cruribus in ſpeluncas præcipitarunt, quorum memoria inter Martyres celebratur die 17. Kal. Aprilis Martyrologio Romano: eoque tempore accidiſſe refert Sozomenus, ut Olympius quidam, qui ad Serapii defenſionem Gentiles excitaverat, cum ſolus ibidem eſſet, nocte intempeſta, quemdam in Serapio *Alleluja* canentem audierit; quo præſagio intellexit, templum a Chriſtianis fore occupandum, *& omnibus inſciis templo egreſſus eſt, cumque navigium forte nactus eſſet, in Italiam trajecit.*

*Sozom. l. 7. 15.*

Helladii & Ammonii in chriſtianos crudelitas. *Socrat. lib. 5. 16.*

21. Inter eos, qui contra Chriſtianos pro Serapidis templo, & idolo non tam fortiter, quam crudeliter pugnarunt, Helladium, & Ammonium grammaticos recenſet Socrates, quorum ille Sacerdos Jovis erat, hic vero Simiæ; *quorum*, ait, *ego admodum adoleſcens CP. auditor fui*; de Helladio etiam addit: *Helladius vero apud quoſdam gloriatus eſt, quod in conflictu novem homines ſua manu interemiſſet*. Hanc Ethnicorum temeritatem Alexandriæ in dies creviſſe Ruffinus adnotat, quæ cum Theodoſio Imperatori relata fuiſſent, illorum quidem vindictam, qui Martyres occubuerant, non eſſe poſcendam, reſcripſit; malorum tamen cauſam, radiceſque diſcordiæ, quæ pro ſimulacrorum defenſione accidebant, penitus ſuccidi debere juſſit, ut iis exterminatis, etiam bellorum cauſa pariter conquieſceret. Quare cum Theodoſii mandata Alexandriæ vulgata ſunt, *immenſus clamor a noſtris* (præ lætitia) *attolitur*, ait Ruffinus, *ſtupor, & pavor Gentilium populos invadit*; unde in fugam ſe dederunt, atque locum Chriſtianis deſtruendum reliquerunt.

Deſcriptio Templi Serapidis Alexandriæ.

22. Quale autem, quantumve eſſet Serapidis Templum Alexandriæ, Ruffinus, qui ibidem cum Melania fuit, pluribus deſcri-

Digitized by Google

deſcribit. Extructum quippe in loco non natura, ſed manu, & conſtructione per centum, & amplius gradus in ſublime, quadratis, & ingentibus ſpatiis omni ex parte diſtentum: cuncta vero uſque ad ſummum opere forniceo conſtructa erant, ſuperiorem partem, exedræ, & paſtophoria, domuſque in excelſum porrectæ occupabant; in quibus æditui, aliique, qui devotionis gratia Serapidi inſerviebant, morabantur; porticus quoque poſt hæc omnem ambitum, quadratis ordinibus diſtinctæ intrinſecus circumibant. In medio totius ſpatii ædes erat pretioſis ornata columnis, & marmoris ſaxo extrinſecus ample, magnificeque conſtructa. De templo Serapidis Alexandriæ inter multa hæc narrat Marcellinus: *Ita eſt exornatum, ut poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil Orbis Terrarum ambitioſius cernat.*

*Jesu Chr. an. 388.*
*Ruffin. lib. 11. 23.*
*Amm. Marcell. lib. 22.*

23. *In hac vero æde*, ſubdit Ruffinus, *ſimulacrum Serapis ita erat vaſtum, ut dextera manu unum parietem, alterum læva perſtringeret: quod monſt~um ex omnibus generibus metallorum, lignorumque compoſitum ferebatur*: Eamque a Seſoſtre Rege locatam fuiſſe per Bryaxem artificem, auctor eſt Clemens Alexandrinus.

Deſcriptio Simulacri Serapidis.
*Clem. Alexan. lib. ad Gentes. cap.*

24. De interiori vero Templi ornatu hæc idem Ruffinus addit: *Interioris delubri parietes laminis primo aureis veſtiti, ſuper has argenteis, ad poſtremum æreis habebantur, quæ munimento pretioſioribus metallis forent: erant etiam quædam ad ſtuporem, admirationemque videntium dolis, & arte compoſita.* Feneſtra quoque perexigua ab ortu Solis ita erat aptata, ut ejus radius per eamdem feneſtram directus, os, & labra Serapidis illuſtraret, itaut inſpectante populo, oſculo ſalutatus Serapis videretur a Sole. *Sed & multa alia decipiendi cauſa a veteribus in loco fuerant conſtructa, quæ nunc longum eſt numerare per ſingula.*

Ornatus interior Templi.

25. Theodoſii reſcripto accepto, ad ſubvertendum Serapidis idolum Chriſtiani concurrerunt; perſuaſio tamen quædam ab ethnicis vulgata fuerat, ut ſi humana manus Simulacrum illud contigiſſet, terra dehiſcens illico ſolveretur in chaos, Cœlumque repente rueret in præceps. Quæ res quidem timorem ac ſtuporem in plebe fecerat; at tandem ex militibus unus, fide magis, quam armis munitus, correptam bipennem in maxillæ Simulacrum gravi ictu percuſſit, quo factum eſt, ut maximus rumor ab adſtante plebe tolleretur, neque tamen

Simulacrum Serapis deſtruitur.

JESU CHR. AN. 388. aut Cœlum ruit, aut terra tremuit; quare repetitis ictibus dejectum eſt ſimulacrum, & in fruſta diviſum, igneque adhibito, tamquam lignum aridum conflagravit. Poſt hæc revulſum cervicibus caput, tota Alexandria ludibrii cauſa pertractum eſt, unaque cum ceteris Idoli partibus concrematum.

*Ruff. hiſt. lib. 11. 23.* De Serapidis origine variorum opiniones refert Ruffinus: *Quidam in honorem noſtri Joſeph formatum perhibent ſimulacrum, ob diviſionem frumenti, quæ famis tempore ſubvenit Ægyptiis. Alii repertum in hiſtoriis Græcorum veteribus ferunt, Aprin quemdam patremfamilias, ſeu Regem in Ægypto Memphis poſitum*; qui famis tempore cum frumenta Alexandrinis diſtribuiſſet, poſt mortem, cum ejus nomine templum dedicaſſent, ubi ejus cineres reconditæ fuerunt; poſtea Græco vocabulo Soron Apin, ideſt Sepulcrum Apin, dictum eſt; deinde Serapin nominarunt: *quod an verum ſit, aut nihil omnino, Deus viderit.*

Dii Gentium ludibrio expoſiti. *Cap. 24.* 26. *Sed ad inceptum*, ait Ruffinus, *redeamus. Poſt hæc, capite ipſo Idololatriæ dejecto, ſtudiis vigilantiſſimi Sacerdotis*, ideſt Theophili Epiſcopi, *quæcumque fuerant per totam Alexandriam portenta potius quam Simulacra pari exitu, & ſimili dedecore publicantur. Horret animus dicere, qui miſeris mortalibus laquei a dæmonibus præparati ſunt, quæ funera, quæ ſcelera in illis tegerentur, quot ibi infantium capita deſecta inauratis labris inventa ſint, quot miſerorum cruciabiles mortes depictæ. Quæ cum proderentur in lucem, ac ſub auras prolata ferrentur, licet confuſione ipſa Gentiles & pudore diffugerent; tamen ſi quis adeſſe potuit, mirabatur tot ſæculis ſe illis tam nefariis, & tam pudendis fraudibus irretitum.* De Theophilo

*Theodoret. li. 5, 16.* Alexandrino Epiſcopo narrat Theodoretus, quod cum Idolorum ſtatuas confringeret, ſimiæ tamen ſimulacrum integrum reſervari, ac publice proponi præcepit, ne Ethnici quandoque inficiarentur, hujſmodi ſe Deos coluiſſe, idque ægre tuliſſe Ammonium Grammaticum, eo quod ad Gentiliciæ ſuperſtitionis ludibrium excitandum invidiamque conflandam ea ad poſteros tranſmitti cerneret; eodemque tempore Ethnicorum plurimi Chriſtianam relgionem amplexi ſunt.

Gentilium ſcelera, & clandeſtinæ impudicitiæ. 27. His alia adnotat Ethnicorum ſcelera, & flagitia. Inter cetera Alexandriæ Saturni Sacerdos erat, Tyrannus nomine, qui adorantibus in templo nobilibus, illuſtribuſque viris, quorum ſibi matronæ ad libidinem placuiſſent, dicebat, Saturnum

præ-

Jesu Chr. an. 388.

*Ruff. ut ſupr. cap. 24.*

præcepiſſe, ut uxor ejus pernoctaret in templo. Tum is, gaudens, quod uxor ſua dignatione tanti Numinis vocaretur, exornatam comptius, donariiſque onuſtam mittebat ad templum. In conſpectu autem omnium concluſa intrinſecus Matrona, Tyrannus clauſis januis, & traditis clavibus diſcedebat. At ille per occultos, & ſubterraneos aditus templum ingreſſus intra ipſum Saturni ſimulacrum ſeſe occultabat, ac ardentibus intra Ædem luminibus, vocem per ſimulacrum proferebat; mulier vero gaudio & pavore trepidabat, quod digna ſe tanti Numinis putaret alloquio; extinctis repente luminibus, ad mulierem impoſtor accedebat, ut libidinem ſuam exatiaret. Cumque præclariſſimas fœminas longo tempore Saturni nomine adulterio polluiſſet, accidit, ut quædam pudicæ mentis fœmina cum rem attentius conſideraſſet, ac cognoviſſet vocem Tyranni, domum regreſſa viro ſuo immane ſcelus indicavit. Ille de injuria conjugis, immo potius ſua inſlammatus, Sacerdotem Numinis in jus vocatum, ad tormenta deduxit. Quo convicto, atque confeſſo, fraudibuſque revelatis, pudor omnis, & dedecus Ethnicos pervaſit. Ægyptios Sacerdotes hujuſcemodi in mulieres, Deorum nomine exercuiſſe facinora probant ea, quæ Romæ contigiſſe Joſephus deſcribit tempore Tiberii Imperatoris. His Subdit Ruffinus alia plurima, ibidem videnda. Hoc unum adnotare ſufficiet, Serapidis templo everſo, eccleſiam ibidem, & martyrium ædificatum fuiſſe, ubi S. Joannis Baptiſtæ reliquiæ reconditæ fuerunt, ut ibidem Ruffinus narrat.

*Joſeph. Antiq. lib. 18. c. 14.*

Idolorum ſtatuæ, & Templa ubique deſtructa.

*Ruff. lib. 2. 28.*

28. Poſt ruinam Serapidis, cæteræ, quæ Alexandriæ erant, cujuſcumque dæmonis ædiculæ ceciderunt; per cunctas quoque Ægypti urbes, & caſtella, per agros, vel ripas fluminis, & eremum ſi quæ fana, vel potius buſta reperiri potuerunt, ſubruta, & ad ſolum everſa ſunt. Quin per totam Alexandriam thoraces Serapidis, qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſſibus, in poſtibus etiam ac feneſtris erant, ita obſciſſi ſunt omnes, & abraſi, ut ne veſtigium quidem uſquam, vel nominis appellatio, aut ipſius, aut cujuslibet alterius dæmonis remaneret: ſed pro his Crucis Dominicæ ſignum unuſquiſque in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſque depinxit. Sed de Idolorum, & templorum deſtructione Theodoſii juſſu, & Cynegii, vel aliorum opera jam ſatis. Nonnulla tamen intacta remanſerunt, ut Marnæ templum

Jesu Chr. an. 388.

*Hieronym. ep. 7.*

plum Gazæ celeberrimum, de quo Hieronymus ad Lætam ſcribens: *Jam Ægyptius Serapis Chriſtianus factus eſt*; quod illic eccleſia erecta eſſet. *Marnas Gazæ luget incluſus, & everſionem Templi pertremiſcit*, ideſt deſtrui timet, uti non multo poſt contigit; intactumque tunc remanſit, quia abſque Gazentium cæde deſtrui non poterat.

Gentilium querelæ ob Idololatriæ excidium.

*Zoſim. lib. 4. 37.*

*Lib. orat. de Templis.*

29. Quam gravate Idolorum, templorumque excidium tulerint Ethnici, ii præcipue, qui bonis artibus, & Philoſophiæ vacabant, eorum ſcripta querelarum plena teſtantur. Hinc mendaciſſimus Zoſimus Chriſtianis Imperatoribus ſemper infenſus de Cynegii geſtis agens, Idololatriæ excidium his verbis deplorat: *Aditus templorum per Orientem, & univerſum Ægyptum occluſit, ſacrificiaque ab omni ævo uſitata, cum omni patricio cultu prohibuit.* Extat etiam Libanii Oratio de templis a Gothefredo edita, qua Templorum everſionem luget; ac inter cetera conqueritur, quod homines atris veſtibus induti (Monachos his verbis deſignans) adverſus Deorum delubra bellum gererent, cum nulla lex id aut juberet, aut fieri permitteret; unde Theodoſio ſuadere conatur, ne impoſterum id fieri patiatur.

Libanii, & Eunapii ob Idololatriæ everſionē querelæ.

*Sardian in vitis Philoſoph. in Æideſio.*

*Eunapius Monachorum hoſtis.*

30. An eam Orationem coram Theodoſio recitaverit, in incerto eſt; id tamen certum ſurdo cantaſſe, ut Theodoſii geſta teſtantur. Præ ceteris contra hanc Templorum demolitionem, & Idolorum ruinam, mordaci, & blaſphemo ſtylo debaccatus eſt Eunapius Sardianus, ac de Antonino Philoſopho loquens, adnotat: *Vix ex hoc vita migraverat (Antoninus) cum & cultus Numinis apud Alexandrium & Serapidis delubrum diſturbata, diſſipataque fuerunt, non religio tantum, ſed univerſa fabrica, eum habuerunt exitum, quem Pœtarum fabulæ tribuunt Gigantum victoriis. Simile enim quid Canobii Templis accidit, imperante tunc Theodoſio Prætorii Præfecto Theophilo.* Melius dixiſſet Alexandrino Epiſcopo; fortaſſe per ironiam, & irriſionem Epiſcopum titulo Præfecti Prætorio exornatum voluit: ac deſtructum ſerapidis Templum, donariiſque ſpoliatum lamentatur. Quod autem demolitis templis, atque ſublatis ſacrificiis, & idolis, expurgatiſque locis impietatis, ibidem erectæ pro templis fuerint Eccleſiæ; & loco Sacerdotum Idolorum Monachi ſint ſubſtituti, ac pro idolis reliquiæ Martyrum per Theophilum Epiſcopum Alexandrinum collocatæ fuerint; majore æſtuans ira Eunapius in eoſdem Monachos, & reliquias ſanctorum Martyrum acerbioribus invehitur

hitur contumeliis, atque blaſphemiis inſectatur, ſubdens: *At egregii illi viri, & bellicoſi, confuſis, perturbatiſque rebus omnibus, debellaſſe ſe Deos incruentis quidem, ſed ab avaritiæ crimine non impuris manibus gloriabantur, ſacrilegium, & impietatis crimen laudi ſibi aſſumentes; poſtea in ſacra loca invexerunt Monachos, ſic dictos, homines quidem ſpecie, ſed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita, atque infanda ſcelera committebant; quibus tamen pietatis pars videbatur, ſacri loci reverentiam proculcare. Nam ea tempeſtate quivis atram veſtem indutus, quique in publico ſordido habitu ſpectari non abnuebat, is tyrannicam obtinebat auctoritatem, in eam virtutis opinionem venerat id genus hominum, de quibus etiam dictum eſt in univerſæ hiſtoriæ commentariis*. Hæc in Monachos Sardianus, qui cum irato animo in Religionis ſuæ everſores ea ſcripſerit, veniam quodammodo meretur: at quam veniam dabimus Scriptoribus pſeudo-reformatæ Religionis, Calviniſtis, & Lutheranis, dum ſummo plauſu ex Sardiano hæc exſcribunt, ut Monaſticam vitam rideant, atque credulæ plebi illudant? Jasu Chr. an. 388.

31. De Martyrum vero reliquiis in Eccleſiis eo tempore collocatis, hæc addit: *Illi ipſi*, inquit, *Monachos Cœnobii quoque collocarunt, ut pro Diis, qui animo cernuntur, ſervos & quidem flagitioſos divinis honoribus percolerent, hominum mentibus ad cultum cæremoniaſque obligatis. Sic namque condita, & ſalita eorum capita, qui ob ſcelerum multitudinem a Judicibus extremo ſupplicio fuerant affecti, pro divis oſtentabant, iis genua ſubmittebant, eos in Deorum numerum receptabant, ad illorum ſepulcra pulvere, ſordibuſque conſpurcati, in iis nonnulli Martyres, diaconi alii, & legati, arbitrique precum, petitionumque apud eos nominabantur, cum fuerint ſervitia infida, & flagris peſſime ſubacta, & quæ cicatrices ſcelerum, ac nequitiæ veſtigia corporibus circumferrent; ejuſmodi tamen deos fert tellus. Iſtud itaque providentiæ Antonini exiſtimationem ſummopere adauxit, quod palam apud omnes prædixerat, templa in ſepulcra converſum iri*. Hæc Eunapius, ex quibus catholica Fides circa Sanctorum invocationem, & venerationem in reliquias Martyrum mirifice confirmatur; dum, eo teſte, ſcimus quarto labente ſæculo Martyrum reliquias in templis reconditas, eaſque populorum venerationi, & invocationi expoſitas fuiſſe. Sed de his hactenus. Eunapii in Martyres blaſphemiæ.



Digitized by Google

Jesu Chr. an. 388.

Fauſtinus, & Marcellinus presbyteri Schiſmatici libellum Theodoſio porrigunt.

*Gennad. de ſcript. Eccleſ. cap. 16.*

32. Ad Cynegium Prætorii Præfectum, & hujus anni Conſulem extat Theodoſii reſcriptum in Schiſmaticorum gratiam datum. Cum etenim Fauſtinus, & Marcellinus presbyteri, Urſicini ſchiſmati faventes, contra Damaſum Papam rebellaſſent, ac Luciferianis ſeſe ſociaſſent, a Gratiano, & Valentiniano Imperatoribus exilio multati fuerant, ut ſupra diximus; Schiſmatici autem Theodoſium adeuntes, injuria ſe damnatos fuiſſe conqueſti, catholicam ſe fidem profiteri libello oblato dixerunt. *Scripſit Fauſtinus librum, quem Valentiniano, & Theodoſio, & Arcadio Imperatoribus pro defenſione ſuorum cum Marcellino quodam presbytero obtulit. Exquo oſtenditur Luciferiano ſchiſmati conſenſiſſe, quia Hilarium Pictavienſem, & Damaſum urbis Romæ Epiſcopum, in eodem libro culpat, quaſi male conſuluerint Eccleſiæ, quod prævaricatores Epiſcopos in communionem, & Sacerdotium, pacis recuperandæ gratia, recepiſſent, quod Luciferianis ita diſplicuit recipere Epiſcopos, qui Ariminenſi concilio Arianis communicaverant, quomodo Novatianis Apoſtatas pœnitentes.*

Theodoſii reſcriptum pro Fauſtino, & Marcellino.

*Bibliotb. PP. tom. pag.661.*

*Baſnag. ann. 388. n. 7.*

33. Theodoſius eo libello accepto ad Cynegium reſcriptum dedit, quo ſententiam ſuam ita temperavit, ut fidei, aut ſchiſmatis quæſtione diſſimulata, eos tantum ab exilio liberaret. Hinc poſt aliqua: *Ita utrumque moderamur, ut petitionem, quæ eſt oblata, veneremur, fidei autem nihil ex noſtro arbitrio optemus, vel jubeamus adjungi. Nemo umquam tam profanæ mentis fuit, qui cum ſequi Catholicos doctores deberet, quid ſequendum ſit, doctoribus ipſe conſtituat &c.* Eos itaque unacum Gregorio Hiſpanienſi, & Heraclide Epiſcopis, ab exilio dimittendos eſſe Cynegio imperat, ut ibidem videre eſt. Quo anno hoc reſcriptum Theodoſius dederit, in incerto eſt; cum nulla temporis nota, aut Conſulum nomina in reſcripto ſuperſint; hinc vivente adhuc Damaſo illud datum fuiſſe tradit Baſnagius, probabilius tamen eſt labenti anno, cum jam Theodoſius victo Maximo Occidentale Imperium recuperaverat, Fauſtinum & Marcellinum Romanos presbyteros illud ab Imperatore obtinuiſſe.

De Gregorio Betico, ejuſque operibus.

*Bar. 388. 98. 99.*

34. De Gregorio Betico, ſeu Illyberitano Epiſcopo, cujus in Theodoſii reſcripto mentio fit, quemque Luciferiano ſchiſmati faviſſe ſcimus, ſcribit Baronius, eum, abdicato poſtmodum ſchiſmate, in Eccleſia catholica *magno ſanctitatis nomine* diem ultimum clauſiſſe, ut *indicant publica Eccleſiæ monumen-*

Digitized by Google

*numenta, in quibus adſcriptum inter Sanctos nomen ejus anniverſaria celebritate recolitur*; Martyrologiorum tamen auctoritas tanta non eſt, ut de Gregorii ſanctitate dubitari non poſſit, ait Pagius, quare certiora ſunt, quæ de eo, ejuſque ſcriptis Hieronymus adnotat: *Gregorius Beticus Eliberi Epiſcopus uſque ad extremam ſenectutem diverſos mediocri ſermone tractatus compoſuit; & de Fide elegantem librum, qui hodie quoque ſupereſſe dicitur*. At is qui adhuc extat liber Fide de inſcriptus contra Arianos Gallæ Placidiæ Imperatrici dicatus, quique Gregorio Betico inſcribitur, Fauſtino Diacono Luciferiano inſcribendum eſſe Gennadii, & Trithemii auctoritate, eruditorum plurimi cenſent; alii vero orationes de Fide numero 49. & 50. Gregorio Nazianzeno inſcriptæ Gregorio Betico reſtituendas eſſe exiſtimant. Incertis tamen hæc niti conjecturis præceteris indicat S. Auguſtinus, dum quædam ex eo opuſculo recitans, ideſt ex oratione 49. *Gregorii Orientalis Epiſcopi* nomine ea citat, quæ ſane Gregorio Betico, & Illyberitano Epiſcopo convenire non poſſunt. Sed de hac quæſtione apud Baſnagium plura videri poſſunt.

35. Florebat hac ætate Phebadius, ſeu, ut ab aliis dicitur, Jcobadius Agenni in Galliis Epiſcopus, cujus egregium extat de Trinitate commentarium, quique multis abhinc annis in Ariminenſi Synodo pro Nicæna fide ſtrenue certaverat; *cujus alia dicuntur eſſe opuſcula, quæ nondum legi*, ajebat Hieronymus in ſuo de viris illuſtribus libro anno 392. edito, ac eum in ultima ſenectute adhuc in humanis egiſſe tradit; Phebadii opuſculum de Trinitate, ſeu refutatio Sirmienſis formulæ in bibliotheca Patrum legitur, alia autem ejuſdem opuſcula nobis, æque ac Hieronymo ignota ſunt. Celebrior adhuc pietate, & doctrina hoc tempore fuit Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, cujus epiſtolæ tres ſuperſunt ad Simpronianum datæ, ut eum e Novatianorum ſchiſmate revocaret, quæ etiam contra Novatianos commentarium inſcribuntur; quo titulo a Hieronymo donantur. Ejuſdem Paciani duo ſermones ſuperſunt, quorum alter de pœnitentia inſcribitur, alter vero ad catechumenos; ad extremam autem ſenectutem vixit Pacianus, ac ſub Theodoſio Imp. obiit, ante annum 392., quo Hieronymus librum ſuum de viris illuſtribus ſcripſit, quem ad Dexterum ejus filium inſcripſit, ut ſuo loco dicemus.

36. Paciano Aquilium Severum addimus, qui hoc tempore

JESU CHR. AN. 388.

*Martyr. rom. die 24. April. Pag. ad a. 388. n. 13. Hieronym. de vir. Illuſt. cap. 105. Biblioth. PP. tom. 5. Bar. 388. n. 99. Rupin. ſecul. 4. p. 436. Caveus hiſt. lit. tom. 1. p. 235. Queſnell. tom. 2. op. S. Leonis diſſert. 14. n. 5. 6. Natal. Alex ſeculo 4. Aug. epiſt. 3. Baſnag. an. 388. n. 8.*

De Phebadio, & Paciano eccleſiaſticis ſcriptoribus.

*Hier. de vir. Illu. cap. 108. Biblioth. PP. tom. 5. Dupin. ſecul. 4. p. 437. Caveus tom. 1. p. 217.*

*Hier. de vir. Ill. in Paciano cap. 106.*

De Aquilio Severo, & Audentio.

Jesu Chr. An. 388.

re in Hiſpaniis floruit, & ſub Imperio Valentiniani obiit, ut ait Hieronymus, ideſt ante annum 392. hic de vita ſua librum ſcripſerat; quem Cataſtrophem inſcripſit. Hiſpanus etiam fuit Audentius hujus ævi ſcriptor, quem Gennadius in Hiſpania Epiſcopum fuiſſe tradit; ſcripſit *adverſus Manichæos, Sabellianos, & Arianos, maxime vero contra Photinianos librum*, ac de Fide adverſus omnes hæreticos noncupavit.

*Hier. de vir. Ill. in Aquilio cap. 111.*
*Gennad. de ſcript. eccleſ. cap. 14.*

Olympias ſecundas nuptias, a Theodoſio oblatas refugit.

37. Illuſtribus viris illuſtriorem fœminam addimus, quæ Deo tota mente dicata, ſecundas nuptias a Theodoſio Imperatore oblatas cum Helpidio Hiſpano, ejuſdemque Theodoſii cognato, magna animi conſtantia recuſavit; ea eſt Olympias, quæ clariſſimis orta parentibus, divitiis affluens, forma, ceteriſque corporis, & animi dotibus præſtans, Nebridio, pubertatem vix ingreſſa, nupſerat; ejus nuptiis, cum Epiſcopi plurimi accurriſſent, Gregorius Nazianzenus podagra tunc laborans, intereſſe non potuit, quare ad Procopium Olympiadis tutorem ſcribens hanc attulit excuſationem: *Sentio quod crimen mihi objicias, etiam ſi id reticeas. Nuptias celebramus, forſan dixeris, idque Aureæ tuæ Olympiadis, ac grex Epiſcoporum aderat; tu vero aberas, vir egregie, vel dedignatus, vel gravatus. Neutrum horum, o admirande. Sed fieri non poterat, ut qui tragice ſe haberet, comice feſtum diem ageret. Ac ſimul omnino intempeſtivum eſt, atque a nuptiis alienum, podagricos videre, qui inter ſaltitantes circumferantur, ac rideantur. Libet enim nonnihil quoque nuptiali more ludere. Nam alioqui quantum ad voluntatem attinet, & adſum, & ſimul feſtum celebro. Juvenileſque dexteras inter ſe jungo, atque utraſque Dei manui &c.* Epiſtola vero ſequenti cum Procopio ludens, quod ob Olympiadis nuptias ab ejuſdem tutelæ onere ſe liberaverit: *En alter quoque tibi gener, dulce onus, commode excutis; &c.* cumque nuptiis intereſſe non potuerit, pareneticum carmen Epithalamii loco miſit; quod exſcribere longum eſſet. Viginti tantum menſes cum Nebridio vixit Olympias, eoque e vivis erepto, Deo tantum vivere, ac piis operibus vacare ſtatuerat; quam Theodoſius utpote divitiis, ac ceteris dotibus ornatiſſimam, Helpidio cognato ſuo conjugem deſtinaverat.

*Greg. Nazian. epiſt. 57. ad Procopium.*
*Greg. Nazian. carm. tom. 2. p. 111.*

Olympiadis conſtantia, & pietas.
*Callad. hiſt. Lauſ. cap. 42.*

38. Quanta vero animi conſtantia oblatas nuptias Olympias recuſaverit, longa oratione proſequitur Palladius; nos vero paucis contenti erimus. Nam repetitis importuniſque precibus reſpondit:

dit: quoniam Deus eam parum idoneam conjugali vitæ cognoverat, a conjugali vinculo abſolverat, ac graviſſimo virilis ſervitutis jugo eripuerat, ei nequaquam ultra ſe ſubjiciendam putabat. At Theodoſius ut ſanctæ feminæ conſtantiam vinceret, Præfecto urbis mandavit, ut omnem ejus ſubſtantiam cuſtodiret, quouſque trigeſimum ætatis annum impleſſet. Ille vero, regia procuratione accepta, multis eam vexavit modis, ut his anguſtiis coacta, conjugalem eligeret vitam. At illa Deo gratias referens, Imperatori reſcripſit, gratias agens, quod eam bonorum ſuorum cura & adminiſtratione ſublevaſſet, gratius adhuc facturum, ſi juſſiſſet bona ſua pauperibus, & Eccleſiæ diſtribui: *Ego enim jamdudum a vanitate, quæ ſolet ex hac largitione ſubſequi, metuebam, ne terrenis implicita negligerem divitias ſpirituales*. Conſtantinopolim tamen poſt Italicam expeditionem cum rediiſſet Theodoſius, in priſtinam libertatem remitti, ac ſui juris eſſe juſſit, ait Palladius, ac addit tantæ abſtinentiæ eam fuiſſe, ut animatas res nunquam comederet, nec balneis uteretur, niſi infirmitatis neceſſitas urgeret; paulo vero poſt: *Scio*, inquit, *hanc ſanctum Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum plus fuiſſe admiratum, adeo ut in Eccleſiaſticis quoque rebus mulieri obtemperaret*. Amphilochium vero Iconii Epiſcopum, & Petrum Sebaſtiæ Antiſtitem Baſilii fratrem, & Epiphanium Conſtantiæ Cypri Antiſtitem, alioſque quammaxime coluit, eorumque eccleſiis multa donavit. Sed de Olympiadis geſtis uſque ad hunc annum ſatis; de qua plura inferius dicenda ſuperſunt.

39. Hiſtoria Lauſiaca, quam mox citavimus, nos admonet, ut de Palladio auctore agamus, qui hoc anno 388. Theodoſio II., & Cynegio Coſs. Alexandriam petiit, ut Ægypti monaſteria viſitaret, atque ea, quæ ibidem vidit, aut fideli narratione audivit, in commentarium poſtea retulit; quod Lauſo Præfecto inſcripſit; unde *Lauſiaca hiſtoria* dicta eſt, cui & alius titulus alibi præfixus legitur, ideſt *Paradiſus Heraclidis*, eo quod Heraclides in eadem conſcribenda hiſtoria ſocius & adjutor fuerit. In Galatia circa annum 368. natus erat Palladius, unde Galatæ nomen habuit, viginti annos ingreſſus peregrinari cœpit, ac Alexandriam labenti anno delatus, *in ſecundo Theodoſii ſenioris Conſulatu*; eoque tempore Monaſticæ vitæ ſe dicavit ſub diſciplina Iſidori Presbyteri; poſtea Dorothei Thebani Aſcetæ celeberrimi, cum quo triennium exegit uſque

De Palladio Galata.

*Pallad. vita SS. Patrum cap. I.*

*Cave hiſt. litt. tom. 1. pag. 376. 377.*

*Cotel. monum. Eccleſ. Græc. tom. 2. p. 341. tom. 3. p. 178. & 171.*

Jesu Chr. an. 388. uſque ad annum 391. In Nitriam deinde tranſiens celeberrimos Aſcetas inviſit, ac Evagrium Ponticum præceptorem nactus eſt, qui cum Origenis doctrinam admiraretur, Palladius quoque inter Origeniſtas ab Hieronymo, & Epiphanio adnumeratus eſt; tandem cum Schetis, & Nitriæ ſolitudines, totamque Ægyptum perluſtraſſet, in Palæſtinam valetudinis cauſa tranſiit. In Bithyniam vero circa annum 400. profectus, Elenopolis Epiſcopus eſt ordinatus, ac Æſponam poſtea traslatus circa annum 420. de vitis Patrum hiſtoriam digeſſit anno trigeſimo tertio, poſtquam ſe Vitæ Monaſticæ dedicaſſet, quorum viginti in Epiſcopatu tranſegerat; vitæ vero quinquageſimum tertium ageret.

*Hiſt. Lauſ. cap. 1. 2.*
*Hiſt. Lauſ. cap. 48.*
*Socrat. lib. 7. 36.*

Palladius Origeni hæreſis inſimulatus.

40. Origenis autem hæreſi infectum fuiſſe Palladium his verbis Hieronymus indicat. *Palladius ſervilis nequitiæ eamdem hæreſim inſtaurare conatus eſt, & novam translationis hebraicæ mihi calumniam ſtruere; num & illius ingenio, nobilitatique invidimus? nunc quoque myſterium iniquitatis operatur*. Epiphanius vero ad Joannem Hieroſolymitanum: *Palladium vero Galatam*, inquit, *qui quondam nobis carus fuit, & nunc miſericordia Dei indiget, cave, quia Origenis hæreſim prædicat, & docet, ne forte aliquos de populo tibi credito ad perverſitatem ſui inducat erroris*. Hæc Epiphanius ad Joannem, cum Palladius in Palæſtinam perrexiſſet; Hieronymus vero alibi etiam narrat, ſe diſputationem cum Palladio, præſente Paula, habuiſſe, & brevi interrogatione confutaſſe: *Ex eo die ita cœpit Paula hominem deteſtari, & omnes, qui ejuſdem dogmatis erant, ut eos voce publica hoſtes Domini proclamaret*. Palladius vero a Hieronymo exagitatus, ut vicem redderet, ſtylo ſuo eum inſectatus eſt, dicens: *Multas feminas vidi, plurimaſque tam viduas, quam virgines novi, inter quas Paulam Romanam matrem Toxotii, feminam ad omne genus vitæ, quod eſt ſecundum ſpiritum accommodatiſſimam cui quidem, quo minus ei ſe daret, impedimento fuit Hieronymus quidam genere Dalmata, nam cum poſſet ſuperare multas, ne dicam cunctas, ut quæ ad vitam ex virtute gerendam eſſet optimo ingenio prædita, eam ſua invidia impedivit; Cujus filia nomine Euſtochium in Betlehem vitam adhuc monachalem exercet; quam quidem ego nunquam allocutus ſum: cæterum fertur inſignis eſſe pudicitiæ, & regere ſocietatem virginum quinquaginta*.

*Hieronym. in proemio Dialog. adverſus Pelag.*
*Apud Hieronym. epiſt. 60.*
*Pallad. hiſt. Lauſ. cap. 22.*
*Hieron. epiſt. 27.*
*Quæ Palladius Hieronymo obiecerit.*
*Hiſt. Lauſ. cap. 25.*

41. Pal-

Jesu Chr. an. 388.

De Evagrio Pontico ejuſque operibus.

41. Palladio illuſtrior fuit Evagrius Ponticus ejus magiſter, qui Iberus origine circa Pontum Euxinum ortus, Hyperborita a Hieronymo appellatus eſt, ac a S. Baſilio Lector; a Gregorio Nazianzeno Diaconus eſt ordinatus; in Palæſtinam deinde profectus Melaniæ ſenioris hoſpitio exceptus fuit. At monaſticæ vitæ deſiderio accenſus, in Ægyptum tranſiit, ac in Nitriæ ſolitudine vitam monaſticam egit: *Vir*, ut ait Sozomenus, *doctus in primis, & tum intelligendi facultate, tum dicendi copia præditus, & in diſtinguendis cogitationibus, quæ aut ad virtutem, aut ad vitium tenderent ſagaciſſimus*; moribus etiam præclarus, & ab omni faſtu, & arrogantia ita alienus, ut nec laudatus intumeſceret, nec injuria vituperatus moveretur: *Quod vero ad doctrinam attinet, qualis, quantuſque vir fuerit, Libri, quos poſteris reliquit, ſatis declarabunt*, ait Sozomenus. Horum catalogum Socrates recenſens, addit: *Hic Libros valde utiles compoſuit*. Horum unus Monachus inſcribitur, ſeu de virtute activa; alter Gnoſticus, vel ad eum, qui ſcientiam conſequi meruit; hic liber in quinquaginta diſtributus eſt capita. Tertius Antirrheticus inſcribitur, ex divinis Scripturis collectus contra Dæmones tentatores, & in octo partes diviſus. Scripſit præterea Gnoſtica problemata ſexcenta; denique duos Carminum libros, alterum ad Monachos, qui in cœnobiis, ſeu congregationibus degunt, alterum ad Virgines. *Qui quidem quantum eximii ſint, & admiratione digni, quiſquis eos legerit, facile cognoſcet, &c.* Quorum catalogum Gennadius exhibet, ac aliqua ſuo tempore in latinum translata fuiſſe commemorat; eademque emendatiora Cotelerius edidit: *Vixit longa ætate, ſignis, & prodigiis pollens*, ait Gennadius poſt Socratem.

*Pallad. hiſt. Lauſ. c. 25. Sozom. lib. 6. 30.*

*Socrat. lib. 4. 23.*

*Gennad. de Scriptor. Ecclef. cap. 11.*

*Coteler. Monumen. Eccl. Græc. tom. 3.*

Evagrius Origeniſtarum fautor.

42. Hunc tamen Origeniſmi labe aſperſum fuiſſe, Hieronymus prodit: *Evagrius Ponticus hyperborita, qui ſcribit ad Virgines, ſcribit ad Monachos, ſcribit ad eam, cujus nomen nigredinis teſtatur perfidiæ tenebras*; Melaniam Seniorem ſugillat his verbis: *Edidit Librum, & Sententias periapatejas, quam nos impaſſibilitatem, vel imperturbationem poſſumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, & ut ſimpliciter dicam, vel ſaxum, vel Deus eſt. Hujus libros per Orientem Græcos, &, interprete diſcipulo ejus Ruffino, Latinos plerique in Occidente lectitant*; qui Librum quoque ſcripſit quaſi de Monachis, multoſque in eo enumerat, qui

*Hier. ad Cteſis adverſus Pelag. in Præf.*

JESU CHR. AN. 388.

*qui nunquam fuerunt, & quos fuiſſe ſcribit Origeniſtas, & ab Epiſcopis damnatos eſſe, non dubium eſt, Ammonium videlicet, & Euſebium, & ipſum Evagrium, & Iſidorum, & multos alios, quos enumerare tædium eſt, & juxta illud Lucretii:*

> *Ac veluti pueris abſynthia tetra medentes*
> *Cum dare conantur, prius oras pocula circum*
> *Contegunt dulci mellis, flavoque liquore.*

*Ita ille unum Joannem in ipſius libri poſuit principio, quem & Catholicum, & Sanctum fuiſſe, non dubium eſt; ut per illius occaſionem, cæteros quos poſuerat hæreticos Eccleſiæ introduceret.* Hæc Hieronymus ad Cteſiphontem adverſus Pelagianos, quos ab ejuſmodi Origeniſtis fluxiſſe docet. Sed de his hactenus.

**Auguſtinus in Africam revertitur.** *Auguſtin. contra litt. Petil. lib. 3. c. 25. n. 30. Auguſt. de Civit. Dei l. 22. cap. 8.*

43. Funere defunctæ Matri abſoluto, Oſtia relicta Romam Auguſtinus redierat; hoc autem anno, e Portu Romano ſolvens, ſecunda navigatione in Africam remeavit, ac Carthaginem appulſus, ab illuſtri viro Innocentio Vicario Præfecturæ, & advocato tunc ægrotante, hoſpitio exceptus admirabilis ac inopinatæ curationis, quam Innocentius Epiſcoporum oratione promeruit, teſtis fuit: *Curabatur* Innocentius, inquit, *a medicis propter fiſtulas, quas numeroſas, atque perplexas habuit in poſteriore, atque ima corporis parte. Jam ſecuerant eum, & artis ſuæ cætera medicamentis agebant*; ſed unus inter multos ſinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quamobrem fruſtra hactenus in ejuſdem curatione laboraverant; quare ferro iterum rem tentandam putarunt. *Expavit, expalluit* (Innocentius) *nimio timore turbatus, atque ubi ſe collegit, farique potuit, abire medicos juſſit, & ad ſe amplius non accedere.* Alium interea, ideſt Alexandrinum quemdam, qui tunc Chirurgus mirabilis habebatur, vocavit; hic autem in eadem ſententia fuit, quod revera niſi ſectus fuiſſet, ſalvus eſſe non poterat, quare dilata in conſequentem diem ſectione, non ſine maximo totius domus mœrore, tanquam funeris planctus vix comprimebatur, ait Auguſtinus.

**Innocentii curatio divinitus facta.** *Auguſt. ut ſup.*

44. Viſitabant Innocentium quotidie ſancti viri, Epiſcopus tunc Uzalenſis beatæ memoriæ Saturninus, & Presbyter Geloſus, ac Diaconi Cartaginenſis Eccleſiæ, ex his Aurelius Carthaginenſis poſtea Epiſcopus, cum hæc Auguſtinus ſcriberet.

Ita-

Itaque Innocentius *rogavit eos miſerabilibus lacrymis, ut mane dignarentur eſſe præſentes ſuo funeri potius, quam dolori. Conſolati ſunt eum illi, & hortati, ut in Deo fideret, ejuſque voluntatem ferret. Inde ad orationem ingreſſi ſumus, ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille ſe ita projecit, tanquam fuiſſet aliquo impellente graviter proſtratus, & cœpit orare, quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrymarum, quibus gemitibus, atque ſingultibus ſuccutientibus omnia membra ejus, & pene intercludentibus ſpiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, neſciebam. Ego tamen prorſus orare non poteram; hoc tantummodo breviter in corde meo dixi: Domine, quas tuorum preces exaudis, ſi has non exaudis? nihil enim mihi videbatur, addi jam poſſe, niſi ut expiraret orando: ſurreximus itaque, & accepta ab Epiſcopo benedictione diſceſſimus, rogante illo, ut mane adeſſent, illique ut æquo animo eſſet, hortantibus.* Illuceſcente teterrimo die cum ingreſſi eſſent medici, & ad ſectionem cuncta paraſſent, dum medicus operi deſtinatus ſinum armatus, atque intentus inquirit, digitiſque contrectat, firmiſſimam in eo loco cicatricem, præter expectationem invenit, unde factum eſt, ut luctui gaudium ſucceſſerit, & lacrymis ingentes Deo gratiarum actiones, ut eodem loco pluribus perſequitur Auguſtinus, qui iu eadem tunc domo manebat. JESU CHR. AN. 388.

45. Tagaſten deinde reverſus Auguſtinus, diſtracto patrimonio, pretium pauperibus diſtribuit, ſecedenſque ruri, triennio jejuniis, orationibus, boniſque operibus intentus ſolitariam quidem, non tamen otioſam vitam duxit, nam, ut ait Poſſidius, *præſentes, & abſentes ſermonibus, ac libris docebat.* Eo etenim triennio Libros de Geneſi ad litteram contra Manichæos edidit; alios de Muſica Mediolani inceptos abſolvit; Dialogum de Magiſtro, ac Librum de vera Religione conſcripſit. His variæ epiſtolæ, tunc datæ, addi poſſunt, ut in ejus vita apud Maurinos videre eſt; reliqua Auguſtini acta poſt triennium ſuo loco dicenda reſervamus. Auguſtinus Tagaſtem revertitur piis operibus vacat. *Poſſid. Auguſt. vita cap. 3.*

J. CHR. An. 389.

JESU CHRISTI AN. 389. SIRICII PAPÆ 6.
VALENTINIANI IMP. 15. THEODOSII IMP. 11.
ARCADII IMP. 7. COSS. FL. TIMASIO,
ET FL. PROMOTO.
OLYMP. 292. AN. 1. AN. URBIS 1142.

Theodoſius Romæ triumphat.

1. Ex Theodoſii, & Valentiniani legibus Urbis Præfectum hoc anno Albinum fuiſſe, ſcimus. Eodemque tempore Romæ Theodoſius cum Valentiniano triumphavit, ac Honorium filium Conſtantinopoli accerſitum conſortem triumphi eſſe voluit, ut in Faſtis narrat Idacius: *Timaſio, & Promoto Coſs. introivit Theodoſius Auguſtus in Urbem Romam cum Honorio filio ſuo die iduum Juniarum, & dedit congiarium Populo*. Triumphi pompam Pacatus oratione ſua deſcribit, quam labenti anno Romæ recitavit; in qua poſt recenſitas de hoſtibus victorias, de adventu Imperatoris in Urbem, deque geſtis ibidem inter cætera: *Ea vero*, ait, *quæ Romæ geſta ſunt, qualem te Urbi dies primus invexerit, quis in curia fueris, quis in roſtris, ut pompam præeuntium ferculorum, curru modo, modo pedibus ſubſecutus, alterno clarus inceſſu, nunc de bellis, nunc de ſuperbia triumpharis; ut te omnibus Principem, ſingulis exhibueris Senatorem; ut crebro, civilique progreſſu non publica tantum opera luſtraveris, ſed privatas quoque ædes divinis veſtigiis conſecraris, remota cuſtodia militari, tutior publici amoris excubiis &c.* Quare poſt alia: *O mea felix peregrinatio, o bene ſuſcepti, & exhauſti labores? Quibus ego interſum bonis, quibus fruor gaudiis? quæ reverſus urbibus Galliarum diſpenſabo miracula? quantis ſtupentium populis, quam multo circumdabor auditore, cum dixero: Romam vidi, Theodoſium vidi, & utrumque ſimul vidi: vidi illum Principis patrem, vidi illum Principis vindicem, vidi illum Principis reſtitutorem*. Hæc & alia plura Pacatus, qui ſolum Theodoſium triumphaſſe, commemorat; uti etiam Ruffinus indicat: *Ipſe poſtea*, ait (ideſt Theodoſius) *quam Romam illuſtri triumpho invectus eſt, ad propria rurſus Regna remeavit*. At Socrates, & Sozomenus, Valentinianum triumphi ſocium fuiſſe ſcribunt: *Ambo Imperatores*, ait Socrates, *Romam ingreſſi ſunt, cum quibus etiam erat Honorius adhuc admodum puer.... Romæ itaque triumphales ludos ediderunt*; quod veroſimilius eſt, quidquid

Quanta Theodoſius Urbi præſtitit.

Ruff. lib. 2. 17. Socrat. lib. 5. 14. Sozom. lib. 7. 14.

quid in contrarium Pagius, & Baſnagius afferant; nam ut adnotat clariſſimus Muratorius, a Theodoſii moderatione alienum fuiſſet, Valentiniano præſente, ad quem Occidentale Imperium pertinebat, eo excluſo Romæ triumphare; nec quidquam Pacati, aut Ruffini obſtat auctoritas, dum ſolum Theodoſium triumphaſſe narrant; eo quod eidem præcipue de hoſtibus adſcribenda erat victoria.

*Pag. in Bar. an. 389. n. 8. Baſnag. ann. 389. Murat. ibid. hoc anno.*

Theodoſius Romæ Idololatriam deſtruit.

2. Ad rem noſtram quod attinet, cum Romæ ab Idibus Juniis ad uſque Kal. Septemb. ſubſtitiſſet Theodoſius, multa tum laude, & memoria digna geſſit; ac primo, cum Urbem Idololatriæ cultu adhuc pollutam vidiſſet, verbis, & exemplo, & auctoritate profanos ritus ceſſare fecit; unde Prudentius de ejus adventu in Urbem contra Symmachum ſcribens, hæc adnotavit:

*Cum Princeps gemini bis victor cæde Tyranni,*
*Pulchra triumphali reſpexit mœnia vultu,*
*Nubibus obſeſſam nigrantibus aſpicit urbem.*
*Noctis obumbratæ caligine aer*
*Arcebat liquidum ſeptena ex arce ſerenum.*
*Ingemuit miſerans, & ſic ait exue triſtes*
*Fida parens habitus, &c.*

*Prudent. adverſ. Symmachum lib. 1.* (Ideſt Maximi, & Eugenii)

Et de deſtructa Idololatria, everſiſque Idolis, ita tamen ut ſtatuæ, quæ excellentiores erant, ad Urbis ornatum ſervari juſſerit, poſt multa ſubdit:

*Deponas jam feſta velim puerilia, ritus*
*Ridiculos, tantoque indigna ſacrario regno:*
*Marmora tabenti reſpergine tincta lavate,*
*O proceres: liceat ſtatuas conſiſtere puras*
*Artificum magnorum opera. Hæc pulcherrima noſtræ*
*Ornamenta eluant patriæ, nec decolor uſus*
*In vitium verſæ monumenta coinquinet artis.*
*Talibus edictis Urbs informata refugit*
*Errores veteres &c.*

Hæc de Theodoſii geſtis Romæ Prudentius.

Romanorum plurimi Chriſti fidem ſuſcipiunt.

3. Eoque tempore tanta civium multitudo ad Chriſti fidem acceſſit, ut Hieronymus in præfatione ad Euſtochium, in

in Pauli Epiſtolam ad Galatas, de Romanorum ad Eccleſias concurſu ſcripſerit: *Romanæ plebis laudatur fides; ubi alibi tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & ad Martyrum ſepulcra concurritur? ubi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui Amen reſonat, & vacua Idolorum templa quatiuntur?* Et de ſpreto Idolorum cultu Romæ ad Lætam: *Auratum ſquallet Capitolium, fuligine, & aranearum telis omnia Romæ Templa cooperta ſunt, movetur Urbs ſedibus ſuis, & in undas populus ante delubra ſemiruta currit ad Martyrum tumulos*; hæc ipſe. Zoſimus vero in hanc rem adnotat, Stiliconem utriuſque militiæ ducem e foribus Capitolii laminas aureas abſtuliſſe, ejuſque uxorem Serenam e collo Rheæ Deorum matris mundum muliebrem detraxiſſe, ſuoque ipſius alligaſſe collo; quod certe aut hoc anno contigit, cum Romæ Theodoſius eſſet, aut cum paucis abhinc annis iterum contra Eugenium tyrannum in Italiam rediit. Hanc Theodoſii ſollicitudinem in extirpanda ab Orbe Romano Idololatria laudavit Ambroſius his verbis: *Imitatus Theodoſius Jacob, qui ſupplantavit perfidiam tyrannorum, qui abſcondit Simulacra Gentium, omnes enim cultus Idolorum fides ejus abſcondit, omnes enim cæremonias obliteravit.* S. Auguſtinus etiam teſtatur, Theodoſii lege ſimulacra confracta fuiſſe, & poſt narratas divina ope victorias, ſubdit: *Simulacra Gentium ubique evertenda præcepit, ſatis intelligens, nec terrena munera in Dæmoniorum, ſed in Dei veri eſſe poſita poteſtate.* Sed de his hactenus.

*Hier. præf. in epiſt. ad Galat. lib. 2.*

*Hieron. ep. 7.*

*Zoſim. lib. 5.*

*Ambroſ. orat. in funere Theo.*

*Auguſt. de Civit. Dei lib. 5. 26.*

Theodoſii adverſus Symmachum ira, & clementia.

*Socrat. lib. 5. 14.*

4. Inter præclara Theodoſii geſta, ejus in Symmachum clementiam non ſine laude Socrates commemorat: *Tunc ambo Imperatores Romam victores ingreſſi ſunt, (poſt Maximi interitum) & triumphales ludos ediderunt, quo tempore Theodoſius clementiæ ſuæ ſpecimen adverſus Symmachum conſularem virum dedit.* Hic etenim inter Senatores principem locum tenebat, & ob præſtantiam latinæ facundiæ in ſumma admiratione erat. Cum vero coram Maximo tyranno orationem in ejuſdem laudem recitaſſet, eo nomine in crimen Majeſtatis vocatus eſt; quamobrem extremum ſupplicium metuens, ad Eccleſiam confugerat. Imperator vero ob Chriſtianæ Religionis reverentiam Symmachum crimine abſolvit. Hic vero veniam conſecutus, Apologeticum Librum in laudem Imperatoris Theodoſii conſcripſit. Aliam quoque indignationis ſuæ cauſam in Symmachum habuiſſe Theodoſium commemorat Proſper, ſeu auctor

auctor libri de Promiſſionibus, his verbis: *Theodoſii religioſi Principis imperio per Jovinum, & Gaudentium comites omnia templa expoliata, quæ vana figmenta quis noſtrum permittitur ignorare; Cui Symmachus ille mirabili eloquio, & ſcientia præditus, tamen Paganus, præconio laudum in conciſtorio recitato ſubtili arte, qua valuit, aram Victoriæ in Senatu reſtitui, chriſtiano ut noverat Principi intimavit; quem ſtatim a ſuis aſpectibus pulſum, in centeſimo lapide Rhedæ non ſtratæ impoſitum, ea die manere præcepit*. At diuturna non fuit Theodoſii in Symmachum ira, quem paulo poſt ſummis honoribus, & Conſulatu ipſo exornavit.

*Proſper. de prædictum & promiſ. lib. 4. 38.*

5. Alia etiam Romæ memoria, & laude digna Theodoſium patraſſe narrat Socrates, cum præſertim duo probra quædam & nefaria ſuſtulit; ædes quippe ampliſſimæ a priſcis temporibus ædificatæ Romæ erant, in quibus fiebat panis: progreſſu vero temporis latronum receptacula evaſerant, nam cum piſtrina ædium illarum in profundo eſſent, ad latus earum extructis popinis, ſcortaque in eis retinentes, multos inſidioſe captabant, qui vel cibi capiendi, vel explendæ libidinis cauſa illuc ingrediebantur. Iiſque inſidiis peregrini præcipue, qui Romæ degebant, decipiebantur, nam ibidem vix ingreſſi, in piſtrino opus facere cogebantur, multique in illis conſenuerunt, cum nulla amplius evadendi facultas daretur. At cum ex Imperatoris Theodoſii militibus quidam caſu in eum locum incidiſſet, ac egredi prohiberetur, diſtricto gladio, eos, qui prohibebant, interfecit, ac inde egreſſus, cum rem ſtructaſque inſidias ad Imperatorem detuliſſet, mancipes quidem ipſos ſupplicio affecit; ædes vero, quæ latronum erant receptacula, deſtrui juſſit.

Inſidiæ innocentium, & lupanaria demoliuntur. *Socrat. lib.* 18.

6. Turpiora adhuc ab urbe tunc temporis Theodoſius ſuſtulit. Nam mulierem, quæ in adulterio deprehenſa fuerat, eo ſupplicii genere afficiebant, quod non illam emendaret, ſed potius delictum augeret; quippe illam in anguſtum quoddam lupanar incluſam, longo tempore ſcortari cogebant. Inverecundam itaque conſuetudinem ubi cognovit Imperator, ulterius pati non potuit: ſed ſiſtra illa, ſic enim vocabantur lupanaria, deſtruxit, & mulieres adulterii convictas, aliis legibus coercuit. Ad ejuſdem quoque Urbis expurgationem pertinet alia Theodoſii lex Romæ data ad Albinum Urbis Præfectum, qua maleficos capitali pœna puniri juſſit; contra Manichæos quoque hanc alteram ſanctionem edidit: *Quicumque*

A flagitiis Theodoſius urbem expurgat.

JESU CHR. AN. 389.

Cod. Theod. l. 18. de Haeret.

*ſub nomine Manichaeorum mundum ſollicitant, ex omni quidem Orbe terrarum, ſed quam maxime de hac urbe pellantur ſub interminatione judicii, voluntates autem eorumdem, quinimmo ipſae etiam facultates publicatae ſint, nec vim teſtamentorum teneant, nec derelinqui per eos, aut iiſdem fas ſit. Nihil ad ſummum his ſit commune cum Mundo. Data XV. Kal. Julii Romae, Timaſio, & Promoto Coſſ.* Haec quidem adverſus Manichaeos Theodoſius, quae hortante Siricio Romano Pontifice edita fuiſſe, narrat liber Pontificalis in vita Siricii; octavo vero idus Septembris ad eumdem Albinum Urbis Praefectum

Cod. Theod. de quaeſt. l. 5.

ejuſmodi reſcriptum dedit: *Sacratis quadrageſimae diebus nulla ſupplicia ſint corporis, quibus abſolutio expectatur animarum. Dat. 8. Idus Septemb. foro flam. Timaſio, & Promoto Coſſ.* Qua lege ſcimus, Theodoſium Roma exceſſiſſe Kal. Septembris, ut tradit Marcellinus; unde octavo idus ejuſdem menſis ad Forum Flaminii venerat. Poſthac Mediolanum rediit, ut ex alio reſcripto ibidem ad Tatianum dato VI. Kal. Decemb., quo haereticos urbibus, & ſuburbanis pelli iterum juſſit.

Cod. Theod. de Haeret. l. 15.

Siricius Papa de extinguendo ſchiſmate Antioch. cum Theodoſio agit.

7. Hac occaſione dum Romae Theodoſius eſſet, de extinguendo Antiochenae Eccleſiae ſchiſmate Siricius Papa cum Theodoſio egit, petiitque, ut Flaviano amoto, qui in locum Meletii fuerat ordinatus, in Evagrii communionem, qui Paulino ſucceſſerat, Oriens tranſiret; ſicque tandem longo ſchiſmati, quod Antiochenam Eccleſiam diu vexaverat, finis imponeretur. Ea de re audiatur Theodoretus: *Ea res* (ideſt Flaviani ordinatio) *Romanos, & Aegyptios diu infenſos reddidit Orientalibus; nam nec Paulini morte ſimultas extincta eſt. Sed poſt hujus mortem, cum Evagrius in locum illius ſubrogatus fuiſſet, adverſus magnum Flavianum infenſo animo perſeverarunt &c.* deinde poſt plurima: *Illi tamen cum nihil iſtorum conſiderare voluiſſent, Evagrii quidem communionem amplexi ſunt, adverſus Flavianum vero Imperatoris auribus ſubrepere tentarunt, qui ſepius interpellatus Conſtantinopolim eum*, ideſt Flavianum, *accivit* (poſt ſequentem annum), *utque Romam proficiſceretur, mandavit, ſed Flavianus tam & hybernum tempus cauſatus eſſet, & ineunte vere facturum ſe imperata promiſiſſet, in patriam reverſus eſt.*

Theodor. lib. 5. 23.

Flavianus Roman. Pontificis judicium declinat.

8. Flavianus tamen promiſſis non ſtetit, nec Romanae Sedis judicio ſeſe ſubjecit; quamobrem cum Siricius Papa iterum

rum Theodoſium Imp. interpellaſſet, ut vel invictum Romam adeſſe, judicioque ſe ſiſtere Flavianum cogeret, ille vero Flavianum Conſtantinopoli ad ſe vocatum, ut Romam pergeret, juſſiſſet: *Tunc Flavianus admirabili uſus fiducia*, ſubdit Theodoretus, *ſi meam fidem*, inquit, *o Imperator, ut non rectam quidam inſimulant, aut ſi vitam indignam eſſe dicunt Sacerdotio, ipſos accuſatores meos judices feram, & quam tulerint ſententiam, libenter excipiam. Sin de cathedra, & de primatu contendunt, non litigabo, nec repugnabo iis, qui iſta ambiunt: ſed cedam ultro, & Pontificatum dimittam. Da igitur Imperator, cui voles, ſedem Antiochenam. Hanc ejus conſtantiam, ac ſapientiam admiratus Imperator, in patriam redire, commiſſamque ſibi Eccleſiam regere eum juſſit*; his ſubdit Theodoretus, quod cum poſtea Romam perrexiſſet Imperator (ſcilicet poſt extinctam Eugenii tyrannidem) eædem adverſus Flavianum querelæ iteratæ fuerint.

*Theod. ut ſup.*

9. De geſtis a Siricio Papa, & Occidentalibus Epiſcopis in cauſa Flaviani, & Evagrii, nonnulla ab hiſtoricis prætermiſſa narrat Ambroſius in epiſtola ad Theophilum, atque imprimis indictam fuiſſe Synodum Capuæ, cui cum ex Oriente, & Occidente Epiſcoporum plurimi conveniſſent, Flavianus tamen adeſſe renuit, atque Imperatorem rogavit, ut alteram in Oriente ſynodum fieri juberet. Quare Ambroſius ob declinatum a Flaviano Capuanæ Synodi judicium, *fruſtra ergo tantorum Sacerdotum*, ajebat, *fuſus labor*. Ne tamen fruſtra conveniſſe viderentur Capuanæ Synodi Patres, Flaviani, & Evagrii cauſam Theophilo Alexandrino Epiſcopo delegarunt, ut una cum Epiſcopis Ægyptiis Antiochenæ eccleſiæ ſchiſma, ſi fieri potuiſſet, extingueret, nemini interea, qui catholicam profiteretur fidem, negandam eſſe communionem decrevit, cuicumque tandem parti ſtaret; ut ad Theophilum Alexandrinum ſcribens narrat Ambroſius.

Synodus Capuana. *Ambroſ. epiſt. 56.*

10. Eademque epiſtola Evagrium æque ac Flavianum ob importunos, iteratoſque ad Imperatorem recurſus arguit Ambroſius: *Non habet, quod urgeat Evagrius*, ait, *& habet quod metuat Flavianus, ideoque refugit examen. Dent fratres veniam dolori juſto; quia propter ipſos univerſus Orbis concutitur, & illi tamen noſtro non compatiuntur dolori. Bonæ pacis naufragio ſancta Synodus Capuenſis tandem obtulerat portum tranquillitatis; ut omnibus per totum Orientem daretur communio catholicam*

Evagrius, & Flavianus ab Ambroſio redarguti. *Ambroſ. epiſt. 56.*

JESU CHR. AN. 389. *licam confitentibus fidem, & duobus iſtis tuæ Sanctitatis examen impertiretur, fratribus & conſacerdotibus noſtris Ægyptiis pariter confidentibus; quia hoc verum judicium futurum arbitrati ſumus, quod neutri parti ſociata communione, aliquo favore propenderet. Cum ex his igitur æquiſſimis Synodi conſtitutis ſperaremus jam remedium datum, finemque allatum diſcordiæ, ſcribit Sanctitas tua iterum fratrem noſtrum Flavianum ad precum auxilia, & imperialium reſcriptorum ſuffragia remeaviſſe. Fruſtra ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor, iterum ad hujus ſæculi judicia revertendum, iterum ad reſcripta, iterum vexabuntur Sacerdotes, ſenes transfretabunt maria, iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabunt ſolo, iterum ſacroſancta altaria deſerentur, ut in longinqua proficiſcamur, iterum pauperum turbæ Epiſcoporum, quibus ante onéroſa paupertas non erat, externæ opis egentes, compellentur inopiam gemere, aut certe victum inopum itineris uſurpare. Interea ſolus exlex Flavianus, ut illi videtur, non venit, quando omnes convenimus. Fœnerator, & debitor invicem ſibi occurrunt, iſti ſibi non poſſunt occurrere: ſolus exſors Flavianus, ut ipſe vult, ſacerdotalis conſortii, qui nec imperialibus decretis, nec ſacerdotum conventui præſentiam faciat ſui. Nec tamen etiam hoc moti dolore fratri Evagrio donamus ſpeciem bonæ cauſæ, qui eo defenſabilior ſibi videtur, quod eum refugit Flavianus, aut quod habere ſe alterum arbitratur æqualem, uterque alienæ magis ordinationis vitiis, quam ſuis fretus.*

Epiſcoporum cauſæ ad Romanam Sedem deferendæ.

11. Theophilum deinde admonet, ut juxta Capuenſis Synodi decretum ſalva Nicæna fide, ejuſque canonibus, Antiochenum ſchiſma tollere conetur; ita tamen ut ad Romanam ſedem referat; atque Romani Pontificis geſtorum approbationem expectet: *Sane referendum arbitramur*, ſubdit Ambroſius, *ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant*. Hæc aliaque Ambroſius ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, ex quibus patet, quantum veteres judicio Romani Pontificis detulerint, cum cauſa a Capuana ſynodo Epiſcoporum numero celeberrima, ut diximus, Theophilo Alexandrino delegata, omnimodam firmitatem habere non poterat, niſi Romani Pontificis auctoritas acceſſiſſet, ſuaque ſententia roboraſſet; idque tanto clarius elucet, quod non de Epiſcopo inferioris ſedis agebatur, ſed de ſententia a Theophilo ferenda,

renda, qui poſt Romanum Pontificem inter Epiſcopos primus habebatur.

*Jesu Chr. an. 389.*

12. Ad Capuanam ſynodum redimus, in qua non ſolum de Antiocheno ſchiſmate actum eſt; ſed etiam de Bonoſo Epiſcopo. *Cujus Civitatis Bonoſus Epiſcopus fuerit, non memini me legiſſe*, ajebat Baronius; at cujus urbis Epiſcopus eſſet, quique ejuſdem errores ex Mario Mercatore, poſt Baronium edito, ſcimus, qui anathematiſmo 12. contra Neſtorium de eo narrat: *Ebionem philoſophum ſecutus Marcellus Galata eſt, Photinus quoque, & ultimis temporibus Sardicenſis Bonoſus, qui a Damaſo Urbis Romæ Epiſcopo damnatus eſt*; hinc cum Sardica Daciæ Metropolis Macedoniæ finitima eſſet, Aniſio Theſſalonicenſi Epiſcopo, & Macedonibus Epiſcopis dijudicandam mandavit Bonoſi cauſam Capuenſis Synodus, ut mox videbimus; prædamnatum autem a Damaſo Bonoſum addit Marius Mercator, quia in epiſtola ad Paulinum Antiochenum ſcripſerat Damaſus: *Si qui dixerit Verbum pro humano ſenſu in Domini carne verſatum, hunc catholica Eccleſia anathematizat, nec non & eos qui duos in Salvatore filios confitentur*. Cumque in eo vel maxime erraret Bonoſus, quod duos in Chriſto filios confiteretur, unum æternum, alterum in tempore factum, recte a Damaſo prædamnatum fuiſſe Mercator adnotavit, dum hæreſim damnaverat, antequam Bonoſus eamdem proderet, ait Garnerius. A Bonoſo autem Bonoſiaci hæretici ſunt appellati, Photiniani etiam aliquando dicti, utpote eadem fere cum Photino ſentientes. Quare Gennadius de Audentio Hiſpano, qui contra Photinianos ſcripſerat, ait: *Audentius Epiſcopus Hiſpanus ſcripſit contra Photinianos, qui nunc Bonoſiaci vocantur*; aliquid tamen diſcriminis inter utroſque intercesſiſſe ſcimus ex Arelatenſi Synodo ſecunda, qua canonibus 16., & 17. hæc leguntur: *Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportet: Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizare in Trinitate manifeſtum eſt, dum interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*. Itaque Photinianæ, & Arianæ hæreſis ramuſculus fuit Bonoſi hæreſis, & ſi in aliquibus etiam differret; unde Arelatenſes Patres Photinianos baptizari in Eccleſia Catholica juſſerunt, *Bonoſiacos vero ex eodem errore venientes*, cum Chriſmate, & manus impoſitione recipiendos. Perpetuam inſu-

Capuana Synodus Bonoſi hæretici cauſam Anyſio Theſſal. Epiſ. judicandam committit.

De Bonoſo nonnulla vide apud Noriſ. tom. 1.

*Bar. 389. 73.*

*Mar. Mercat pag. 165. edit Baluſii.*

*Apud Coutan. p. 510.*

*Garnerius diſſert. de hæreſ. Neſt. cap. 4.*

*Genn. de Vir. Ill. in Audentio.*

ESU CHR. AN. 389. insuper B. Mariæ Virginis Virginitatem negabat Bonoſus, ac poſt Chriſtum editum, alios eam genuiſſe filios blaſphemabat.

Bonoſus ab Aniſio, & Macedonio Epiſc. damnatur. *Ambroſ. tom. 3. p. 1091.*

13. Accuſatus itaque in Capuana Synodo Bonoſus, Aniſio Theſſalonicenſi Epiſcopo cauſæ cognitionem eadem Synodus delegavit, ut hæc epiſtola teſtatur, qua inter cetera hæc leguntur: *De Bonoſo direxiſtis Epiſcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modeſtia, noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed cum hujuſmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo, atque ejus accuſatoribus Judices tribuerentur; & præcipue Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de ejus factis, vel ſcriptis cognoſceret, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie Synodus, recte de iis, quæ comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries, decerneremus. Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accuſatoribus, vel accuſato copiam dare; vicem enim Synodi recepiſtis, quos ad examinandum Synodus elegit &c.* Quis autem hujus epiſtolæ auctor fuerit, aut quibus data, non conſtat. Hinc alii Ambroſio, aut Siricio Pontifici inſcripſerunt, vel etiam Theophilo Alexandrino; quorum adeo incertæ ſunt conjecturæ, ut *in tam denſis tenebris nihil definiamus*, ajunt Maurini Editores Operum S. Ambroſii. Hæc Bonoſi peſtis longe, lateque diffuſa eſt, ut non ſolum Daciæ, Macedoniæ, aut Illyrici eccleſias infecerit; ſed in Gallias uſque irrueret, ut ex Canonibus 16, & 17. Synodi Arelatenſis ſecundæ, circa annum 450. habitæ conſtat; iterumque in Synodo Aurelianenſi tertia circa annum 540. capite 31. hæc leguntur: *Judex Civitatis, vel loci ſi hæreticum, aut Bonoſiacum, vel cujuſlibet alterius hæreſis Sacerdotem, quamcumque perſonam de Catholicis rebaptizaſſe cognoverit, quia Reges nos conſtat habere Catholicos, non ſtatim rebaptizantes adſtrinxerit, & ad Regis fidem, atque juſtitiam propterea diſtringendos adduxerit, annuali excommunicatione ſubdatur.*

De Joviniano hæretico, ejuſque hæreſi.

14. Bonoſo ætate, & impietate ſuppar fuit Jovinianus, Virginitatis corruptor, & hoſtis, qui cum Romæ, ac Mediolani errores ſuos diſſeminaſſet, labenti anno, aut ſequenti in Romana, & Mediolanenſi Synodo a Siricio, & Ambroſio damnatus fuit, ut mox videbimus. Nunc, unde impurus homo prodierit, quique ejuſdem errores fuerint, videamus. *Erat Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus*, ait Auguſtinus, *extra*

*extra Urbis mœdia ſua Ambroſio nutritore*; in quo monaſterio ſub Catholico nomine, & Monaſtico habitu aliquandiu Jovinianus vixit, tanquam Lupus ovina pelle tectus, ſed monaſticæ diſciplinæ tandem pertæſus, & continentiæ impatiens, Monaſterio egreſſus deliciis, & voluptatibus totus ſeſe dedit, ſcriptis, & exemplo docens, virginitatem, & continentiam, auſteritates, & jejunia, ad æternam vitam obtinendam, nil prodeſſe. Unde Hieronymus de eo: *Venient in noviſſimis diebus illuſores ſeducentes juxta propria deſideria ambulantes, &c. Deſcripſit ſermo Apoſtolicus Jovinianum loquentem buccis tumentibus, & inflata verba trutitantem, promittentem in Cælis libertatem, cum ipſe corruptionis ſervus ſit, atque luxuriæ, canis revertens ad vomitum ſuum. Nam cum Monachum eſſe ſe jactitet, & poſt ſordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, ad candidam veſtem, & nitidam cutem, ad mulſum, & elaboratas carnes, ad jura Apicii, & Paxami, ad balneas quoque, ac fritillas, & popinas ſe conferat, manifeſtum eſt, quod terram Cælo, vitia virtutibus, ventrem præferat Chriſto, & purpuram coloris ejus putet Regna cælorum. Et tamen iſte formoſus monachus, craſſus, nitidus, dealbatus, & quaſi ſponſus ſemper incedens, aut uxorem ducat, ut æqualem virginitatem nuptiis probet; aut ſi non duxerit, fruſtra contra nos verbis agat*; & inferius: *Ante nudo eras pede, modo non ſolum calceato, ſed & ornato: tunc pexa tunica, & nigra ſubucula veſtiebaris, ſordidatus, & pallidus, & calloſam opere geſtitans manum; nunc lineis, & ſericis veſtibus, & Atrebatum, ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis: rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium frontemque tornantur, protenſus eſt aqualiculus, inſurgunt humeri, turget guttur, & de obeſis faucibus vix ſuffocata verba promuntur.* Hæc ipſe de monſtruoſa Joviniani mutatione ex Monacho in Sardanapalum; quem ex Stoicis meritorum æqualitatem, & ex Epicuro laſciviam didiciſſe, ſubdit: *Lubricus ſerpens, & Proteus noſter in variarum ſe mutat portenta formarum. Qui enim in coitu, & ſaturitate Epicureus eſt, ſubito in retributione meritorum Stoicus efficitur. Hieroſolymam Cithio, Judæam Cypro, Chriſtum Zenone commutat.*

15. Qui autem fuerint Joviniani errores, his verbis deſcribit: *Proponam breviter adverſarii ſententias, & de tenebroſis libris ejus, quaſi de foveis ſerpentes protraham, neque ſi-* nam

JESU CHR. AN. 389.

*Hieronym. contra Jovinian. lib. 1 cap. 25.*

*Hieronym. ut ſupra lib. 2. 13*

*Hier. ut ſupra lib. 2.*

Joviniani errores.

*Hieronym. ut ſupra lib. 1. 2.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 389. *nam venenoſum caput ſpiris maculoſi corporis protegi. Pateat, quod noxium eſt, ut poſſit conteri, cum patuerit. Dicit, virgines, viduas, & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent cæteris operibus, ejuſdem eſſe meriti. Nititur approbare, eos, qui plena fide in baptiſmate renati ſunt, a diabulo non poſſe ſubverti. Tertium proponit inter abſtinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam eſſe diſtantiam. Quartum, quod & extremum eſſe omnium, qui ſuum baptiſma ſervaverint, unam in Regno Cælorum remunerationem. Hæc ſunt ſibila ſerpentis antiqui; his conſiliis Draco de Paradiſo hominem expulit &c.* Hæc Hieronymus de Joviniani erroribus, cujus etiam incompta, & obſcura ſcripta confutavit, & Plauti verſibus ſpernenda propoſuit: *Has quidem*, ait, *præter Sybillam leget nemo, nam divinandum eſt*. Perpetuam quoque Beatæ Mariæ Virginitatem cum Bonoſo negabat Jovinianus: *Hic peccata ſicut Stoici Philoſophi paria eſſe dicebat; Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens, eam pariendo fuiſſe corruptam*; eadem de impio Joviniano tradit Ambroſius in epiſtola ad Siricium: *Sed de via perverſitatis produntur dicere, Virgo concepit, ſed non Virgo generavit*. Tanto autem verborum fuco animi ſui tegebat ſententias Jovinianus, tantaque fallacia hæreſis venena propinabat, ut viros, ac mulieres plurimas deceperit, ſicuti narrat Auguſtinus: *Joviniana hæreſis ſacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in Urbe Roma, ut nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, dejeciſſe in nuptias diceretur, hoc maxime argumento, cum eas urgeret, dicens: Tu ergo melior es, quam Sara, melior quam Suſanna, ſive Anna? & cæteras commemorando teſtimonio ſanctæ Scripturæ commendatiſſimas feminas, quibus ſe illæ meliores, vel etiam pares cogitare non poſſent. Hoc modo etiam virorum Sanctorum ſanctum cælibatum commemoratione Patrum conjugatorum, & prædicatione frangebat. Huic monſtro Sancta Eccleſia, quæ ibi eſt, fideliſſime, ac fortiſſime reſtitit*. ideſt Siricius Romæ, & Ambroſius Mediolani, ubi Jovinianus hæreſim ſuam diſſeminare cœperat; quam & cito extinctam fuiſſe, Auguſtinus tradit.

*Aug. de hær. 82.*
*Ambroſ. epiſt. 42. tom. 3.*
*Auguſtin. retract. lib. 2. cap. 22.*
*Aug. de hær. cap. 82.*

Jovinianus a Siricio damnatur.
*Hier. ad Pam. epiſt. 50.*

16. Cum itaque Jovinianus non ſolum verbis, ſed & ſcriptis virus ſuum Romæ diſſeminare cœpiſſet, Fideles quidam fidei zelo ardentiores ad Siricium ejus ſcripta detulerunt, ut Apo-

Apoſtolica auctoritate una cum Auctore, & aſſeclis ea condemnaret. Ex eis Pammachium laudat Hieronymus: *Denique idcirco te, poſt Dominum, faciente, damnatus eſt*, (Jovinianus ſcilicet) *quod auſus ſit perpetuæ Virginitati matrimonium comparare*. Siricius vero, coacto Romanæ Eccleſiæ Clero, Jovinianum una cum hæreſi, & ſociis anathemate damnavit; & datis ad diverſos Epiſcopos litteris, quid adverſus hæreſiarcham geſtum fuerit, certiores reddidit; quibus poſt plurima ad eam hæreſim confutandam aptiſſima, tandem inquit: *Omnium noſtrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius, & Ingenioſus, qui inventores novæ hæreſis, & blaſphemiæ inventi ſunt, divina ſententia, & noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent. Quod cuſtoditaram Sanctitatem veſtram non ambigens, hæc ſcripta direxi per fratres, & Compreſbyteros meos Creſcentem, Leopardum, & Alexandrum, qui religioſum officium fidei poſſint ſpiritu adimplere ferventi*. Hactenus Siricii Epiſtola, quam ad Mediolanenſem Eccleſiam datam fuiſſe Baronius tradit, ac codices aliqui præferunt. At, ut a Coutantio monemur, melioris notæ codices ad diverſos Epiſcopos inſcriptam præferunt, eamdemque lectionem exhibet codex Vallicellanus, ut a Mabillonio Itinerario Italico pag. 69. adnonatum eſt.

*Siricii ep. ad Mediol. Eccl. de condemnatione Joviniani. Coutan. p. 663.*

*Baron. 390. n. 38.*

Concilium Mediolanenſe contra Jovinianum.

17. His acceptis epiſtolis ſynodum Mediolano Ambroſius congregavit, qua eamdem Joviniani hæreſim, una cum auctore, & ſociis condemnavit, ut in epiſtola ad Siricium teſtatur: *Recognovimus litteris Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui diligenter commiſſam tibi januam ſerves, ac pia ſollicitudine Chriſti ovile cuſtodias, dignus quem oves Domini audiant, & ſequantur; & ideo quia noſti oviculas Chriſti, lupos facile deprehendis, & occurris quaſi providus paſtor, ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ, feralique ululatu Dominicum ovile diſpergant, &c.* Et poſt aliqua, quibus Virginitatem conjugio præſtare adſtruit, de B. Mariæ perpetua Virginitate, quam Jovinianus negaverat, ſubdit: *Quanta amentia funeſtorum latratuum, ut iidem dicerent Chriſtum ex Virgine non potuiſſe generari..! Sed de via perverſitatis probantur dicere, Virgo concepit, ſed non Virgo generavit; quæ potuit ergo Virgo concipere, non potuit Virgo generare, cum ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur?*

*Ambroſ. epiſt. 42. Coutan. 669.*

Poſt multa, quibus Dei Genitricis integritas comprobatur, aliaque in laudem virginitatis, viduitatis, & abſtinentiæ, quæ Jovinianus ſpernebat, tandem epiſtolam ſuam Ambroſius, aliique Epiſcopi his verbis claudunt: *Non eſt illis remiſſio peccatorum, ſed impietas Manichæorum, quam & clementiſſimus exeeratus eſt Imperator, & omnes, qui illos viderunt, quaſi quædam contagia refugerunt, ſicut teſtes ſunt fratres, & compresbyteri noſtri Creſcens, Leopardus, & Alexander ſancto ferventes ſpiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanenſi ex urbe quaſi profugos repulerunt.* Ex his verbis patet, Jovinianum, & ſocios judicio Eccleſiaſtico damnatos, hæreticorum more ad Imperiale judicium confugiſſe, ſed a Theodoſio repulſos fuiſſe: itaque ſubdit: *Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martianum, Januarium, & Ingenioſum, quos Sanctitas tua damnavit, ſcias apud nos quoque ſecundum judicium tuum eſſe damnatos.* Hactenus epiſtola Sinodi Mediolanenſis, cui, præter Ambroſium, alii novem Epiſcopi ſubſcripti leguntur pietate, & doctrina celeberrimi.

Hieronymus Joviniani ſcripta confutat.

18. Joviniani commentaria, quæ non ſine Fidelium ſcandalo, & periculo Romæ primum vulgata fuerant, quæque etiam aliquibus admirationi erant, Hieronymus in Palæſtina degens duobus libris confutavit, idque tanto animi æſtu, ut limites exceſſiſſe aliquibus viſum fuerit, quaſi, dum Virginitatem laudare voluerit, ſanctum conjugium, & thorum immaculatum plus juſto depreſſerit; unde cum ejuſdem libri Romam delati eſſent, plurimi pietate etiam, doctrina, & dignitate celeberrimi, vix probarunt; inter eos Siricium Papam Hieronymus numerat: *Hinc audio*, ajebat, *in te Urbis ſtudia concitata, audio Pontificis, & populi voluntatem pari mente congruere, minus eſt tenere Sacerdotium, quam mereri.* Graviori adhuc cenſura juniorem quemdam Monachum, qui libros ſuos deſpexerat, Hieronymus arguit.

*Hieron. epiſt. 52. ad Pammach.*

*Epiſt. 51. ad Domnionem.*

Querelæ adverſus Hieronymi libros Romæ excitatæ.

19. Quouſque autem hæ adverſus Hieronymi libros querelæ proceſſerint, Pammachii conſilium indicat, quo conatus eſt, eoſdem, ſi fieri potuiſſet, ſupprimere, ut idem Hieronymus, ad Pammachium ſcribens, teſtatur: *Contra Jovinianum, quod prudenter, & amanter feceris, exemplaria ſubtrahendo, optime novi. Sed nihil profuit iſta diligentia, cum aliquanti ex Urbe venientes, mihi eadem lectitarent, quæ ſe Romæ excepiſſe*

*Epiſt. 52.*



Digitized by Google

Jesu Chr. an. 389.

*piſſe referebant. In hac quoque Provincia jam libri fuerant divulgati, & ut ipſe legiſti, neſcit vox miſſa reverti. Non ſum tantæ felicitatis, quantæ plerique hujus temporis tractatores, ut nugas meas, quando voluerim, emendare poſſim, ſtatim ut aliquid ſcripſero, aut amatores mei, aut invidi, diverſo quidem ſtudio, ſed pari certamine in vulgus noſtra diſſeminant.* Cum autem vulgati ſemel, revocari non poterint, ejuſdem Pammachii conſilio Apologeticum pro iiſdem ſcripſit, ut in epiſtola altera narrat: *Apologeticum ipſius operis tibi miſi, quem & te poſcente edidi, quem cum legeris, aut ipſe pro nobis ceteris ſatisfacies, aut ſi tu quoque narem contraxeris, illam Apoſtoli periodum, in qua de Virginitate, & Nuptiis diſputat, aliter differere compelleris.* Hæc ipſe, plane ſignificans ſe eadem, quæ Apoſtolus ad Corinthios ſcribens docuerat, tradidiſſe; & ſane vix abſque injuria dici potuit, Hieronymum in ſuis contra Jovinianum libris nuptias damnaſſe, cum eorumdem exordio hanc præmiſerit conteſtationem: *Neque vero*, inquit, *nos Marcionis, aut Manichæi dogma ſectantes, nuptiis detrahimus; nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum ſpurcum putamus, qui non ſolum nuptias, ſed cibos quoque, quos Deus creavit, ad utendum, damnat, & reprobat. Scimus in domo magna non ſolum vaſa eſſe aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, &c.* ac aperte docet venerabiles eſſe nuptias, & torum immaculatum, Virginitatem tamen longe præſtare probat; hinc de injuria his verbis ſibi illata in Apologia conqueritur: *Dum contra Jovinianum preſſo gradu pugno, a Manichæo terga mea confoſſa ſunt. Nonne, quæſo, ſtatim in principio operis mei iſta præfatus ſum? Neque enim nos Marcionis, &c.* Juſte quidem, atque prudenter, ſatiſque ad erroris lineam declinandam, ut a nemine jure redargui potuiſſet. Hos vero contra Jovinianum libros uno, aut altero ab hinc anno ſcripſerat Hieronymus, cum nondum eidem innotuiſſet, ſe, ſuaque commentaria a Siricio vix probari; Apologeticum vero poſt labentem annum, ſed ante annum 392, Theodoſii Imperatoris 13, quo librum de Viris illuſtribus edidit, in cujus fine inter Opera a ſe edita Apologiam ad Pammachium miſſam recenſet.

*Ut ſup. ep. 52.*

*Ad Corinth. I. 7.*

*Hieron. contra Jovinianum lib. 1.*

20. Feliciori exitu eamdem Joviniani hæreſim S. Auguſtinus confutavit; nam ex his, quæ Hieronymo acciderant, cautior factus, ſic Virginitatis præconia celebravit, ut nuptias

Auguſtinus, & Ambroſius Joviniani hæreſim confutant.

Jesu Chr. an. 389. ſua laude non fruſtraret in commentario, cui titulus *de bono conjugali contra Jovinianum*, ibique rationem affert, cur poſt Hieronymum eam provinciam ſuſceperit, nam poſt damnatum Jovinianum ait, *remanſerunt autem iſtæ diſputationes ejus in quorumdam ſermunculis, ac ſuſurris, quas palam ſuadere nullus audebat; ſed etiam occulte venenis repentibus, facultate, quam donabat Dominus, occurrendum fuit, maxime quoniam jactabatur, Joviniano reſponderi non potuiſſe cum laude, ſed cum vituperatione nuptiarum, propter hoc Librum edidi, cujus inſcriptio eſt, de Bono Conjugali*. Hæc Auguſtinus; Ambroſius etiam abſolutiſſimum adverſus Joviniani hæreſim opus edidit in epiſtola ad Vercellenſes, poſt aliquos annos ſcripta, ideſt circa annum 396, ut adnotant editores Maurini. Cum etenim audiiſſet Ambroſius Sarmationem, & Barbatianum *vaniloquos homines* Vercellas veniſſe, quo tempore ea Eccleſia Paſtore viduata erat, Vercellenſes epiſtola ſua admonitos voluit, ut ab eorumdem fraudibus caverent; quos ex eodem Mediolanenſi monaſterio olim fuiſſe & Jovinianæ hæreſis aſſertores, teſtatur: *Fuerunt nobiſcum*, ait, *ſed non fuerunt ex nobis; hic poſiti primo jejunabant intra Monaſterium, continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibricoſæ diſputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre, abierunt foras, deinde volentes redire, non ſunt recepti; pleraque enim audieram, quæ deberem cavere, monueram, nihil profeceram. Effervescentes itaque diſſeminare talia cœperunt, quibus incentores eſſent vitiorum omnium; miſerabiles perdiderunt utique, quod jejunaverunt; perdiderunt, quod ſe aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico ſtudio invident aliorum operibus bonis, quorum ipſi fructu exciderunt*. Hæc, & alia plura Ambroſius de apoſtatis monachis, eorumque perverſa doctrina, quam pluribus ibidem, invictiſque argumentis confutat.

Auguſt. retract. li. 2. 22.

Amb. ep. 63.

Cap. 8. 9.

Joviniani pœna, & exilium.

21. Poſtquam Eccleſiæ ſententia perpetuo anathemate damnatus eſt Jovinianus, Imperatoris decreto in exilium ejectus eſt. Cumque poſt annos aliquot extra Urbem furtiva conventicula celebrare præſumpſiſſet, Honorii Imperatoris juſſu in Inſulam Boam fuit relegatus, hoc ad Felicem Præfectum Prætorio dato reſcripto, *Jovinianum ſacrilegos agere conventus extra muros Urbis ſacratiſſimæ, Epiſcoporum querela deplorat. Quare & ſupra memoratum corripi præcipimus, & contuſum plumbo cum cæteris ſuis participibus, & miniſtris exilio coerceri, ipſum autem*

Digitized by Google

*autem machinatorem in inſulam Boam feſtina celeritate deduci*; *cæteris, prout libuerit (dummodo ſuperſtitioſa conjuratio exilii ipſius diſcretione ſolvatur.) ſolitariis, & longo ſpatio inter ſe poſitis inſulis in perpetuum deportatis. Si qui autem pertinaci improbitate vetita, & damnata repetiverit, ſciat, ſe auſteriorem ſententiam ſubiturum. Dat. prid. Nonas Martii Mediolani, Honorio nonum, & Theodoſio quintum AA. Conſulibus*, ideſt anno 412. Unde patet diu, multumque Jovinianum vagaſſe. Inſula Boa in Dalmatia eſt, de qua Marcellinus: *Florentius contruſus in Inſulam Dalmatiæ Boas* (Juliani juſſu); & iterum: *Senatus cum Hymentium ad Boas Dalmatiæ locum exterminaſſet*; in qua Inſula dignum vitæ exitum Jovinianus invenit, ut ex Paulo Presbytero narrat Gennadius: *Meminit Joviniani hæretici, & voluptatum, ac libidinum prædicatoris, in tantum continentis, & caſtæ vitæ inſtitutio contraria fuerat, ut inter luxurioſas epulas animam eructaret*. Sed de his hactenus.

JESU CHR. AN. 389.

*Amm. Marcell. lib.* 22.

*Lib.* 28.

22. Maxima hoc tempore inter Epiphanium Solaminæ in Cypro Epiſcopum, & Joannem Hieroſolymitanum, ob Pauliniani, Hieronymi fratris, ordinationem ab Epiphanio factam, exorta eſt contentio; de quibus hæc narrat Epiphanius, dum factum ſuum excuſare conatur: *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam violenter extorſimus. In monaſterio fratrum peregrinorum, qui provinciæ nihil tuæ deberent, & propter noſtram parvitatem, & litteras, quas ad eos crebro direximus, communionis quoque tuæ cœperunt habere diſcordiam, ne viderentur quadam duritia, & conſcientia noſtra antiquæ fidei ab Eccleſia ſeparari, ordinavimus diaconum, & poſtquam miniſtravit, rurſum presbyterum, ſuper quo debueras gratulari, intelligens, quod ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi; &c.* Charitatem etenim legibus Eccleſiæ, quibus Epiſcopis ſingulis in ſua diœceſi jus ordinandi ſtatutum eſt, præferendam eſſe docet. Quare poſt plurima ſe neceſſitate id feciſſe addit; cum nullus in eo monaſterio presbyterii munere fungeretur, ac invitum reluctantemque Paulinianum Diaconum, & Presbyterum ordinatum fuiſſe longa oratione proſequitur, factumque ſuum aliorum Epiſcoporum exemplo confirmat. *Nam*, ſubdit, *multi Epiſcopi communionis noſtræ, & presbyteros in noſtra ordinaverunt provincia, quos nos comprehendere non potueramus; & miſerunt ad nos diaconos, & hypodiaconos, quos ſuſcepimus cum gratia. Et ipſe cohortatus ſum beatæ memoriæ Philonem Epiſcopum, & ſanctum Theo-*

Paulinianus ab Epiphanio Presbyter ordinatur.

*Epiph. epiſt. ad Joann.* 2.

JESU CHR. AN. 389.

*Theoprobum, ut in Eccleſiis Cypri, quæ juxta ſe erant, ad mea autem parochiæ videbantur Eccleſiam pertinere, eo quod grandis eſſet, & late patens provincia, ordinarent presbyteros, & Chriſti Eccleſiæ providerent.*

Qua cauſa diſſiderent inter ſe Joannes, & Epiphanius. *Hier. ep. 61.*

23. Hæc de rixarum cauſa Epiphanius, in quibus vel nulla, aut levis ſane in Epiphanio fuit culpa, tanto viro donanda, niſi de Fide inter eos excitata diſſidia, mutuæque ſuſpiciones vulnus exaſperaſſent; nam Joannes Antropomorphitarum hæreſi Epiphanium favere putabat; Epiphanius econtra Joannem Origeniſmi labe infectum ſuſpicabatur. De mutuis inter eos ſuſpicionibus teſtis eſt Hieronymus, dum narrat, quod cum Hieroſolymis eſſet Epiphanius, contra Antropomorphitas coram eo ſermonem habens Joannes, non obſcure eidem hæreſi Epiphanium patrocinari judicavit: *Recordare quæſo illius diei*; ajebat Hieronymus ad Joannem, *quando ad horam ſeptimam invitatus populus, ſpe ſola, quaſi poſtea auditurus Epiphanium eſſet, detinebatur, quid tunc concionatus ſis, nempe contra Antropomorphitas, qui ſimplicitate ruſtica Deum habere membra, quæ in divinis Litteris ſcripta ſunt, arbitrantur, furens, & indignans loquebaris, oculos, manus, & totius corporis truncum in ſenem dirigebas, volens illum facere ſuſpectum ſtultiſſimæ hæreſeos &c.*

Epiphanius Joannem Origeniſmi inſimulat.

24. Poſt Joannem Epiphanius etiam ad populum ſermonem habuit; eoque Antropomorphitarum hæreſim ſe quoque averſari teſtatus eſt, addiditque: *Quomodo hanc hæreſim condemnamus, etiam Origenis perverſa dogmata condemnamus.* Qua ſententia, quaſi in ſeipſum prolata, exacerbatus Joannes ira accenſus in Epiphanium, miſſo Archidiacono, ut ſileret, præcepit. *Quando contra Origenem in Eccleſia tua Papa Epiphanius loquebatur, quando ſub illius nomine in vos jacula torquebantur, tu, & chorus tuus canino vultu, naribuſque contractis, ſcalpentes capita, delirum ſenem nutibus loquebamini. Nonne ante ſepulchrum Domini miſſo Archidiacono præcepiſti, ut talia diſputans conticeſceret? Quis hoc unquam Presbytero ſuo coram plebe imperavit Epiſcopus? Nonne cum de Martyrio pergeretis ad crucem, & ad eum omnis ætatis, & ſexus turba conflueret, offerens parvulos, pedes deoſculans, fimbria vellens; cumque non poſſet promovere gradum, ſed in uno loco vix fluctus undantis populi ſuſtineret, tu tortus invidia adverſus glorioſum ſenem clamitabas, nec erubuiſti in os ei dicere, quod volens, & de*

*de induſtria moraretur*. Hæc & alia effecerunt, ut Joannes Epiphanio, & Hieronymo infenſus eſſet, ut eadem epiſtola narrat Hieronymus, quam triennio poſt, ideſt anno 392. ad Joannem ſcripſit; unde ajebat: *Ille*, ideſt Epiphanius, *per totum exinde triennium ſuas injurias devorat*; ex quibus ſcimus hæc inter Epiphanium, & Joannem jurgia, labenti anno exarſiſſe, quæ longo tempore, magnaque animi contentione agitata ſunt; unde Epiphanius ad Joannem: *Audivi, quod tumeas contra nos, & iraſcaris, & miniteris ſcribere in extremos fines terræ, ut loca, provinciaſque non nominem*, quem poſtea, ut ab Origenis hœreſi recederet, enixe rogat, ſubdens: *Quapropter obſecro te dilectiſſime, & advolutus pedibus tuis precor, præſta mihi, & tibi ut ſalveris, ſicut ſcriptum eſt, a generatione perverſa, & recede ab hæreſi Origenis, & a cunctis hæreſibus &c.*, hæc, aliaque de Origenis hœreſi abdicanda Epiphanius.

Jesu Chr. an. 389.

Hieron. epiſt. 61. cap. 16.

Epiph. epiſt. apud Hieron. epiſt. 60.

25. Alia quoque Joanni adverſus Epiphanium querelarum cauſa præceſſerat; quam his verbis idem Epiphanius ad Joannem ſcribens narrat: *Præterea audivi quoſdam murmurare contra me, quia quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Betel, ut ibi collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidiſſemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogaſſem, qui locus eſſet, didiciſſemque eſſe Eccleſiam, & intraſſem, ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſdam: non enim ſatis memini, cujus imago fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus ejuſdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent, illique contra murmurantes dixerunt: Si ſcindere voluerat, juſtum erat, ut aliud daret velum atque mutaret. Quod cum audiſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum, & illico eſſe miſſurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere; arbitrabar enim de Cypro mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi quod potui reperire, & precor, ut jubeas presbyteros ejuſdem loci ſuſcipere velum a latore, quod a nobis miſſum eſt; & deinceps præcipere in Eccleſia Chriſti iſtiuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi.* Hæc ad Joannem Epiphanius, quam epiſtolæ partem aliena manu ab Iconomachis inſertam, atque Epi-

De velo ab Epiphanio ſciſſo.

Epiph. epiſtol. apud Hier. 60.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 389.

*Ba.a.392.49. ad 56 Bellar. de Sac. imag. lib. Orſ. hiſt. eccleſ. lib.21. n. 14. Nat. Alex. hiſt. Eccleſ. ſæc. 4. art. 28. in Epiph. Dupin. bibl. eccl. ſæc. in Epiph. Baſnag. 383. n.9.*

Epiphanio ſuppoſitam fuiſſe eruditorum nonnulli tradiderunt; alii econtra ſicuti priorem epiſtolæ partem, ita & poſteriorem Epiphanio vindicant, quorum ſententia etſi probabilior ſit, non inde tamen ſequitur, ut adverſus Eccleſiam catholicam, quæ Imaginum uſum adprobat, triumphum ducere poſſint novi Agonomachi Calviniani, & Luterani; nam in primis, poſt Baronium, adnotat Natalis Alexander, quod fortaſſe Epiphanius velum Eccleſiæ foribus Anablatæ appenſum ideo diſcerpit; quia ea pictura ſuperſtitionis aliquid præſeferebat; quod & Epiphanii verba indicant, dum ait: *Velum depictam habens imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſdam*; adverſariis tamen concedamus, Epiphanium ſacram imaginem in velo depictam laceraſſe, ne ſic quidem adverſus Eccleſiæ catholicæ fidem, de ſacro imaginum uſu concludi quidquam poteſt, cum Eccleſiæ fides ex Epiphanii, aut cujuſque alterius hominis, etiamſi ſancti, aut docti, geſtis non pendeat, ſed ex ſacra Scriptura, & Traditione; unde ut adnotat Eminentiſſimus ſapientia, & dignitate Scriptor; etiamſi, *inquit*, hoc Epiphanius geſſerit, ejus tamen auctoritas tanti non eſt, ut ejuſdem ſententia præferri debeat aliarum Eccleſiarum conſuetudini, Cappadociæ ſcilicet, Ponti, & præceteris Romanæ, ubi ex auctoribus Epiphanio coævis ſcimus ſacras Imagines fidelium venerationi expoſitas fuiſſe, ideſt, ex Gregorio Niſſeno, Aſterio Apameæ, Paulino Nolano, & Prudentio. De Nolana Eccleſia cecinit Paulinus

*Orſ. ut ſup.*

*Paul. natal. 3.*

*Aurea nunc niveis ornantur limina velis.*

*nat. 6.*

Et rurſus

*Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,*
*Sive coloratum textum fucata figuris.*

Sed de picturis Imaginum Sanctorum Martyrum ante oſtia poni conſuetis hæc alibi idem Paulinus

*Paul. nat. 10.*

*Trinaque cancellis currentibus oſtia pandunt,*
*Martyribus mediam pictis pia nomina ſignant,*
*Quos par in vario redimivit gloria ſexu.*

*Prudent. Periſteph.*

Idemque ex Prudentio confirmari poteſt, dum narrat, ſe Imolæ vidiſſe S. Caſſiani Martyris geſta in parietibus ejuſdem Eccleſiæ depicta. In Oriente quoque, & in Palæſtina Sanctorum ima-

imagines in uſu, & Fidelium veneratione fuiſſe, multis teſtimoniis conſtat. Inter cætera in Actis Mariæ Ægyptiacæ legitur, quod cum Hieroſolymam perrexiſſet, atque ab ingreſſu Eccleſiæ inviſibili virtute prohiberetur, peccata ſua tunc recogitans, ad B. Mariæ Virginis imaginem, quæ in atrio Hieroſolymitani templi picta erat, mentem, & oculos ſublevaſſe, ac rogaſſe, ut ſibi quoque concederetur ſanctum Templum ingredi, quod & continuo obtinuit. Sed plura in eamdem rem addere piget, quæ apud Theologos videri poſſunt.

Jesu Chr. an. 389.

*Nat. Alex. ſæc. 3. diſſert. 21. & diſſert. 2. ſæc. 5. Bellarm. de Sacr. imagin. Petav. de Incarn. lib. 15. 13. Thomaſſin. Theolog. dogmat. lib. 12. cap. 12.*

26. Joannem vero, qui Cyrillo in Hieroſolymitanæ Eccleſiæ epiſcopatu anno 386. ſucceſſerat, multis ante Epiſcopatum erroribus inhæſiſſe indicat Hieronymus, quos dignitatis obtinendæ cauſa abjeciſſe narrat: *Sed dicis epiſtolam meam probavit Alexander Epiſcopus, qui probavit contra Arium, contra Photinum, contra Manichæum bene loquutum. Quis enim te hoc tempore arguit Arianum? quis tibi nunc Photini, Manichæique crimen impingit? Olim iſta emendata ſunt, atque concuſſa. Non eras tam ſtultus, ut aperte defenderes hæreſim, quam ſciebas Eccleſiæ diſplicere. Noveras te, ſi hoc feciſſes, ſtatim loco movendum, & ſolii tui delicias ſuſpirabas, ſic ſententiam temperaſti, ut nec ſimplicibus diſpliceres, nec tuos offenderes. Bene ſcripſiſti, ſed nihil ad cauſam pertinent.* Hæc de Joanne Hieroſolymitano Hieronymus, quibus indiçat, eum Arianis, & Macedonianis aliquando conſenſiſſe, quod & alibi in eadem epiſtola repetit. Hic tamen etſi a Hieronymo, & Epiphanio tanquam Origeniſmi labe aſperſus accuſaretur, nihilominus in multa apud plurimos æſtimatione fuit, ut idem Hieronymus narrat: *Licet te fautores tui diſertiorem Demoſthene, acutiorem Chryſippo, ſapientiorem Platone contendant, & tibi ipſi forte perſuaſerint*; cujus etiam Theodoretus cum laude meminit: *Hieroſolymorum Eccleſiæ præſidebat Joannes, vir admiratione dignus, ſucceſſor Cyrilli, &c.* Quæ ſane hæreſis patrono nullatenus conveniunt; quare cum & patrocinantium laudes, & adverſariorum criminationes æque ſuſpectæ ſint, neutris facile credendum eſt, atque ex rerum geſtarum ſerie, quis tandem fuerit, melius apparebit, de quo plura inferius dicenda ſuperſunt.

Joannes Hieroſolym. quis eſſet.

*Hier. epiſt. 61. 1.*

*Theodoret. lib. 5. 35.*

Jesu Chr.
an. 390.

JESU CHRISTI an. 390. Siricii Papæ 7.
Valentiniani Imp. 16. Theodosii Imp. 12.
Arcadii Imp. 8. Coss. Valentiniano Aug. IV.
Et Neoterio.
Olymp. 292. an. 2. Urbis an. 1143.

Theodoſii Lex adverſus notandum ſcelus. *Cod. Theod. ad l. Juliam de Adult.*

1. Labentem annum nonageſimum ſupra tercenteſimum in Italia tranſegit Theodoſius Imperator, ut ejuſdem leges hoc anno datæ teſtantur; quarum altera infanda luxuriæ ſcelera coercuit: *Omnes, quibus flagitii uſus eſt, virile corpus muliebriter conſtitutum, alterni ſexus damnare patientiæ, ſpectante Populo flammis vindicibus expiabunt. Publicata in Foro Trajani VIII. idus Auguſti Valentiniano Aug. IIII. & Neoterio Conſulibus.* Lege altera Veronæ edita vagantes Monachos, atque per urbes diſcurrentes in ſuas ſolitudines relegavit: *Quicumque ſub profeſſione Monachi reperiuntur, deſerta loca, & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare jubeantur. Datum III. Non. Septemb. Veronæ, Valentiniano Aug. IV. & Neoterio.* Hanc legem, qua urbibus Monachi ejiciebantur, biennio poſt idem Theodoſius revocavit, quibus urbes patere juſſit: *Monachos, quibus interdictæ fuerant civitates, dum judiciariis aguntur injuriis, in priſtinum ſtatum, ſubmota hac lege, eſſe præcipimus. Antiquata ſiquidem noſtræ clementiæ juſſione, liberos in oppidis largimur eis ingreſſus. Datum XV. Kal. Maii CP. Arcadio Aug. II., & Ruffino Coſſ.*, ideſt anno 392.

*Aliæ Theodoſii Leges.*

*Cod. Theod. l. 1. de Monachis.*

*l. 2. Cod. Theo. de Monach.*

Theodoſii Lex de Diaconiſſis, & de non tondendis mulieribus. *Cod. Theod. de Epiſc. l. 27. Sozom. lib. 7. 16.*

2. Lege altera viduas, quæ filios habebant, ante ſexageſimum annum Diaconiſſas ordinari, bonaque ſua Eccleſiis donare, & caput tondere prohibuit: legis ferendæ cauſam inde habuiſſe refert Sozomenus, ex inceſtu a Diacono CPoli cum Matrona, quæ pœnitentiæ cauſa in Eccleſia morabatur, patrato; unde ſubdit: *Hac de cauſa arbitror, Theodoſium Imperatorem cum Eccleſiarum honeſtati, & exiſtimationi proſpiceret, lege lata caviſſe, ne mulieres ad ſacrum Miniſterium admitterentur, niſi liberos haberent, & ſexageſimum ætatis annum impleſſent, utque fœminæ, quæ comam totondiſſent, arcerentur ab Eccleſia. Epiſcopi vero, qui eas admittere auſi eſſent, Sacerdotio privarentur.* At hæc Theodoſii conſtitutio Mediolani vulgata nil commune habuit cum facinore Diaconi Conſtantinopoli-

Digitized by Google

politani cum muliere perpetrato anno ſequenti, cum Theodoſius Conſtantinopolim rediiſſet Tatiano, & Symmacho Coſs., ut narrat Socrates.

3. Hanc legem paulo poſt, utpote Religioni, Eccleſiæque libertati injurioſam Theodoſius revocavit ad eumdem Tatianum in hæc verba reſcribens: *Legem, quæ Diaconiſſis, vel Viduis nuper eſt promulgata, ne quis videlicet Clericus, neve ſub Eccleſiæ nomine mancipia, ſuppellectilem, prædam velut infirmi ſexus diſpoliator invaderet, & remotis affinibus, ac propinquis, ipſe ſub prætextu Catholicæ diſciplinæ ſe ageret viventis hæredem, eatenus animadvertat eſſe revocatam, ut de omnibus chartis, ſi jam nota eſt, auferatur, neque quiſquam, aut litigator ea ſibi utendum, aut Judex noverit exequendum. Datum X. Kal. Septemb. Veronæ Valentiniano Aug. IIII. & Neoterio Coſs.* Hanc Theodoſianæ legis revocationem Ambroſio deberi, vix dubitamus; is etenim utpote eccleſiaſticæ libertatis, & diſciplinæ vindex, de injuria Eccleſiæ illata conqueſtus, effecit, ut legem ſuam Theodoſius revocaret. Legis autem pars altera, qua fœminas tonderi prohibebat, nullam habuiſſe vim inde patet, quod Hieronymus, virgines, ac viduas, quæ caſtitatem profitebantur, capillos deponere in uſu habuiſſe narrat, ad Sabinianum Diaconum ſcribens: *Moris eſt in Ægypti, & Syriæ Monaſteriis, ut tam Virgo, quam Vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renunciantes, omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem Monaſteriorum matribus offerant deſecandum. Hoc autem duplicem ob cauſam de conſuetudine verſum eſt in naturam, vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne a parvis animalibus, quæ inter cutem, & crinem gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur.* Unde ridendi magis ſunt, quam confutandi Novatores, qui hanc capillorum tonſionem apud Monachos, & Monachas uſitatam, tamquam ſuperſtitioſum ritum condemnant; cum ſcire debeant, hæc ab iiſdem fieri, tum in ſignum ſpreti ſæculi, omniſque ornatus ejus, tum etiam ſanitatis curandæ, & munditiæ ſervandæ cauſa.

Theodoſius legem ſuam abrogat. *Cod. Theod. leg. 28. de Epiſc.*

*Hieron. epiſt. 48.*

4. Quod inſuper ad leges Theodoſii ſpectat, laudatur ab Aurelio Victore lex altera a Theodoſio data, qua conſobrinorum conjugia prohibuit, cujus legis meminit quoque Ambroſius, ad Paternum ſcribens: *Sed ſi Divina te prætereunt, ſaltem Imperatorum præcepta, a quibus ampliſſimum accepiſti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodoſias*

Theodoſius inceſtuoſas nuptias vetat. *Vict. in Theod. Ambroſ. epiſt. 60.*

Jesu Chr. an. 390.

*ſius Imperator etiam patrueles fratres, & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine; & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pignora &c.* Hæc quidem Theodoſii lex in ejus Codice deſideratur, at altera ei ſimilis extat, quæ Conſtantio tribuitur ſancita Romæ Arbetione, & Lolliano Conſulibus. Quod autem ait Ambroſius, ſeveriſſimam pœnam a Theodoſio adverſus hos fuiſſe ſtatutam, quænam illa fuerit, reperies in Conſtitutione Arcadii, & Honori Imperatorum, ſeveritatem ejus legis mitigantium, qua (ut ibi dicitur) ſtatuta erat pœna ignis, atque bonorum proſcriptio. Sane quidem ut Romani ducerent conſobrinas, nequaquam antiquo jure factum apparet, ſed recentiori, ut Plutarchus auctor eſt, qui ait: *Antiquitus enim ſanguine junctas Romani non copulabant ſibi matrimonio, & ne nunc quidem materteras, aut ſorores; ſero conceſſum fuit, ut ducere Conſobrinas liceret*; idque populari potius libertate, quam permittente jure apud Romanos toleratum eſt. Apud Græcos tamen, & Ægyptios latius adhuc luxuriæ limites patebant; ſiquidem Solonis, & Lycurgi auctoritate non ſolum cum conſobrinis conjugia inire fas erat, ſed & cum ſororibus: *Neque enim Cimoni fuit turpe*, ait Nepos, *Athenienſium ſummo viro ſororem germanam habere in matrimonio, quippe cum cives ejus eodem uterentur inſtituto. At id quidem noſtris moribus* (ideſt Romanis) *nefas habetur*.

*Plutar. quæſt. Rom. q. 6.*

*Cornel. Nep. præf. in Vit. Imp.*

Theſſalonicæ ſeditio oritur; ibidem tacta.

5. Quo tempore Romanum Imperium a ſcelerum colluvie expurgare nitebatur Theodoſius, ſcelus ipſe admiſit, quod ejus nomini æternum dedecus intuliſſet, niſi majori cum gloria publica pœnitentia diluiſſet. De Theſſalonicenſium cæde agimus, quam etſi ad ſecundum Theodoſii adventum in Italiam, & poſt victoriam de Eugenio habitam, referat Sozomenus, ad hæc tamen tempora, & poſt debellatum Maximum, ex cæteris Scriptoribus Ruffino, Paulino, Theodoreto pertinere ſcimus. Unde autem Theſſalonicenſium ſeditio orta ſit, his verbis narrat Sozomenus: *Butherici tempore Magiſtri militum per Illyricum, pincernam auriga amore ejus captus ſollicitaverat de ſtupro, eamque ob cauſam comprehenſus in cuſtodia tenebatur; cum autem nobile equorum certamen in circo edendum eſſet, populus Theſſalonicenſis poſtulavit, ut is tanquam ad illud certamen neceſſarius dimitteretur; ſed cum nihil proficeret, graviſſimam ſeditionem commovit, ac poſtremo Buthericum ipſum interfecit.* Quam

*Sozom. lib. 7. 25.*

*Ruffin. hiſt. li. 2. 18. Paulin. Ambroſ. vita Theodor. lib. 5. 17.*

Jesu Chr. An. 390.

Quam ob cauſam Theodoſius incredibili ira ſuccenſus, certum Theſſalonicenſium numerum indiſcriminatim occidi præcepit. Quo factum eſt, ut innocentes pro reis obtruncarentur, multaque acciderent tum miſeratione, cum execratione digna. Inter cætera, cum mercator quidam pro duobus filiis, qui comprehenſi fuerant ſemetipſum obtuliſſet, ac pro beneficii mercede ingentem auri ſummam militibus ſe daturum ſpopondiſſet, milites quidem ob calamitatem viri commoti, pro altero ex filiis, quem vellet, ſupplicationem ejus admiſerunt; utrumque vero dimittere, haudquaquam ſibi tutum fore dixerunt. At pater cum ambos aſpiceret, flens, ac gemens, neutrum ex duobus eximere valuit, ſed dubius ancepſque animo, quoad interficerentur, permanſit: *Præterea famulum quemdam pro domino ſuo, qui tum ad mortem ducebatur, libenti animo occiſum eſſe, accepi*, ait Sozomenus. In hac Theſſalonicenſium ſtrage non ſolum in eo peccavit Theodoſius, quod juſtæ vindictæ metas exceſſerit, dum cum noxiis innocentes quoque ſupplicio affecit, ſed etiam quia datam fidem fregerat; nam ut ait Auguſtinus: *Jam Epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam*; præ ceteris vero *promiſerat Ambroſio Imperator*, ait Paulinus, *ſe veniam daturum civibus ſupradictæ civitatis, ſed agentibus comitibus occulte cum Imperatore, ignorante Sacerdote, uſque in horam tertiam gladio civitas eſt donata, atque plurimi interempti innocentes; una ſtrage ſeptem millia hominum interfecta eſſe dicuntur*, inquit Theodoretus; quorum numerum alii augent, ac duplo exagerant. Ubi vero atrociſſimæ cædis nuncius ad Ambroſii aures, ac Epiſcoporum, qui ad ſynodum convenerant, pervenit, nemo non ingemuit, nemo non exhorruit.

*Auguſtin. de Civit. Dei lib. 5. 26.*
*Paulin. vit. Ambroſ.*
*Theod. lib. 5. 17.*
*Theophan. & Zonaras.*
*Ambroſ. epiſt. ad Theodoſ. ep. 51.*

6. Præceteris Ambroſius Theodoſium admonendum cenſuit, ut dignam tanti ſceleris pœnitentiam ageret, ut veniam a Deo obtinere, & Eccleſiaſticæ communionis particeps fieri poſſet. Poſt multa, quibus ſe ſui Officii eſſe ait peccantes admonere: *Factum eſt in Urbe*, ſubdit, *Theſſalonicenſium, quod nulla memoria habet, quod revocare non potui, ne fieret; immo quod ante atrociſſimum fore dixi, cum toties rogarem; & quod ipſe ſero revocando grave factum putaſti, hoc factum extenuare non poteram. Quando primum auditum eſt, propter adventum Gallorum Epiſcoporum ſynodus convenerat; nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit: non erat facti tui abſolutio in Ambroſii communione. In me etiam amplius commiſſi exagera-*

Ambroſius Theodoſium Imp. ad pœnitentiam excitat.

JESU CHR. AN. 390. *gereretur invidia, ſi nemo diceret Dei noſtri reconciliationem fore neceſſariam. An pudet te, Imperator, hoc facere, quod Rex Propheta, auctor Chriſti ſecundum carnem proſapiæ fecit David?* Quod & exemplis, & rationibus confirmat; deinde: *Hæc ideo ſcripſi, non ut te confundam, ſed ut regum exempla provocent, ut tollas hoc peccatum de regno tuo: tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tentatio, vince eam; peccatum non tollitur niſi lacrymis, & pœnitentia.* Deinde poſt aliqua: *Suadeo, rogo, hortor, admoneo, quia dolori eſt mihi, ut tu qui pietatis inauditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui ſingulos nocentes non patieburis periclitari, tot periiſſe non doleas innocentes &c.* Quem ideo ad pœnitentiam agendam longa oratione excitat.

Ambroſius ab Eccleſiæ ingreſſu Theodoſium prohibet.

*Paulin. Amb. vita.*

*Theod. lib. 5. 18.*

7. Ambroſii epiſtola commotus Theodoſius, & conſcientiæ ſtimulis exagitatus, Mediolanum cito rediit, ut vulneribus ſuis ab Ambroſio remedium quæreret; cumque ad Eccleſiam ire ſtatuiſſet, ex ejuſdem ingreſſu ab Ambroſio prohibitus eſt, ac *copiam Imperatori ingrediendi Eccleſiam Ambroſius denegavit, nec prius dignum judicavit cœtu Eccleſiæ, vel Sacramentorum communione, quam publicam ageret pœnitentiam, cui Imperator contra adſerebat: David adulterium ſimul, & homicidium perpetraſſe*; ſed reſponſum illico eſt: *Qui ſequutus es errantem, ſequere corrigentem. Quod ubi audivit clementiſſimus Imperator, ita ſuſcepit animo, ut publicam pœnitentiam non abhorreret*, ait Paulinus. Eademque Theodoretus: *Hanc miſerandam calamitatem* (Theſſalonicenſium ſcilicet ſtragem) *cum audiſſet Ambroſius, Imperatori Mediolanum ingreſſo, ac more ſolito ad eccleſiam venienti, obviam proceſſit extra veſtibulum, & a ſacri liminis ingreſſu eum prohibuit his verbis: Ignoras, ut puto Imperator, perpetratæ abs te cædis gravitatem, & furore jam ſedato, nondum ratio ſcelus, quod amiſſum eſt, intellexit. Obſtat enim fortaſſe Imperialis potentia, quo minus peccatum agnoſcas, & rationi tenebras offundit licentia &c.* Poſt plurima vero addit, Ambroſii admonitioni obtemperans Imperator, ac probe ſciens, quæ Sacerdotum, & quæ Imperatorum propria eſſent officia: *Flens, ac gemens reverſus eſt in Palatium. Longo poſt tempore elapſo, octo enim menſes exceſſerant, Servatoris noſtri natalis dies advenit. Imperator interim ſedebat in Palatio, magnam vim effundens lacrymarum.* Quare menſe Aprili Mediolani hæc contigiſſe, conſtat;

Digitized by Google

ſtat ; nam menſes octo, adveniente die Natalis Domini, tranſierant.

8. Cumque Ruffinus officiorum magiſter lacrimantem vidiſſet Theodoſium, cauſamque doloris ſciſcitatus, ad eum Theodoſius, *Tu*, inquit, *Ruffine ludis, mea quippe mala minime ſentis: Ego vero gemo, ac doleo, meam conſiderans calamitatem, ſiquidem ſervis quidem, ac mendicis patet eccleſia Dei, in quam libere ingrediuntur, & Domino ſuo ſupplicant; mihi vero & eccleſiæ aditus interdictus eſt, & præterea clauſæ ſunt Cæli fores; memor enim ſum Dominicæ vocis, quæ diſerte ita dicit*: Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis. *Tum Ruffinus: Curram*, inquit, *ſi tibi placet, & exorabo Antiſtitem, ut vincula tua ſolvat. Cui Imperator: Non perſuadebis*, inquit, *Ambroſio, novi æquitatem ſententiæ illius, nunquam ille Imperialem reveritus poteſtatem, Dei legem violaturus eſt*. Et ſane non is erat Ambroſius, ut ſpretis Eccleſiæ canonibus, Theodoſii volontati obſequeretur.

Quid Ruffinus cum Ambroſio egerit.

9. Interea cum Ruffinus inſtaret, ſeque Ambroſio perſuaſurum polliceretur, Imperator eum illico abire juſſit, nec multo poſt, ipſe quoque ſubſecutus eſt. Ambroſius autem ſimul atque Ruffinum vidit: *Canum*, inquit, *impudentiam imitaris. Nam cum tantæ cædis ſuaſor extiteris, pudorem e fronte excuſſiſti, & neque erubeſcis, neque formidas, cum adverſus imaginem Dei tanta rabie ſævieris*. Cumque Ruffinus ſupplicaret, & Imperatorem brevi adfuturum diceret, Ambroſius divino zelo incenſus: *Ego quidem*, inquit, *tibi Ruffine prædico, atque prænuntio, me illum ab ingreſſu ſacri veſtibuli repulſurum. Si vero Imperium in tyrannidem verterit, ego quoque libenti animo cædem excipiam*. Iis auditis invictam Ambroſii conſtantiam Imperatori per nuncium ſignificavit, ſuaſitque ut intra palatium remaneret. At Imperator, cum hæc in medio foro didiciſſet: *Ibo*, inquit, *& juſtas patiar contumelias*. At ubi ad eccleſiæ ſepta pervenit, in ipſam quidem Baſilicam ingreſſus non eſt; ſed accedens ad Epiſcopum, qui tum in ſalutatorio reſidebat, ut vinculis ſolveretur, rogavit. Ambroſius vero hujuſmodi adventum tyrannicum eſſe, legeſque eccleſiæ ſpernere dixit. Imperator autem ſe tantum, ut vinculis abſolveretur, petere, repoſuit.

Ambroſii conſtantia adverſus Ruffinum.

10. At Ambroſius, *Quam igitur*, inquit, *pœnitentiam oſtendiſti poſt tam grave facinus?* Tunc Imperator: *Tuum eſt*, ait,

Qua conditione Theodoſium ad communionem Ambroſius admiſit.

Digitized by Google

ait, *medicamenta oſtendere, ac temperare, mei autem officii eſt, oblata ſuſcipere*. Quare Ambroſius, ut legem vulgaret, juſſit, qua ſententias ex ira aut furore dictatas irritas atque inanes eſſe triginta dierum ſpatio declararet, cum præcipue de cæde, ac bonorum proſcriptione ageretur Quibus diebus tranſactis, ſedataque ira, is qui edictum ſcripſerat;Imperatori offerebat,& prolata ſententia iterum examini ſubjiciebatur, an quæ decreta fuerant, comfirmanda eſſent, nec ne. Quod conſilium cum audiſſet Imperator, & utiliſſimum eſſe exiſtimaret, ſtatim legem ſcribi præcepit, eamque manus ſuæ ſubſcriptione firmavit. Quo facto, Ambroſius ejus vincula relaxavit, atque ita in Eccleſiam Imperator ingreſſus, pronus humi, Davidicam hanc vocem emiſit: *Adhæſit pavimento anima mea: vivifica me ſecundum verbum tuum*; ac lacrymis ſolum rigans, veniam ſibi dari poſtulavit, ac in eccleſiæ communionem admitti promeruit.

Ambroſii conſtantia, & Theodoſii humilitas.

11. Altero etiam facinore, tum Ambroſii conſtantia, cum Theodoſii pietas emicuit: *Cum tempus adveniſſet*, ait Theodoretus, *quo dona ſacræ Menſæ erant offerenda, ſurgens, cum lacrymis, non minoribus quam antea, progreſſus eſt ad altare. Cumque obtuliſſet, intus ad cancellos ſubſtitit, ſicut conſueverat*. Ambroſius vero ſilentium frangens Imperatorem rogavit, quid vellet? Et cum reſpondiſſet, præſtolari ſe ſacrorum Myſteriorum perceptionem, per Archidiaconum hæc ei ſignificavit: *Interiora loca, Imperator, ſolis Sacerdotibus patent: reliquis omnibus inacceſſa ſunt, & intacta. Abſcede igitur, & una cum aliis conſiſte; nam purpura Imperatores facit, non Sacerdotes*. Quam admonitionem æquo animo ſuſcipiens Theodoſius, renuntiari juſſit Ambroſio, ſe nequaquam arrogantia elatum intra cancellos ſubſtitiſſe; ſed quia Conſtantinopoli eum morem ſervaverat. Cæterum pro hac etiam curatione gratiam habere dixit. Hinc factum, ut Conſtantinopolim reverſus, cum feſto quodam die, oblatis ad ſacram menſam muneribus ſuis, ſtatim abſceſſiſſet, Nectarius cauſam quærens, ſuſpirans reſpondit: *Vix tandem edoctus ſum, quid eſſet diſcriminis inter Sacerdotem, ac Principem, veritatis magiſtrum vix tandem inveni. Unum enim Ambroſium novi, qui Epiſcopum dici mereatur*, ait Theodoretus de Theodoſii pœnitentia, & pietate, & de Sacerdotali libertate, qua erga Imperatorem uſus eſt Ambroſius.

Theodoſius ob pœnitentiam peractam commendatur. *Auguſt. de Civit. Dei lib. 5. 26.*

12. Theodoſii pœnitentiam cum laude Auguſtinus commemo-

memorat: *Quid autem fuit ejus religioſa humilitate mirabilius, quando in Theſſalonicenſium graviſſimum ſcelus, cui jam Epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam, tumultu quorumdam, qui ei cohærebant, vindicare compulſus eſt; & Eccleſiaſtica coercitus diſciplina, ſic egit pœnitentiam, ut Imperatoriam celſitudinem pro illo populus orans, magis fleret videndo proſtratam, quam peccando timeret iratam?* Ambroſius vero de eodem: *Dilexi*, inquit, *virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret. Stravit omne, quo utebatur, inſigne regium: deflevit in Eccleſia publice peccatum ſuum; quod ei aliorum fraude obrepſerat; gemitu, & lacrymis oravit veniam. Quod privati erubeſcunt, non erubuit Imperator publice agere pœnitentiam, neque ullus poſtea dies fuit, quo non illum doleret errorem.*

Præcipuum decus Theodoſii. Baron. 390. 31.

13. In eamdemque rem hæc merito cum Baronio adnotare juvabit. Viguit, vigebitque ſemper ejuſmodi Theodoſii exemplum in Eccleſia Dei; & quod tunc effulſit, effulgebit jugiter tamquam inſigne quoddam, ac præclariſſimum ornamentum, ac veluti nobile trophæum erectum ex illuſtri victoria conſecutum, vincente ſeipſum Imperatore: vigebit, inquam, glorioſus triumphus exculptus æternis tabulis longe præſtantioribus illis, quibus tum Barbarorum, tum Tyrannorum declarabatur extinctio; atque viva columna ampliſſimis, perpetuiſque notis expreſſum viſuri ſunt poſteri Imperatores, ac Principes, nihil elucère venuſtius, coruſcare ſplendidius, atque micare ardentius inter omnes regiæ coronæ virtutum gemmas, quam ipſam illibate ſervatam, & in omnibus integerrime cuſtoditam Religionem, cujus cauſa exhibita humilitas ſublimis ſit exaltatio, & delata obedientia quovis ſummo præſtet Imperio: uſque adeo, ut ejus gratia & ipſæ tenebræ peccatorum, quibus offundi, obſcurarique ſolet fulgor ille regiæ majeſtatis, convertantur (ut vidimus de Theodoſio) in claritudinem, ſemperque manentem gloriam. Hactenus de his Baronius. Novatores tamen, quibus inviſa eſt ſacerdotalis Poteſtas, a Chriſto Domino data, dimittendi, ac retinendi peccata, Ambroſii libertatem, & in vindicandis criminibus ſeveritatem, non ſecus ac temerarium facinus arguere non dubitarunt, quos, ut ait Muratorius, inſaniæ ſuæ relinquendi ſunt, elleboro tantum curandi, quos Baſnagius, inter Calviniſtas Scriptores celeberrimus, meliora docebit, de Theodoſii pœnitentia hæc adnotans: *Hiſtoria hæc eſt, in qua quem nos magis laudemus Principem, ac Epiſcopum,*

Murat. an. 390.

Baſnag. Annal. an. 390. 4.

JESU CHR. AN. 390. *pum, non ſatis certo ſcimus, illum ob ſubmiſſam cum humilitate obedientiam; hunc ob conſtantiam, ac amorem, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ pertinaciam. Nunquam ita magnifica quidquam dicemus, id utriuſque virtus quin ſuperet ſua. Utrumque ergo admirabimur, ac eo magis quod rariſſimi ſint Epiſcopi, qui potentiæ Regiæ ſecuri, ac æqui normam ſeque ſuamque diſciplinam dirigant, & Principes, qui majeſtatis ſuæ immemores Paſtoribus Eccleſia juſta præcipientibus morem gerant.*

De Theodoſii lege pro dilatione ſupplicii. *Theod. lib. 5. 18. Ruffin. hiſt. lib. 11. 18. Sozom. lib. 7. 25. Cod. Juſtinian. tit. 47. de pœnis l. 20.*

14. Legem a Theodoſio latam, qua reorum ſupplicia uſque ad trigeſimum diem a lata ſententia differri juſſit, meminerunt Theodoretus, Ruffinus, & Sozomenus. Extat quidem in Theodoſiano, & Juſtinianeo Codice lex, cujus hæc ſunt verba: *Si vindicari in aliquos ſeverius contra noſtram conſuetudinem pro cauſæ intuitu juſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam, ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſors, & fortuna ſuſpenſa ſit, &c. Data decimo quinto Kal: Septemb: Veronæ Antonio, & Syagrio Coſſ.*, ideſt anno 382. In inſcriptione vero: *Imppp: Grat. Valent. & Theod: AAA: Flaviano PP: Illyrici, & Italiæ.* At hæc inſcriptio cum Theodoſii lege convenire nequaquam poteſt, dum vivente Gratiano, Veronæ anno 382. data dicitur. Theodoſii autem lex Mediolani data fuit hoc anno, non 15. *Kalen. Septemb.* ſed circa feſtum Nativitatis Chriſti, quo tempore Theodoſii reconciliatio contigit: unde tam in inſcriptione, quam in ſubſcriptione corruptam eſſe hanc legem, nonnulli tradiderunt. Alii vero, & quidem veroſimilius, hanc legem a Gratiano primum, ſeu a Valentiniano promulgatam fuiſſe aſſerunt anno 382, Antonio, & Syagrio Coſſ:, quam poſtea labenti anno Theodoſius renovavit; ac per Orientale Imperium ſervari juſſit. Hæc autem utpote ad exemplum prioris editæ a legum collectoribus prætermiſſa fuit; retenta altera Gratiani tempore anno 382. vulgata.

*Bar. 390. 26. 27.*

*Pag. n. 9. ad an. 390. Valeſ. lib. 5. 18. Theodoſ. Baſnag., Murat. hoc anno.*

De Synodo Mediolanenſi. *Ambroſ. epiſt. 51.*

15. Mediolanenſis Synodi ab Ambroſio hoc anno celebratæ, cui ex Gallicanis Epiſcopis aliquot adfuerunt, in Epiſtola ad Theodoſium his verbis meminit Ambroſius: *Quando primum auditum eſt, propter adventum Gallorum Epiſcoporum, Synodus convenerat; nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit, non erat facti tui abſolutio in Ambroſii communione, &c.* ideſt, ob Theſſalonicenſium cædem a Theodoſio imperatam, nemo Epiſcoporum tantum facinus non exhorruit. Tantæ tamen

Digitized by Google

men Synodi vix memoria ſupereſt; eamque Ithacianorum cauſa, & ob ordinationem Felicis Trevirenſis Epiſcopi ab iis factam, Mediolani Concilium fuiſſe celebratum, eruditorum plurimi adnotant, ac ex canone ſexto Concilii Taurinenſis confirmant, quo hæc leguntur: *Si qui ab ejus* ( ideſt Felicis ) *communione ſe voluerit ſequeſtrare, in noſtræ pacis conſortium ſuſcipiantur juxta litteras venerabilis memoriæ Ambroſii Epiſcopi, vel Romanæ Eccleſiæ Sacerdotis dudum datas*. At cum epiſtolæ Synodi Mediolanenſis, tum Siricii Papæ perierint, nil niſi divinando, de eadem dicendum reſtat. Tanta porro hac ætate Ambroſii fama erat, ut ab ultimis Terræ finibus, ad eum videndum, venerint illuſtres viri, ut in ejus vita narrat Paulinus.

*Ambroſ. vita a Maurinis edit. to. 4. p. 9. Concil. Taur. can. 6. Harduin. tom. I. p. 959.*

*Paul. Ambr. vita n. 25.*

16. Carthaginenſis Synodus a Genetlio Carthaginenſi Epiſcopo hoc anno habita eſt, ut ex ejuſdem præfatione conſtat, qua legitur: *Glorioſiſſimo Imperatore Valentiniano Aug: IV, & Neoterio V. C. Coſſ. III: Kal: Junii Carthagine in baſilica Perpetuæ Reſtitutæ, cum Genetlius Epiſcopus una cum Victore Aagitiano, & alio Victore Pupianenſi, & cæteris Epiſcopis ſuis Provinciarum diverſarum conſediſſet, Genetlius Epiſcopus dixit &c.* In ea Synodo canones tredecim editi ſunt; quorum primo Trinitatem tenendam, & prædicandam eſſe ab omnibus, jubetur. 2. Epigonio Bullenſium Regiorum Epiſcopo hortante ſtatuitur, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi continentiam ſervent, ac ab uxoribus ſe abſtineant. Tertio, Presbyteris chriſma, & benedictionem puellarum, & publicam pœnitentium reconciliationem peragere prohibetur; jubente tamen Epiſcopo pœnitentes reconciliare poterunt, canone quarto cautum eſt. Quinto: Diœceſis, quæ Epiſcopum hactenus non habuit, non habeat: *Si accedente tempore, creſcente fide Dei populus multiplicatus deſideraverit proprium habere Rectorem, ejus voluntate, in cujus poteſtate eſt Diœceſis conſtituta, habeat Epiſcopum*. Sexto: Criminibus implicatos a Clericorum accuſatione repellit. Septimo: Qui excommunicatum ad communionem admiſerit, eadem pœna teneatur. Octavo: Presbyter excommunicatus ſi Sacrificium offerre præſumpſerit, aut ſchiſma fecerit, anathemate damnatur. Nono: Presbyter ſi inconſulto Epiſcopo agendam, ideſt Sacrificium, in quolibet loco voluerit celebrare, honore ſuo privabitur. Decimo: Epiſcopus crimine accuſatus, a duodecim Epiſcopis audiatur; Presbyter a ſex, Diaconus a tribus. Unde-

Carthaginenſis Synodus, ejuſque Canones.

*Hard Concil. tom. I. p. 955.*

Jesu Chr. An. 390. Undecimo: Nullus Epiſcopus alienam Diœceſim invadat. Duodecimo: Sine Primatis licentia nullus Epiſcopus ordinetur; in cujus ordinatione Primatis juſſu tres Epiſcopi convenire debent. Decimotertio tandem, & ultimo cavetur, ut hactenus ſtatuta ſerventur ab omnibus Epiſcopis, qui propria etiam ſubſcriptione eadem firmare debebant, ut factum eſt.

Gregorii Nazianzeni certamina, & morbi.

17. Gregorius Nazianzenus, Conſtantinopolitana Sede relicta, ut ſupra diximus, Nazianzum redierat, ut ibi a ſæculi, & Eccleſiæ negotiis remotus, quietam ageret vitam. At iterum morbis, & perſecutionibus exagitatus fuit, de quibus ſingillatim, ſed breviter agendum; ac primo podagræ morbo ita detinebatur, ut Caſtori ſcribens, condoleret, quod eum adire non poſſet: *Atque hoc mihi morbus attulit, qui me velut pedibus vinctum tenet, atque ad multa torpidum, aut etiam, ſi verius loquendum eſt, plane immobilem reddit*, quod & aliis epiſtolis dolens, ſæpe repetit. Tot inter corporis afflictationes id maxime ſanctum virum excruciabat, quod adverſus ſpiritum caro adhuc rebellis eſſet, cujus belli cauſa lugubres ſæpe threnos cecinit. Inter cætera:

*Greg. Naz. epiſt. 94.*

*Epiſt. 118. 123. 125. 129. 137. 146. 158. 168. 172. 173. 188.*

*Greg. Naz. carm. tom. 2. adverſus carnem p. 58.*

*Exitioſa caro, Belli tenebroſa procella,*
*Exitioſa caro, qua fluit omne ſcelus,*
*Exitioſa caro Mundi labentis amica,*
*Cœleſti ac vitæ prælia dira movens,*
*Hoſtis amica caro, blandiſſima pugna, &c.*
*Non vitiis finem ſtatues, non improba cedes*
*Spiritui, & ſenio quod grave membra premit? &c.*

Et poſt plurima, quibus armis contra eam pugnaret, indicans ſubdit:

*Quod te ita conficiam variorum mole dolorum*
*Exanimi, ut jam ſis corpore debilior:*
*Ni contacta tibi quamprimum fimbria Chriſti*
*Peſtiferum fluxum comprimat, atque ſcelus.*
*Ex imo venias lacrymarum pectore flumen,*
*Ex animo atque oculis jam fuge ſomne meis.*
*Dureſcant curvata ſolo mihi membra, famique*
*Pro dapibus lætis ſit medicina cinis.*
*Sit ſaccus pro veſte mihi, qui pectora pungat,*

*Atque*

*Atque ferat menti, quam caro lædit, opem.*
*Cura veni carnis domitrix, pœnæque perennes*
*Fac ſubeant animum concutiantque meum.*
*Sic medeor ſtolidæ carni: at puriſſima vita*
*Et rediviva tui eſt muneris, alme Pater.*

Jesu Chr. an. 390.

tandem:

*Scande igitur, nam mox ſæva procella cadet.*

Alibi etiam ſe in ſenectute ea pati, quæ vix in juventute probaverat, conqueritur, cui moleſtiſſimum erat carnis illecebris, ac tentationibus vexari; cum maxime ab omni luxuriæ periculo remotus viveret, quod illuſtri exemplo demonſtravit. Cum enim Valentinianus quidam vir nobilis laſcivientes fœminas ſecum haberet, habitaretque in villa non longe, ubi Gregorius morabatur, ne eas fortuito etiam videret, loco ceſſit, recedenſque ad Valentinianum hæc ſcripſit:

*Greg. Nazian. carm. de rebus ſuis tom. 2.*

18. *Carbula per ſummum ſcelus ejicimur, atque ut tragœdiæ verbis, nonnihil immutatis, utar, ejicimur non quidem ſermone, ſed certe reipſa. Multo enim melius erat, tabula publice propoſita nobis ſeceſſionem indicere, quam per mulieres, quas e regione noſtri collocaſti, vitæ gravitatem, & ſanctitatem intercidere.* Hæc aliaque in eamdem rem Gregorius. Cumque ſe aliquando loquaciorem fuiſſe intellexiſſet, aut ſibi fuiſſe videretur, quadraginta dies mutus, ac in ſilentio perſeveravit, ut pluribus idem narrat.

Greg Fœminarum aſpectum vitat. *Gregor. Naz. epiſt. 196.* *Gregor. Naz. car. de ſilent., Hymnum ad Chriſtum poſt ſilentium 40. dierum tom. 0. p. 107. & 110*

19. Ob res præclare hactenus geſtas, ſanctioremque vitæ rationem, in maxima æſtimatione undique erat Gregorius: Monachorum tamen nonnullos ejuſdem vitæ genus offendit; in quos idem Gregorius ſcribens, quæ ſibi objiciebantur, refellit, eoſque hypocritas fuiſſe, probat. Graviora adhuc fuerunt, quæ falſi Monachi in ipſum pertentarunt, cum lapidibus ad altare ſacrificantem aggreſſi ſunt; qua de cauſa, cum Theodorus Tyanenſis Epiſcopus tantum ſcelus vindicare, ac fontes debita pœna afficere ſtatuiſſet, data ad eum epiſtola, ut pœnam remitteret, enixe rogavit: *Audio te*, inquit, *contumelias eas, quas Monachi, ac pauperes nobis intulerunt, graviter, moleſteque ferre. Nec vero mirum eſt, te, qui nullum adhuc vulnus accepiſti, nec calamitatum noſtrarum periculum feciſti,*

Falſi Monachi Gregorio adverſantur. *Gregor. Naz. in falſos Monach. tom. 2. p. 116.* *Gregor. Naz. epiſt. 81.*

Jesu Chr. an. 390. *ciſti, ad hujuſmodi res animo diſcruciari. Gravia quidem, atque adeo graviſſima ſunt ea, quæ contigerunt, quis inficias ire queat? Nimirum & contumeliam Altaribus illatam eſſe, & conturbata Myſteria, & nos, inter ſacra, quibus opera dabatur, & eos, qui ſaxis nos appetebant &c.* Nihilominus tamen lenitate, atque clementia uti ſatius eſſe docet, quod etiam rationibus, ac exemplis confirmat, unde epiſtolam ſic claudit: *Quod ſi grave atque indignum videtur, nos ab ipſis contemptui habitos fuiſſe, multo velim tibi gravius videatur, nos hæc tibi ſuadentes minime exaudiri.* Hactenus Gregorius pro iis, qui eum tanta injuria affecerant, ad Theodoſium ſcribens.

Gregorii obitus. *Martyr. Rom. die. 9. Maj.* 20. His, aliiſque pietatis operibus intentus, ſenio, vigiliis, & laboribus pro Chriſti Eccleſia ſuſceptis, attritus obiit; cujus memoria a Latinis, & Græcis anniverſaria recolitur, & innumeris præconiis celebratur. Epitaphium ſibimet inter graves curas inſcripſerat his verſibus:

*Cur carnis laqueis tu me pater implicuiſti,*
*Cur ſubſum vitæ huic, quæ mihi bella movet?*
*Divino patre ſum genitus, ſanctaque parente,*
*Hac mihi lux vitæ namque precante data eſt.*
*Oravit, ſummoque Deo me vovit: at ortus*
*Eſt mihi per ſomnum virginitatis amor.*
*Iſta quidem Chriſti: poſt at ſubiere procellæ.*
*Rapta mihi bona ſunt: fracta dolore caro*
*Paſtores ſenſi quales vix crederet ullus,*
*Orbatuſque abii prole, maliſque gravis:*
*Gregorii hæc vita eſt: at Chriſto poſtera curæ,*
*Qui vitæ dator eſt: exprimat iſta lapis.*

Exigua hæc ſunt ſiquidem res ab eo geſtæ, vel ſcripta tam ſoluta oratione, quam verſibus, totidem ſunt tanti viri præconia, aut epitaphia, cujus animam Chriſtus poſſidet, corpus Romæ, in Baſilica Vaticana nobiliſſimo tumulo, reſurrectionem expectans requieſcit.

De tempore, quo Gregorius obiit, ejuſque teſtamento. 21. Quo anno vir clariſſimus obierit, definiri certo non poteſt; hoc tamen, vel proximo ad Deum properaſſe, ex eo ſcimus, quod Hieronymus anno Theodoſii Imperatoris 14. Chriſti vero 392. de Scriptoribus Eccleſiaſticis librum texens,

xens, de Gregorii Nazianzeni obitu hæc adnotat: *Deceſſit ante ferme triennium ſub Theodoſio Principe*; quæ Hieronymi verba etſi certum annum non aſſignent, attamen anno labenti, aut proximo obiiſſe indicant. De ejuſdem ætate, & obitu Suidas narrat: *Cum ad nonageſimum annum, & ultra progreſſus fuiſſet, decimotertio Theodoſii Imperatoris anno ex vita excedit*. At hæc ex Hieronymo emendanda ſunt, quem anno undecimo, vel duodecimo Theodoſii obiiſſe, conſtat, cum nondum ſeptuageſimum annum ageret. Multa, & verſibus, & ſoluta oratione ſcripſiſſe, omnes norunt; quin tamen multa, quæ ejuſdem nomini inſcribuntur, inter ſpuria accenſenda ſint, non eſt dubitandum, ut apud eruditos viros videre eſt. An autem inter apocripha ejus teſtamentum adſcribi debeat, nonnulli dubitarunt; communis tamen opinio, quam poſt Baronium, Natalis Alexander, Dupinius, Orſius, Caveus, aliique tuentur, inter genuina Gregorii Nazianzeni ſcripta, ejus quoque Teſtamentum recenſet, cujus hoc eſt exordium: *Flavio Eucherio, & Flavio Evagrio VC. Coſſ. pridie Kal. Jan.* hi Conſules fuerunt anno 381. *Gregorius Epiſcopus Catholicæ Conſtantinopolis Eccleſiæ vivens, ac prudens, ſanoque judicio, & integris ſenſibus condidi hoc teſtamentum: quod quidem jubeo, & volo eſſe ratum, firmitatemque in quolibet Foro, & quomodolibet obtinere*. Hæredemque conſtituit Eccleſiam Nazianzenam, ac voluntatis ſuæ executores delegavit Marcellum Diaconum, ac monachum, Gregorium item Diaconum Nazianzeni affinem, & Euſtathium monachum, qui & ipſe e domo ejus erat. Servos tamen, vel ejus voluntate, vel parentum ſuorum manumiſſos, liberos manere voluit, Gregorio etiam Diacono una cum Euſtathio monacho Arianzenum prædium, quod ex Regini bonis ad ſe pervenerat, reliquit; gregales tamen equas, & oves, quotquot vivens dederat, ipſis jure dominii manere juſſit. Gregorio Diacono privato jure dominii habere voluit aureos quinquaginta. Ruſianæ Virgini, propinquæ ſuæ, pecuniæ ſummam in annos ſingulos dari juſſit, una cum domo ad habitandum, quam moriens eccleſiæ reſtitueret, his alia, quæ legati nomine quam plurimis reliquit, leguntur, brevitatis ſtudio prætermiſſa; ac deinde ejuſdem Gregorii, & teſtium ſubſcriptio. Diſſimulari tamen non poteſt nonnulla in eo teſtamento legi, quæ dubitationem ingerunt, aut ſaltem illuſtratione indigent. In primis, quod Alypianam filiam ſuam, & Meletium

JESU CHR. AN. 390.

*Hieronym. de vir. Illuſt. in Gregor. Naz.*

*Tillem. hiſt. Eccl. Nat. Alex ſæcul. 4. Dupin. Biblioth. ſæc. 4. tom. 2. p. 804. Baſnag. annal. an. 390. Odin. de ſcript. eccleſ. tom. I. pag. 639. in Gregor. Nazianz. op.*

Gregorii Nazianzeni teſtamentum.

*Greg. op. tom. I. p. 877.*

JESU CHR. AN. 390.

tium Generum appellet, unde ſequeretur, eum conjugio aliquando implicatum fuiſſe; cum econtra ſciamus, a primæva ætate ad ſenectutem uſque virginitatem coluiſſe. Quoad Alypianam nec eſt cur multis immoremur, quod eam filiam ſuam, eamque dulciſſimam dixerit; nam cum ei neptis eſſet, ex Gorgonia ſorore genita, filiam quoque dicere potuit; ſicuti etiam filios, filiaſque dicimus, quos ſpeciali amore proſequimur, aut quorum ſaluti invigilamus; de quibus innumera apud Gregorium ipſum exempla occurunt, atque eadem ratione Meletium generum ſuum dicit; cum eidem cognatus eſſet, utpote Gorgoniæ maritus, ex fraſi apud Græcos non inuſitata. Leviora ſunt, quæ ex titulo, quem Gregorius in eo Teſtamento retinet Epiſcopi ſcilicet Conſtantinopolitani objici poſſunt. Sed quis ignorat, Gregorium Nazianzenum, etiam poſt abdicationem Conſtantinopolitanæ Sedis, eo adhuc titulo a Græcis hiſtoricis Socrate, Sozomeno, aliiſque, inſignitum fuiſſe? Sed in his Lectorem diu detinere nolo, de quibus plura apud Baronium, & Natalem Alexandrum videri poſſunt.

*Bar. an. 389. n. 23. ad 48. Nat. Alex. ſæc. 4. cap. 6. art. 22.*

Diſſidium inter Gallam, & Arcadium.

22. Dum Conſtantinopoli abeſſet Theodoſius, domeſticis diſſidiis aula aliquatenus turbata eſt, de quibus Marcellinus in Chronico ad hunc annum: *Galla Theodoſii uxor ab Arcadio privigno ſuo ejecta eſt*; quæ verba Baronius recitans, mortuam fuiſſe, atque ab Arcadio ſepultam tradit; eam tamen poſt hæc tempora vixiſſe, filioſque genuiſſe ſcimus. Quare inter novercam, & privignum aliquid diſſidii exortum fuiſſe dicendum eſt, ob quam cauſam, Galla ab aula vel receſſit, vel ejecta eſt ab Arcadio. Sed cum Theodoſius rediiſſet, novercalibus odiis ſopitis in aulam rediit, ut infra videbimus. Quo etiam anno, ut idem Marcellinus narrat: *Obeliſcus in circo poſitus eſt; columna haud longe ab Eccleſia conſtituta eſt, quæ argenteam Theodoſii magni ſtatuam ferens hactenus contemplatur*. Hæc porro Theodoſii ſtatua una cum baſi argentea a Juſtiniano Imperatore, anno Imperii ſui decimoſeptimo dejecta fuit; non quidem in Teodoſii odium, ſed, ob argenti cupiditatem, ait Muratorius.

*Baron. 390. n. 75.*

*Pag. in Baron. not. ut ſupra Mur. hoc anno.*

*Zonar. annal.*

JESU CHRISTI AN. 391. SIRICII PAPÆ 8. 
VALENTINIANI IMP. 17. THEODOSII IMP. 13.
ARCADII IMP. 9. COSS. TATIANO, ET
AUR. SYMMACHO
OLYMP. 292. AN. 3. URBIS AN. 1144.

1. Symmachus læſæ majeſtatis accuſatus, eo quod in laudem Maximi tyranni orationem recitaſſet, eaque de cauſa in exilium miſſus, cum Apologeticum *librum in laudem Theodoſii Imperatoris* conſcripſiſſet, veniam & conſularem dignitatem ab eodem Theodoſio Imperatore hoc anno promeruit. Symmachi conſulatum commemorat Prudentius, eique exprobrat, quod labentem Theodoſii opera Idololatriam ipſe non ſolum retineret, ſed etiam reſtituere totis viribus conaretur; unde inter cetera:

Symmachus conſul a Theodoſio dictus. *Socrati lib.* 5. 14.

*Prudent. adverſ. Symmac.*

*Ipſe magiſtratum tibi Conſulis, ipſe tribunal*
*Contulit, auratumque togæ donavit Amictum,*
*Cujus religio tibi diſplicet. O pereuntum*
*Aſſertor Divum, ſolus qui reſtituendos*
*Vulcani, Martiſque dolos, Venerisque peroras &c.*

Hæc aliaque in Symmachum Prudentius. Ne tamen ob collatam Symmacho conſularem dignitatem, Gentiliciæ ſuperſtitioni aliquomodo faviſſe videretur Theodoſius, antequam Italia excederet, omnem Idololatriæ culturam ſeveriſſima lege prohibuit his verbis: *Imppp. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius AAA. Albino PP. Nemo inſontem victimam cædat: nemo ſe hoſtiis polluat, nemo delubra adeat, templa perluſtret, & mortali opere formata ſimulacra ſuſcipiat; ne divinis atque humanis ſanctionibus reus fiat.* Quindecim auri libræ in eum impoſitæ ſunt, qui Idolorum templum, vel in itinere, vel in Urbe adoraturus intraverit *Dat. III. Kal. Mart. Mediol. Tatiano & Symmacho Coſſ.* Legem autem Senatorum conſenſu Imperator vulgavit, unde Prudentius adverſus Symmachum:

Theodoſii lex adverſus Ethnicos.

*Cod. Theod. de paganis leg.* 10.

*Aſpice quam pleno ſubſellia noſtra Senatu*
*Decernant infame Jovis pulvinar, & omne*
*Idolium longe purgata ex Urbe fugandum.*
*Qua vocat egregii ſententia Principis, illuc*
*Libera cum pedibus, tum corde frequentia tranſit:*
*Nec locus invidiæ eſt, nullam vis aſpera terret:*
*Ante oculos ſic velle patet, cunctique probatum,*
*Non juſſum, ſola capti ratione ſequuntur.*



Digitized by Google

JESU CHR. AN. 391.

Rurſum vero idem Theodoſius ad Ægypti magiſtratus aliam ejuſdem argumenti dedit ſanctionem, Evagrio Præfecto Auguſtali, & Romano Comiti Ægypti inſcriptam, ac in Theodoſiano Codice inſertam.

Theodoſii lex adverſus Apoſtatas. *Cod. Theod. de apoſt. lib. 5.*

2. Cum vero non ignoraret Theodoſius quamplurimos, relicta Idolatria, ad chriſtianam Fidem eo præſertim fine tranſiiſſe, ut chriſtiani Imperatoris gratiam promererentur, parati quoque, mutatis rebus, Fidem mutare, ut eos in ſuſceptæ Religionis propoſito retineret, gravioribus pœnis Apoſtatas lege lata puniendos juſſit hoc altero reſcripto: *Imppp. Valentin. Theod. & Arcadii AAA Flaviano PP Hi qui ſanctum fidem prodiderint, & ſanctum Baptiſma profanaverint, a conſortio omnium ſegregati ſint, a teſtimoniis alieni, teſtamenti ( ut ante jam ſanximus ) non habeant factionem, nulli in hæreditate ſuccedant, a nemine ſcribantur hæredes. &c.* Et ne videretur ejuſmodi ſanctione voluiſſe tantum errantem infrænare plebeculam, paucos poſt dies, ad coercendos eos qui in ſublimioribus dignitatibus conſtituti erant, reſcripto altero adjecit, ut ſi quis quacumque dignitate inſignitus, a chriſtiana fide ad profanos ritus tranſiiſſet, aut ſacrificiis ſe polluiſſet, ab omni honore dejectus, perpetua infamia notaretur, ut ibidem videre eſt, *Dat. V. Idus Maji Concordiæ Tatiano, & Symmacho Coſſ.*

*Cod. Theod. l. 5. de Apoſt.*

Theodoſius CPolim redit. *Socrat. lib. 5. 18.*

3. His aliiſque præclare geſtis, cum poſt Maximi necem triennium fere in Italia tranſiiſſet Theodoſius, labente hoc anno, ſeu potius deſinente, CPolim redit. *A nequiſſimis ac turpiſſimis flagitiis Imperator Theodoſius urbem Romam purgavit*, ait Socrates, *qui cum reliqua ad eumdem modum preclare diſpoſuiſſet, Valentinianum quidem juniorem Romæ Imperatorem reliquit, ipſe vero una cum filio ſuo Honorio Cpolim reverſus conſulatu Tatiani, & Symmachi, in eam ingreſſus eſt die quarto idus novembris. Sub idem tempus*, ſubdit Socrates, ideſt hoc eodem anno, facinus Cpoli admiſſum eſt, quod eam eccleſiam admodum turbavit, & Scriptoribus eccleſiaſticis diſputandi materiam præbuit; nam ut adnotat Valeſius: *Nullus eſt in hiſtoria eccleſiaſtica locus, qui doctorum hominum ingenia magis exercuit, quam iſte.* Rem geſtam ex Socrate, & Sozomeno audiamus, brevibuſque obſervationibus pro inſtituto noſtro expediemus: *Sub idem tempus*, ait Socrates, *presbyteros eccleſiarum, qui pœnitentiæ præerant, placuit aboleri.* Hos pœnitentiarios pre-

Eademque Marcellinus in chronico. CP. presbyter pœnitentiarius a Nectario amovetur. *Valeſ in Socr. lib. c. 19.*

presbyteros poſt exortum Novati ſchiſma, & poſt Decianam perſecutionem, deſtinatos fuiſſe ſcimus; nam antea ſolus fere Epiſcopus id muneris exercebat. At creſcente fidelium numero, cum Epiſcopus omnibus pœnitentiam petentibus ſatisfacere non poſſet, aut gravate id ferrent Epiſcopi, Presbyteros pœnitentiarios in unaquaque eccleſia deſtinarunt, qui Fidelium confeſſiones exciperent & pro peccatorum numero, & qualitate congruam pœnitentiam imponerent. Quod inſtitutum cum diu retinuiſſent eccleſiæ, Nectarius Epiſcopus officium Presbyteri pœnitentiarii in Eccleſia abrogavit ob hanc cauſam. Cum etenim mulier quædam nobilis ad pœnitentiarium presbyterum acceſſiſset, ut delicta poſt baptiſmum a ſe perpetrata ſingillatim confiteretur, ille vero mulieri præcepiſſet, ut jejuniis, & orationibus continuis vacaret, ut congruam peccatis pœnitentiam ageret; progreſſu temporis eadem mulier aliud facinus confeſſa eſt, Eccleſiæ videlicet diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Quam ob cauſam diaconus quidem Eccleſia ejectus eſt; populus vero graviter commotus adverſus eccleſiæ miniſtros, eos, non ſine Eccleſiæ ſcandalo, probris diriſque proſequebatur. Quare Eudæmon quidam Eccleſiæ presbyter, Alexandria oriundus, Epiſcopo Nectario ſuaſit, *ut pœnitentiarium quidem Presbyterum expungeret; unumquemque vero pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem ſineret accedere. Hæc ego cum ab ipſo Eudæmone acceperim, Hiſtoriæ huic inſerere minime dubitavi.*

JESU CHR. AN. 391.

*Sozom. lib. 7. 16.*

An publicam aut privatam pœnitentiam Nectarius abſtulerit.

4. In hunc Socratis locum multa ab eruditis viris adnotata ſunt; & ut Novatores prætereamus, qui ex hac Nectarii hiſtoria, liberam cuique chriſtiano fuiſſe ſecretam peccatorum confeſſionem contendunt, Catholici etiam ſcriptores in varias abierunt ſententias, nam alii Socratis, Sozomenique fidem, tanquam Novatianæ ſectæ fautorum ſuſpectam habent, unde *Tanta hæc Socrati teſtanti præſtanda eſt fides, quanta ceteris hæreticis de ſuis dogmatibus tractantibus*. Valeſius tamen ex hoc ipſo hiſtoriæ loco, Socratem ab ea labe alienum fuiſſe, probat his verbis: *Ceterum ex hoc loco apparet hanc Nectarii conſtitutionem diſplicuiſſe Socrati noſtro. Ait enim, conceſſam exinde fuiſſe licentiam ſceleri, cum nemo poſthac vereretur, ne quis ipſum coram Pœnitentiario accuſaret. Unde etiam neceſſario colligitur, Socratem noſtrum non fuiſſe Novatianum*

*Dalleus de confeſſ. Baſna. Annal. 391. 8. Bar. an. 56. 26.*

*Valeſ. not. in Socrat. ad lib. 5. cap. 19.*



tianum

Jesu Chr. an. 391.

*tianum. Nam ſi Novatianus fuiſſet, nunquam profecto decretum illud improbaſſet Nectarii, qui Pœnitentiarium abrogaverat; nec de conſilio, quod Eudæmon Nectario ſuggeſſerat, prænuntiare dubitaſſet, utrum illud utile, an damnoſum eſſet Eccleſiæ: quippe Novatiani nec pœnitentiam, nec pœnitentiarium Presbyterum unquam admiſerant. Adde, quod Socrates hoc loco Eccleſiam ſimpliciter vocat conventum homouſianorum: quod utique nunquam faceret, ſi Novatianorum ſectam ſecutus fuiſſet.*
Alii vero, quibus perſuaſum eſt Socrati fidem abrogari non poſſe, una cum presbytero pœnitentiario, aut publicam, vel privatam pœnitentiam ſublatam fuiſſe ſcribunt, itaut alterutram tantum retineret CPolitana eccleſia. Propius tamen Socratis ſenſum Valeſius tetigiſſe videtur, dum presbyterum quidem pœnitentiarum a Nectario ejectum ex albo eccleſiæ tum fuiſſe ſcribit; ceterum privatam æque ac publicam peccatorum confeſſionem, pro criminum differentia, perſeveraſſe adnotat. Neque enim fidelium cuiquam prohibuit, ne impoſterum ſeipſum, aut alium ex presbyteris confeſſionis cauſa adiret, ſed laicorum neminem impoſterum Nectarius ad confeſſionem, aut publicam pœnitentiam compulit; quam in cujuslibet arbitrio eſſe voluit, ut ait Socrates; ut ante ſacram communionem peccata ſua occulta confiteretur Sacerdoti, utque pro arbitrio ſuo quiſque pœnitentiam ageret. Ut paucis rem complectar, pro privatis criminibus ad agendam publicam pœnitentiam, fideles cogi impoſterum noluit Nectarius, cum antea accideret ſæpe, ut non ſolum pro publicis, ſed etiam pro privatis criminibus publica injungeretur pœnitentia, quam diſciplinam in CPolitana Eccleſia ad uſque Nectarii tempora viguiſſe non eſt dubitandum, & ne a longe petamus exempla, ex bina confeſſione ejuſdem Matronæ, cujus Socrates meminit, aperte probatur; ait enim: *Mulier ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta poſt baptiſmum a ſe perpetrata ſingillatim confeſſa erat*; en privata, & auricularis confeſſio presbytero facta, non alicujus manifeſti criminis, ſed omnium peccatorum, & quidem ſingillatim poſt baptiſmum admiſſorum; nunc publicam ejuſdem mulieris pœnitentiam eidem a pœnitentiario presbytero impoſitam videamus: *Presbyter vero*, ait Socrates, *præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo ſcilicet una cum delictorum Confeſſione opus etiam pœnitentiæ con-*

*Petavius. not. in Epiph. ad hær. 59. Bellarm. de pœnit. lib. 3. 6. Valeſ. ibid. ut ſup.*

*Socrat. ut ſup.*

*conveniens oſtenderet*; porro jejuniis & orationibus continuis vacare, atque pœnitentiæ opus oſtendere, nil aliud ſignificat, quam publicam pœnitentiam agere, quam deſcribens Tertullianus: *Ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum, presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere; &c.* & de Fabiola matrona Romana publicæ pœnitentiæ operibus intenta Hieronymus: *Ante diem Paſchæ in baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtetit in ordine pœnitentium, Epiſcopo, presbyteris, & omni populo collachrymantibus, ſparſum crimen, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla, ſubmiſit.* Poſt primam vero confeſſionem, pœnitentiæ curriculo nondum abſoluto: *Progreſſu temporis*, ait Socrates, *mulier aliud facinus confeſſa eſt, eccleſiæ videlicet diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe, id cum dixiſſet, diaconus quidem eccleſia ejectus eſt, populus vero graviter commoveri cœpit &c.* Iterum ergo ſecreta peccati confeſſio, presbytero pœnitentiario facta, ſtupri ſcilicet cum diacono habiti, quod etiam in vulgi notitiam perlatum eſt, publicæ pœnitentiæ operibus expiandum; nam diaconus eccleſia ejectus, nonniſi peracta publica pœnitentia, reconcialiari potuit, nec mulier tanto flagitio rea ad communionem, niſi publica pœnitentia peracta, admitti poterat. Quomodo autem occultum crimen, quod mulier pœnitentiario confeſſa fuerat, in publicum prodierit, unde & diaconus criminis ſocius eccleſia ejiceretur, & eccleſia probro afficeretur, in obſcuro eſt; fortaſſe pœnitentiarius presbyter curioſe in ſingulorum crimina perſcrutabatur, ut graviorum criminum reos debita pœna afficeret, & pœnitentiæ operibus ſatisfacere cogeret, vel etiam ſponte confeſſos cogebat ad revelandos criminum ſocios, ut in judicio convicti, & ipſi pœnitentiæ jugo ſubderentur, quam agendi rationem merito Nectarius ſuſtulit, eaque de cauſa pœnitentiarium presbyterum officio ſuo privavit. Nec mirum id diſciplinæ zelo, ſed non ſecundum ſcientiam accidiſſe; nam & noſtris diebus in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, confeſſarii nonnulli eodem immoderato zelo abrepti, & ſub ſpe, & colore procurandæ ſalutis, pœnitentes ſuos ad revelationem ſociorum in crimina, negata etiam peccatorum abſolutione, adigebant; quam agendi rationem, ſeu potius corruptelam, Sacramento poenitentiæ injurioſam, duabus epiſtolis, & conſtitutione ſua, ſeu Bulla, ad

JESU CHR. AN. 391.

*Tertull. de pœnit.*

*Hier. epiſt. 77.*

*Ben. 14. Bull. tom. 1. n. 134. tom. 2. n. 8. tom. 3. pag. 102.*

ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Portugalliæ datis, Benedictus Papa decimus quartus reprobavit. Ceterum quocumque modo hæc a Nectario geſta explicentur; id certum exploratumque eſt, Nectarium nec publicam, nec ſecretam peccatorum confeſſionem & pœnitentiam abrogaſſe: non publicam, alioquin omnem eccleſiæ diſciplinam evertiſſet, dum capitalium criminum reos, qui publice peccaſſent, ab agenda publica poenitentia liberaſſet; quod abſonum, abſurdumque fuiſſet. Conſtat inſuper publicam pœnitentiam in Orientali, & CPolitana eccleſia, ſequentibus annis in uſu fuiſſe; quam & Joannes Chryſoſthomus, Nectarii ſucceſſor, ceterique ſucceſſores ſartam tectamque voluerunt; unde Sexta ſynodus CP. ſexennio adulterii reos ſubjiciendos eſſe juſſit, conſtit. 6. cap. 87. Sed neque privatam confeſſionem peccatorum, & pœnitentiam Nectarius, amoto pœnitentiario presbytero, deletam voluit; nam ut Valeſius adnotat, eo amoto, fidelibus *non interdixit ne inpoſterum quis aut ipſum, aut alium ex presbyteris adiret confitendorum criminum cauſa, neque ſibi ipſe poteſtatem ademit, eos qui publicum crimen admiſiſſent a ſacris Myſteriis arcendi, & ad publicam pænitentiam compellandi, ſed neminem laicorum ad confeſſionem, & publicam pænitentiam compulit*, pro peccatis ſcilicet, quæ quiſque ſecreto commiſerat, ſed unumquemque, ut ait Socrates, *pro arbitrio, & animi ſui conſcientia ad ſacramentorum communionem accedere ſinebat*. Hinc factum, ut obſervat Sozomenus, ut mitigata aliquatenus diſciplina, *in laxam, ac diſſolutam vivendi rationem paulatim* chriſtiani dilaberentur; *nam antea, ut equidem exiſtimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui ſua ipſi delicta enunciabant, tum ob ſeveritatem judicum, qui ad id erant conſtituti*, in perſcrutanda ſcilicet chriſtianorum vita; eodemque loco adnotat *in Occidentalibus eccleſiis, ac præcipue in eccleſia Romana, ſeveriorem fuiſſe pœnitentiæ diſciplinam, illic enim in propatulo eſt pœnitentium locus, quo illi ſtant mæſti, ac veluti lugentes, &c.* & narratis pœnitentium operibus, eorumque reconciliatione, addit: *Hæc Epiſcopi Urbis Romæ jam inde ab ultima vetuſtate ad noſtram uſque ætatem cuſtodiunt*, ait Sozomenus.

*Socr. Sozom. ut ſup.*

Tranſlatio capitis S. Joannis Baptiſtæ.

5. Celeberrimam reliquiarum ideſt capitis S. Joannis Baptiſtæ tranſlationem CPolim hoc tempore factam, Proſper, & Alex. Chronicon narrant; primus quidem anno proximo 390. *Valen-*

*Valentiniano Aug. IV.*, *&* *Neoterio Coſſ.* cum nondum Theodoſius CP. rediiſſet; qui error, ex librariorum incuria fortaſſe illapſus, ex Alex. Chronico corrigendus eſt, quo ſcimus labenti anno *Tatiano*, *&* *Symmacho Coſſ. menſe peritio*, *ante diem 12. Kal. Martias* eam translationem factam fuiſſe, de qua hæc Sozomenus adnotat: *Sub idem tempus translatum fuit CPolim Joannis Baptiſtæ caput, quod Herodias ab Herode Tetrarcha olim petierat*. Apud quoſdam autem monachos ſectæ Macedonianæ, qui prius quidem Hieroſolymis morati, inde in Ciliciam migrantes tranſtulerant, aliquandiu fuiſſe ait, cumque Mardonius Eunuchus, Præpoſitus Imperialis palatii rem detuliſſet Valenti Imp., is ut caput Conſtantinopolim deportaretur juſſerat, at qui ad hoc miſſi fuerant, caput illud publico vehiculo impoſitum transferre cœperunt. Sed cum veniſſent Pantichium, qui locus eſt in agro Chalcedonenſium, mulæ, quæ vehiculum trahebant, ulterius progredi detrectarunt; idque licet equiſones minas ipſis intentarent, & auriga flagello graviter eas cæderet. Qui cum nihil proficerent, & cunctis, ipſique adeo Imperatori ea res ſtupenda, ac prorſus divina videretur, in vico Coſilai ſacrum illud caput depoſuerunt. Hoc autem tempore, cum ad eum locum perrexiſſet Theodoſius Imp. ac Joannis Baptiſtæ reliquias inde auferre vellet, ſola ei reſtitit Matrona quædam Deo dicata, quæ caput illud tanquam miniſtra cuſtodiebat. Cum igitur illa omni virium niſu obſtaret, Imperator nequaquam eam cogendam eſſe cenſuit, ſed precibus contendebat, ut reliquias tolli permitteret. Quod cum illa vix tandem conceſſiſſet, irritum fore Imperatoris conatum arbitrata, ex eo, quod Valentis temporibus acciderat; Imperator loculum, in quo conditæ erant reliquiæ, purpurea veſte, qua indutus erat, involvens, ſecum detulit. *Reverſuſque in ſuburbano urbis Conſtantinopolitanæ, quod ſeptimum dicitur, depoſuit; ampliſſima illic, & pulcherrima baſilica in honorem Dei conſtructa &c.* His ſubdit Sozomenus, Matronam virginem ab Imperatore diu multumque rogatam, ut Macedoniano errore abdicato, ad catholicam eccleſiam tranſiret, nullatenus acquieviſſe, imo ad obitum uſque in virginitatis quidem propoſito, ſed in Macedoniana ſecta perſeveraſſe. Vincentius vero presbyter ejuſdem ſectæ, Joannis Baptiſtæ caput, & Imperatorem CP. ſecutus, in ejuſdem communionem tranſiit, ut pluribus ibidem narrat. Hanc de translatione capitis S. Joannis

JESU CHR. AN. 391.

Sozom. lib. 7. 21.

JESU CHR. AN. 391. annis Baptiſtæ hiſtoriam Annalibus ſuis inſerens Baſnagius, adnotat: *Diſſimulare non poſſumus de facta narratione reos ſuſpicione aſpergi, ac vehementer eo propendere, ut Joannis capitis ea translatio a Theodoſio abjudicetur*, ac Socratis ſilentio præcipue innititur, qui de ea translatione ne verbum habet. At ſi ob auctoris alicujus licet coævi ſilentium res ab aliis teſtatæ tanquam fabulæ explodendæ ſunt; quæ quantave e ſuis Annalibus delere debuiſſet Baſnagius, dum plurima narrat, ab auctoribus aliquot tradita, ab aliis prætermiſſa? ſed reliquiarum translationem, earumque cultum Baſnagius, ceterique ſuæ ſectæ non adprobant; ac proinde in dubium hæc revocari magis placuit, quam fateri hæc antiquitus apud Catholicam eccleſiam uſitata fuiſſe.

*Baſnag. ann. 391. n. 3. 4.*

Auguſtinus presbyter ordinatur.

6. Tertius exceſſerat annus, quo Auguſtinus in Affricam reverſus, in Thegaſtenſi ſeceſſu ſeu monaſterio, una cum ſociis, orationibus, lectioni, ac ſacræ Scripturæ meditationi vacabat. Hoc anno Hipponem rediens, ut amicum videret, repente nil tale cogitans, a Valerio Hipponenſi Epiſcopo presbyter ordinatus eſt. *Contigit forte eodem tempore*, ait Poſſidius, *ut quidam ex iis, quos dicunt agentes in rebus apud Hipponem regium, conſtitutus bene chriſtianus, Deumque timens, comperta ejus bona fama, atque doctrina, deſideraret atque optaret eum videre, promittens ſe poſſe Mundi hujus omnes contemnere cupiditates atque illecebras, ſi aliquando ex ejus ore Dei verbum audire mereretur*. Quare ut fratrem lucrifaceret, Hipponam tranſiit Auguſtinus; quo tempore, ut Poſſidius ſubdit, *in Eccleſia Hipponenſi catholica Valerius Sanctus Epiſcopatum gerebat: qui cum flagitante eccleſiaſtica neceſſitate, de providendo & ordinando presbytero civitati plebem Dei alloqueretur & exhortaretur: jam ſcientes Catholici S. Auguſtini propoſitum & doctrinam, manu injecta (quoniam & idem in populo ſecurus, & ignarus quid futurum eſſet, aſtabat) tenuerunt. Solebat autem laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantum Eccleſiis, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinere præſentiam. Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno conſenſu & deſiderio fieri perficique petentibus, magnoque ſtudio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente: nonnullis quidem lacrymas ejus (ut nobis ipſe retulit) tunc ſuperbe interpretantibus, & tamquam eum conſolantibus, ac dicentibus; quia locus presbyterii, licet ipſe majore dignus*

*Poſſid. Auguſti vita cap. 8. 3. & 4.*

Digitized by Google

*gnus eſſet, appropinquaret tamen Epiſcopatui. Cum ille homo Dei ( ut nobis retulit ) majori conſideratione intelligeret & gemeret, quam multa & quam magna ſuæ vitæ pericula de regimine & gubernatione Eccleſiæ impendere jam ac provenire ſpectaret, atque ideo fleret. Et eorum tunc, ut voluerunt, completum eſt deſiderium.* Porro de eadem vi ſibi ab Hipponenſibus adhibita teſtatur ipſe Auguſtinus in epiſtola ad Albinam. *Epiſt. 126.* Cæterum ſic creatus eſt presbyter, ut regimen Eccleſiæ Valerius illi concrederet; unde Poſſidius: *Factus ergo presbyter, monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam, maxime ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique, ſicut opus erat: quod jam ipſe prior fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet*, ait Poſſidius; eademque fere Auguſtinus ſermone ad populum, ubi de ordinatione ſua, & monaſterio Hippone conſtructo in horto a Valerio Epiſcopo ſibi conceſſo, verba facit; *Serm. 355.* aliud deinde monaſterium in ipſa Epiſcopali domo poſt adeptum Epiſcopatum ædificaſſe narrat: *Perveni*, inquit, *ad epiſcopatum, vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſcumque venientibus ſive tranſeuntibus, quod ſi non feciſſem Epiſcopus inhumanus dicerer, ſi autem conſuetudo ita in monaſterio permiſſa eſſet*, hoſpites ſcilicet excipiendi, indecens fuiſſet: *Et ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum monaſterium clericorum.* Inſtituit poſtea Hippone virginum monaſterium, cui illius ſoror multis annis præfuit, ad obitum uſque ſuum in ſancta viduitate Deo deſerviens, ut ait Poſſidius; *Auguſt. ſerm. 111.* quibus virginibus poſt ſororis obitum epiſtolam dedit, ut exortas ſimultates quaſdam contra Præpoſitam ſopiret, ut ibidem videre eſt. *Poſſid. Auguſt. vita cap. 26.*

7. Quare non immerito monachorum, monaſteriorumque auctor, & fundator in Africanis eccleſiis dici poteſt. Hinc factum, teſte Poſſidio, ut cum e vita migravit, multa virorum, & mulierum monaſteria in ipſa ſua eccleſia Hipponenſi reliquerit; *Cap. 31.* atque ex Auguſtini monaſterio, aliiſque ejus exemplo exſtructis, quamplurimi poſtea eccleſiarum Antiſtites, Sacerdotes, & miniſtri prodierunt, *Cap. 11.* de quibus hæc iterum Poſſidius: *Proficiente doctrina divina ſub ſancto, & cum ſancto Auguſtino, in monaſterio Deo ſervientes, Eccleſiæ Hipponenſis clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innoteſcente, & clareſcente de die*

S. Auguſtinus monaſticæ vitæ in Africa auctor & propagator fuit.

J. CHR. AN. 391. *in diem Eccleſiæ catholicæ prædicationis veritate, ſanctorumque Servorum Dei propoſita continentia, & paupertate profunda, ex monaſterio, quod per illum memorabilem virum, & eſſe, & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere atque accipere epiſcopos & clericos, pax Eccleſiæ atque unitas, & cœpit primo, & poſtea conſecuta eſt. Nam ferme decem, quos ipſe novi, ſanctos & venerabiles viros, continentes & doctiſſimos, beatus Auguſtinus diverſis Eccleſiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque, & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes, Domini Eccleſiis propagatis, & monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei, cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum ſacerdotium præſtiterunt; unde per multos, & in multis ſalubris fidei, ſpei, & caritatis Eccleſiæ innoteſcente doctrina, non ſolum per Africæ partes, verum etiam in tranſmarinis, & per libros editos, atque in græcum ſermonem tranſlatos, ab illo uno homine, & per illum multis, favente Deo, multa innoteſcere meruerunt*; ex his decem Epiſcopis, qui ab Auguſtini monaſterio accerſiti, ſanctitate & doctrina claruerunt, fuerunt Alypius Thagaſtenſis, Evodius Uzalenſis, Profuturus Cirtenſis Numidiæ Metropolitanus, Fortunatus ejuſdem ſucceſſor, Severus Milevitanus, Poſſidius Calamenſis auctor vitæ Auguſtini, Urbanus Siccenſis &c.

**Auguſtinus ſermocinari juſſus dilationem petit.**

8. Eo autem fine Valerius Auguſtinum presbyterum ordinaverat, ut eccleſiæ ſuæ regimen eidem committeret, & maxime ut Dei verbum Hipponenſibus prædicaret, cui officio utpote natione Græcum, & ob Latinæ linguæ difficultatem minus idoneum ſe eſſe ſciebat. Itaque nulla interpoſita mora, poſt ordinationem Auguſtino juſſit, ut ad populum ſermonem haberet; cumque Auguſtinus ſe ſe imparem tanto officio exiſtimaret, nec Epiſcopo jubenti reſiſtere vellet, uſque ad Paſcha dilationem petiit, ut in epiſtola ad Valerium narrat, qua inter plurima hæc habet: *Domino cariſſimo Ep. Valerio Auguſtinus presbyter in Domino ſalutem: Ante omnia peto ut cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, ſi perfunctorie, atque adulatorie res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo*

*Auguſt. epiſt. 21.*

*modo*

Digitized by Google

*modo militetur, quo noſter Imperator jubet. Quis autem iſte ſit modus, nec a pueritia, nec ab adoleſcentia mea didici: & eo tempore quo diſcere cœperam, vis mihi facta eſt, merito peccatorum meorum, ( nam quid aliud exiſtimem neſcio ) ut ſecundus locus gubernatorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram. Sed arbitror Dominum meum propterea me ſic emendare voluiſſe, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus eſſem quid illic agitur, quaſi doctior & melior reprehendere audebam &c.* Quare ut ſibi dilatio concederetur poſtulat, multiſque precibus exorat.

Jesu Chr. an. 391.

9. In Africanis eccleſiis ea hactenus conſuetudo viguerat, ut ſoli Epiſcopi verbum Dei populo miniſtrarent; cui muneri cum Auguſtinum Valerius præfeciſſet, Epiſcoporum nonnulli obmurmurabant; at ut fama vulgatum eſt, quanto cum chriſtianæ plebis fructu id fieret, & detractores obmutuerunt, & alii Epiſcopi imitati ſunt: *Sanctus vero Valerius, ordinator ejus*, ait Poſſidius, *ut erat vir pius, & timens Deum exultabat, & Deo gratias agebat, ſuas exauditas a domino fuiſſe preces, quas ſe frequentiſſime fudiſſe narrabat, ut ſibi divinitus homo concederetur talis, qui poſſet verbo Dei & doctrina ſalubri Eccleſiam Dei ædificare: cui ſe rei homo natura Græcus, minuſque latina lingua & litteris inſtructus, minus utilem pervidebat. Et eidem presbytero poteſtatem dedit, coram ſe in Eccleſia Evangelium prædicandi, ac frequentiſſime tractandi, contra uſum quidem & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum; unde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant. Sed vir ille venerabilis & providus, in Orientalibus Eccleſiis id ex more fieri ſciens, utilitati Eccleſiæ conſulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur a presbytero, quod a ſe Epiſcopo impleri minime poſſe cernebat. Unde accenſa, & ardens elevata ſuper candelabrum lucerna omnibus, qui in domo erant, lucebat. Et poſtea currente, & volante hujuſmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab Epiſcopis poteſtate, presbyteri nonnulli coram Epiſcopis populis tractare cœperunt verbum Dei*; hæc Poſſidius. Inter cæteros Valerii exemplum ſecutus eſt Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, & Africanæ eccleſiæ Primas, ut Auguſtini, & Alipii epiſtola narrat: *Impletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione, nunciantibus litteris tuis ſanctam cogitationem tuam, adjuvante Domino, qui te inſpiravit, ad effectum eſſe perductam, de omni-*

Auguſtini exemplo alii presbyteri ad docendum popul. deſtinantur.

*Poſſid. Aug. vita cap. 5.*

*Matth. 5.*

*Auguſt. epiſt. 41.*

JESU CHR. AN. 391.

*bus ordinatis fratribus noſtris, & præcipue de ſermone presbyterorum, qui te preſente populo infunditur, per quorum linguas clamitat charitas tua majori voce in cordibus hominum, quam illi in auribus &c.* Antiquam Africanæ eccleſiæ conſuetudinem, qua præſentibus Epiſcopis ſilere presbyteri cogebantur, improbaverat Hieronymus ad Nepotianum ſcribens: *Peſſimæ conſuetudinis eſt in quibuſdam eccleſiis, tacere presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui, quaſi aut invideant, aut non dedignentur audire*; & poſt aliqua: *Gaudeat epiſcopus judicio ſuo, cum tales Chriſto elegerit Sacerdotes &c.* ſed de his ſatis.

Hier. epiſt. 43. n. 7.

Auguſtinus presbyt. Manichæos confutat.

Poſſid. Aug. vit. cap. 6.

10. Nunc illuſtriora ſaltem Auguſtini presbyteri geſta recenſemus, qui non ſolum verbo Dei gregem paſcebat, ſed etiam contra hæreticos, ac præcipue contra Manichæos, certavit. *Unde in illa Hipponenſi urbe Manichæorum peſtilentia quamplurimos cives, & peregrinos infecerat, & penetraverat, ſeducente & decipiente ejuſdem hæreſis quodam presbytero nomine Fortunato ibidem converſante, atque manente.* Inter eos, qui Manichæorum laqueis decepti detinebantur, Honoratus erat, vir acris ingenii, qui cum inter Manichæorum hæreſim, & Catholicam fidem fluctuaret, ad eum Auguſtinus librum *de utilitate credendi* dedit, ut oſtenderet Manichæos temere ac ſacrilege in eos invehi, qui catholicæ fidei auctoritatem ſequentes, ad myſteriorum intelligentiam ſe præparant, ea interim credentes, quæ nondum animo percipere valent, mentemque ad radios divini luminis excipiendos emundant. In eamdem rem, ut capitale Manichæorum monſtrum de duobus principiis deſtrueret, librum de duabus animabus edidit, quarum unam bonam in homine eſſe effutiebant Manichæi, a Deo inſitam, alteram carnis propriam, & a principe tenebrarum ortam; cumque in Fortunatum presbyterum maxime confiderent Manichæi, utpote ſuæ ſectæ doctiſſimum, cum eo Auguſtinus anno ſequenti 392. Catholicis, & Manichæis præſentibus diſputationem habuit Hippone *in balneis Soſſi quinto Kal. ſeptemb.* qua in diſputatione biduo habita, ad eas anguſtias Fortunatum redegit Auguſtinus, ut cum non inveniret, quid reſponderet, ad peritiſſimos ſuæ ſectæ ſe adverſarii ſui argumenta relaturum promiſit; ſed rubore ſuffuſus Hippone diſceſſit, nec ultra ibidem remeavit; ii vero qui hactenus Fortunati eruditionem admirati fuerant, ut eum errori ſuo propugnando imparem viderunt, lectiſque diſputationis actis, ejurato errore orthodoxam fidem

Auguſt. lib. de utilitat. cred. cap. 1.

Aug. retract. lib. 1. 15.

Auguſt. cont. Fortun. diſp. 1. n. 7.

Digitized by Google

fidem amplexi ſunt: cumque alium ſuæ ſectæ presbyterum in Fortunati locum miſiſſent Manichæi, quem Felicem fuiſſe ajunt Maurini editores, ad diſputationem habendam, & ſolvendam quæſtionem Fortunato propoſitam Auguſtinus provocavit, eidem denuncians, ut aut quæſtionem ſolveret, aut Fortunati exemplo Hippone excederet. Alterum deinde librum non multo poſt contra Adimantium vulgavit Auguſtinus. Is ex Manichæorum grege inter primos erat, qui etiam ex utroque teſtamento multa loca corraſerat, utpote inter ſe contraria eſſe docens, cujus diſputationes eo libro Auguſtinus egregie confutat; ſed de geſtis Auguſtini hoc tempore hactenus.

JESU CHR. AN. 391. *Auguſt. vita p. 120.*

*Auguſtin. retract. lib. 1. 22.*

JESU CHRISTI AN. 392. SIRICII PAPÆ 9.
THEODOSII IMP. 14. ARCADII IMP. 10.
COSS. ARCADIO AUG. II. ET RUFFINO
OLYMP. 292. AN. 4. URBIS AN. 1145.

1. De Ruffino hujus anni conſule mentionem habet Ambroſius in epiſtola ad Tatianum anni præteriti conſulem his verbis: *Ruffinus ex Magiſtro officiorum factus eſt in conſulatu Præfectus prætorio, ac per hoc plus poſſe cæpit, ſed tibi jam nihil obeſſe, eſt enim aliarum Præfectus partium. Quam gaudeo vel illi ut amico, quia honore auctus, invidia levatus eſt, vel tibi ut filio, quia liberatus es ab eo, quem tibi graviorem judicem arbitrabare!* Hæc Ambroſius ad Tatianum hoc anno, cum jam Ruffinus ex conſule Præfectus prætorii creatus eſſet ſperans exorta inter eum & Tatianum diſſidia ſopiri poſſe. At res contra accidit; nam Ruffinus tot auctus honoribus, auctoritate, qua apud Theodoſium pollebat, abutens, Tatianum in Conſulatu, & Præfectura prætorii anteceſſorem, ejuſque filium Proculum, urbis CP. prætorem, alterum ideſt patrem exilio, Proculum vero capite mulctavit. Ruffini, & Tatiani diſſidia pluribus narrat Zozimus, qui & addit Ruffini inſidiis utroſque periiſſe, cum officia ſua caſtiſſime, rectiſſimeque adminiſtraſſent. Triſtem Proculi caſum deplorat Claudianus his verſibus:

De Ruffino conſule, & Præf. praet., qui Tatianum & Proculum perdendos curat.

*Ambroſ. epiſt. 52.*

*Zoſim. lib. 4. 52.*

*Claud. lib. 1. in Ruffinum*

*Juvenum rorantia colla*
*Ante Patrum vultus ſtricta cecidere ſecuri,*
*Ibat grandævus nato moriente ſuperſtes.*
*Poſt trabeas exul...*

ideſt Tatianus pater. Mortis diem adnotat chronicon Alexandr: ſed anno uno tardius, ideſt ſequenti, *Proculus expræfectus*, inquit, *capite punitus eſt in Sycis octavo idus De-*

cem-

JESU CHR. AN. 392. *cembris*. Tatiani, ejuſque filii caſum accuratius adhuc narrat Aſterius Amaſeæ in Ponto Epiſcopus in oratione adverſus feſtivum Calendarium his verbis: *Illum autem expræfectum, invictum illum, ut putabatur, ac leonini pectoris, qualis vitæ cataſtrophe excepit! Primum quidem filium ſuum vidit capite truncatum, tum & ipſe capitali ſententia damnatus eſt, laqueoque jam gulæ admoto, clementia Principis manibus carnificis exemptus eſt, ut quantulum ætati ſupererat, ſenex in dolore & calamitate, ſenſuque malorum exigens, ac plenus dedecoris & ignominiæ, tali magni conſulatus exitu, vita decederet*; hæc de infelici Tatiani exitu Aſterius. Catholicos ipſe graviſſime in Ægypto afflixerat ſub Valente Imperatore, ut anno 367. diximus, quapropter *debitas divinæ vindictæ pœnas dedit*, ait auctor vitæ Athanaſii apud Photium, *ſimul enim dignitate & pœcuniis privatus ſtipem petiit, & ignominioſe mortuus eſt*. Viginti quidem & ultra anni excurrerunt, poſt Præfecturam Ægyptiacam ab eo adminiſtratam, & poſt perſecutionem adverſus Catholicos crudeliſſime ab eo peractam, ſed Dominus patiens redditor eſt, quia æternus; ſed de his hactenus.

Biblioth. PP. tom. 5. p. 818.

Phot. Cod. 258.

De abolenda Idolorum ſuperſtitione Theodoſii leges.

2. Multa quidem de Idololatria abolenda leges tulerat Theodoſius, ſacrificia quippe omnia ſuſtulerat, inſigniora templa deſtrui, aut fiſco addici juſſerat, Aruſpices, Augureſque adire prohibuerat; hoc autem anno iterum omnem Idololatriæ ritum lege lata abolevit. *Nullus omnino ex quolibet genere ordine hominum, dignitatum, vel in poteſtate poſitus, vel honore perfunctus, ſive potens ſorte naſcendi, ſeu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla urbe ſenſu carentibus ſimulacris, vel inſontem victimam cædat, vel ſecretiore piaculo larem, ignem, erogenium, penates nidore veneraturus, accendat lumina, imponat thura, ſerta ſuſpendat*. Quiſquis contrarium geſſerit, læſæ Majeſtatis pœna affici imperat; loca vero ſacrificiis violata fiſco addici, vel ſi ignorante Domino id præſumptum fuerit, 25. auri libris mulctabitur, qui id fecerit; Judices autem cujuſcumque ordinis, qui id permiſerint, vel geſtum diſſimulaverint, 30. auri libras perſolvent. Dat. VI. Idus Nov. CP. Arcadio *Aug. II. & Ruffino Coſs*. Ob hanc præcipue legem ab Ambroſio in oratione funebri laudari meruit Theodoſius his verbis. *Qui abſcondit ſimulachra gentium, omnem enim cultum idolorum fides ejus abſcondit, omnes enim cæremonias obliteravit*. Lege altera hoc anno data hæreticorum conven-

Cod. Theod. leg. 12. de Paganis.

Ambroſ. orat. funeb. Theod.

Theodoſii lex contra hæreticos.

Jesu Chr. an. 392.

Cod. Theod. de hær. leg. 21.

ventus fieri prohibuit. *In hæreticis erroribus; quoſcumque conſliterit, vel ordinaſſe clericos, vel ſuſcepiſſe officium clericorum denis libris auri viritim mulctandos eſſe cenſemus, locum ſane, in quo vetita tentantur*, Fiſco addici jubet, ſi ignorante Domino, aut loco publico illicita conventicula celebrata fuerint, conductor, aut procurator, qui id permiſerit, decem auri libras ſolvet, ſi ſervus, aut pauper fuerit, fuſtibus cœſus deportatione damnatur: *Si quos talibus repertos obſecundare myſteriis, ac ſibi uſurpare nomine clericorum, jam nunc proditum fuerit, denas libras auri exigi ſingulos, & inferre præcipimus Dat. XVII. Kal. Juliii CP. Arcadio Aug. II. & Ruffino Coſs.* Hujuſce legis meminit Auguſtinus in epiſtola ad Bonifaclum, *qua*, inquit, *Theodoſius piiſſimæ memoriæ promulgavit, ut quiſquis hæreticorum Epiſcopus, vel clericus ubilibet eſſet inventus, decem libris auri multetur*; & iterum in epiſtola ad Januarium, & libro contra Creſconium ejuſdem legis mentionem habet. Hæreticos etiam, qui adverſus catholicos turbas excitaſsent, altera lege repreſſit: *Deportatione dignus eſt, qui nec generali lege admonitus, nec competenti ſententia emendatus & fidem catholicam turbat, & populum. Dat. XV. Kal. Aug. CP. Arcadio Aug. II. & Ruffino Coſs.*

*Auguſt. epiſt. 185. epiſt. 88. & lib. 3. contra Creſcon. cap. 47.*

*Cod. Theod. l. 3. de his qui pro relig contendunt.*

Valent. Imp. Aram Victoriæ reſtitui vetat.

3. Theodoſii pietatem, & zelum in Idololatriæ everſione emulabatur Valentinianus junior Occidentis Imperator, cujus illuſtre exemplum extat; nam cum Theodoſius in Orientem rediiſſet, Senatores idolorum cultores, qui Romæ ſupererant, quorum Princeps erat Symmachus, publica legatione hoc anno Valentinianum convenerunt, ut vetera ſacra, quæ Theodoſius abſtulerat, reſtitui permitteret, & præcipue ut in Senatu Victoriæ ara erigeretur, cæremoniarum publici ſumptus reſtituerentur, ut ait Paulinus in Ambroſii vita; quæ cum Valentinianus negaſſet, ob egregium facinus ab Ambroſio in oratione funebri his verbis laudatus eſt: *Solve*, inquit, *ſervo tuo munus gratiæ tuæ, quam ille nunquam negavit, qui ante diem mortis Templorum privilegia negavit, inſurgentibus quos revereri poſſet. Adſtabat virorum caterva gentilium, ſupplicabat Senatus, non metuebat hominibus diſplicere in Chriſto &c.* Hæc in Valentiniani laudem Ambroſius, quo illuſtri facinore ad Cælos ſibi viam aperuit; nam paucis poſt diebus Arbogaſtis perfidia immatura morte obiit.

Valent. junior ab Arbogaſte occiditur.

4. De anno, & die, quo Valentinianus junior obiit, hæc habet

[Jesu Chr. an. 392.] habet Epiphanius: *Sub his Coſs. Arcadio ſecundum & Ruffino; mortuus eſt Valentinianus junior, Valentiniani magni filius,* [*Epiph. de men. & pond. n. 20.*] *qui ſubinde, uti ferunt, præfocatus in Palatio repertus eſt, Idibus Maii pridie Pentecoſtes elatus eſt. Erat tum apud Ægyptios menſis Pachon dies* 21., *juxta Græcos Artemiſii menſis tertia & vigeſima, ſecundum Romanos decimoſeptimo Kal. Junias.*

[*Philoſt. lib. 11. 5.*] De Valentiniani interitu hæc narrat Philoſtorgius: *Arbogaſtes cum eum pranſum, & meridiano tempore in deſerto quodam Palatii loco cum quibuſdam ſcurris labia in fluvium mergentem vidiſſet, ſatellites quoſdam in eum miſit, qui manum vi ac mentis feritate miſerum ſtrangularunt.* Dormienti tamen [*Socrat. lib. 5. 25.*] eunuchos cubicularios eidem gulam fregiſſe narrat Socrates, ſed ut crimen, ſi fieri potuiſſet, occultaret Arbogaſtes, Principis cadaver ſuſpendi juſſit, rumorem ſpargens, ſibimetipſi vim intu[*Hier. epiſt. 60.*]liſse, ac gulam fregiſſe. Hinc Hieronymus ad Heliodorum de Valentiniani interitu: *Adoleſcens Valentinianus*, inquit, *& pene puer, poſt fugam, poſt exilia, poſt recuperatum multo ſanguine Imperium, haud procul ab urbe fraternæ mortis conſcia, necatus eſt, & cadaver exanime ſuſpendio infamatum.* Falli[*Zoz. lib. 4. 54.*]tur itaque Zozimus, dum extra Viennæ muros Valentinianum nil tale cogitantem, ab Argobaſte confoſſum, & interfectum narrat. De die, & anno obitus Valentiniani, ab Epiphanio diſſidet Marcellinus in chronico, dum ait: *Valentinianus Imperator apud Viennam dolo Arbogaſtis ſtrangulatus interiit, idibus Martii*, ſed vel maxime in eo errat, cum ejuſdem obitum [*Sozom. lib. 7. 22. Ruff. lib. 2. 3.*] cum anno ſuperiori alligat; turpius adhuc Sozomenus, & Ruffinus, dum lectorem in incerto relinquunt, an Arbogaſtis dolo, aut voluntario laqueo Valentinianus vitam finierit, cum ex Ambroſio, & Epiphanio coævis ſcriptoribus conſtet, Arbogaſtis, & Eugenii perfidia inſontem Principem periiſse.

[Valentin. ab Ambroſio baptizari cupit.] 5. Catechumenus cum eſſet Valentinianus, atque expeditionem contra Barbaros pararet, ab Ambroſio baptizari concupierat, ad quem Silentiarium cum litteris miſerat, petens, ut ad ſe quamprimum veniret, cumque ad Alpes jam perve[*Ambroſ. de fun. Valent. tom. 3.*]niſset Ambroſius, de Principis obitu certior factus, mœrens in Italiam reverſus eſt, ut idem Ambroſius in oratione funebri narrat: *Audivit*, Valentinianus, *in tranſalpinis partibus poſitus ad Italiæ fines Barbaros appropinquaſſe, ſollicitus ne alieno hoſte ſuum regnum attentaretur, venire properabat, cupiens dimittere Gallicana otia, & pericula noſtra ſuſcipere. Hæc mi-*

*hi*

*bi cum aliis communia, illa privata, quod ſæpe me appellabat abſentem, & a me initiandum ſe ſacris myſteriis præſeferebat. Quin etiam cum rumor quidam ad Viennenſem pertuliſſet Urbem, quod invitandi ejus ad Italiam gratia, eo pergerem; quam gaudebat, quam gratulabatur me ſibi optato affore! Mora ei adventus mei prolixior videbatur.* Interea cum Valentinianus in Italiam redire meditaretur, ac res ad iter neceſſariæ pararentur: *Ecce reſcriptum accipio*, ait Ambroſius, *ut ſine mora pergendum putarem, eo quod vadem fidei tuæ habere me apud Comitem tuum velles. Num reſtiti? num moratus ſum? Additur, eo ut properarem ocyus, nec arbitrarer cauſam itineris mei Synodum Gallorum eſſe Epiſcoporum, propter quorum frequentes diſſenſiones crebro me excuſaveram, ſed ut ipſe baptizaretur in ipſo egreſſu. Geſtarum jam rerum indicia potui cognoſcere, ſed properandi ſtudio nihil advertere poteram. Jam ſuperabam Alpium juga, & ecce nuncius amarus mihi, & omnibus de tanti morte Imperatoris. Reflexi, iter fletibus meis lavi. Quibus ego votis omnium proficiſcebar? Quo gemitu omnium revertebar? non enim Imperatorem ſibi, ſed ſalutem ereptam putabant. Quanto ipſe angebar dolore? primum quod tantus Princeps, quod dulce pignus meum, quod ita mei cupidiſſimus occidiſſet. Quos ego æſtus ejus illo biduo fuiſſe comperi, quo litteris, quas ad me miſerat, ſupervixit? Veſperi profectus eſt ſilentiarius: tertio die mane quærebat, jam ne remeaſſet? jam venirem? Ita ſibi ſalutem quamdam venturam arbitrabatur. O juvenis optime: utinam te viventem invenire potuiſſem? utinam te dilatio aliqua meo reſervaſſet adventui! Nihil de aliqua mei virtute polliceor, nihil de ingenio atque prudentia. Sed quanta ego cura inter te & Comitem tuum* (Arbogaſtem intelligit) *quanta ſedulitate concordiam, & gratiam refudiſſem? Quam me ipſum pro tua obtuliſſem fide? Quam in me ipſum eos recepiſſem, quibus illa ſe timere dicebat? Certe ſi Comes non eſset inflexus, tecum remanſiſſem. Præſumebam de te, quod ipſe me audires, ſi pro te non eſſe auditum videres. Multa habueram quæ tenerem: nunc nihil habeo præter lacrymas, & fletus.* Hæc Ambroſius.

6. Quid autem diſſidii Valentinianum inter, & Arbogaſtem eſſet, unde Ambroſium Valentinianus ad ſe vocaverat, ut inter eos pacis conciliator adeſſet, narrat Zoſimus, Arbogaſtem ſcilicet tantam apud milites auctoritatem ſibi prome- Valentiniani Imp. cum Arbogaſte diſſidia. *Zoſ. lib. 4.* [illegible]

JESU CHR. AN. 392. fuiſſe, ut etiam contra Principis ſententiam quæcumque vellet, pro lubitu ageret; Valentinianus vero permoleſte id ferens, militum Præfectura, datis litteris, exuere conatus eſt. At Arbogaſtes lecto libello: *Nec Imperium mihi dediſti*, ait, *nec auferre poteris*. *Quibus prolatis, diſceptoque libello & in terram abjecto*, diſceſſit, atque eo ex tempore apertas etiam ſuo Principi inſidias paravit, quem tandem laqueo ſuffocavit, ut narrant hiſtorici. Pios caſtoſque Valentiniani mores celebrat Ambroſius; Juſtinæ matris inſtinctu, Arianis aliquando faverat, aut juvenili ardore Circenſes amaverat ludos, at grandior factus id emendaverat. *Ferebatur primo ludis Circenſibus delectari, ſic iſtud abſterſit, ut ne ſolemnibus quidem Principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenſes putaret eſſe celebrandos. Ajebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci, omnes feras uno momento juſſit interfici. Jactabant invidi quia premature prandium peteret, cœpit ita frequentare jejunium, ut plerumque ipſe impranſus convivium ſolemne ſuis comitibus exhiberet, quo & religioni ſacræ ſatisfaceret, & Principis humanitati*. Caſtitatis autem ita cultor fuit, ut teſte Ambroſio, cum accepiſſet, Scenicæ cujuſdam forma, ac decore deperire Romæ nobiles adoleſcentes, eam ad Comitatum venire juſſit. Deductam tamen numquam aut ſpectavit, aut vidit. Sed paulo poſt redire præcepit; ut adoleſcentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipſe, qui eam in poteſtate habuerat, deſpexerat, etſi nondum haberet uxorem. Tandem Ambroſius: *Quid de pietate ejus loquar? Qui cum homines nobili ortos genere, & locupleti proſapia, quæ cito movere invidiam ſolet regiæ cupiditatis, accuſator urgeret, Præfectus inſiſteret; reſpondit, ut nihil cruentum ſanctis præſertim diebus ſtatueretur &c.* Hæc & alia plura Ambroſius in ea oratione, quam in Valentiniani funere recitavit. Annum tunc agebat Valentinianus vigeſimum ſecundum; nam *adhuc quadriennis creatus eſt Imperator*, ait Victor in epitome, cui Marcellinus conſentit; ac decimo octavo Imperii anno vivere deſiit, ut teſtis eſt Ambroſius: *Metuo ne & tu nobis aliqua offenſione ſis raptus, ut octavodecimo Regni tui anno, imminentis mali acerbitatem quaſi juſtus evaderes*.

*Valentiniani mores ab Ambroſio laudati*

*Marcell. l. 3. 10.*

*Ambr. ut ſup.*

*Ambroſii ſollicitudo pro Valentiniani ſepulcro.*

7. Ob Valentiniani interitum una cum Imperio concuſſa eſt Eccleſia; unde Ambroſius: *Percuſſa*, inquit, *erat Eccleſia in maxilla, cum amitteret Gratianum, præbuiſti & alteram, quan-*

*quando tibi Valentinianus ereptus eſt*. Præceteris vero Ambroſius tanti Principis interitum flevit, quem ut filium diligebat. Concepti doloris teſtes ſunt ejuſdem epiſtolæ ad Theodoſium datæ, cum primum ab eodem Imperatore litteras accepit, quibus jubebatur, ut honorificam ſepulturam defuncto daret; iis in hæc verba reſcripſit: *Silentium meum rupit*, ait, *ſermo Clementiæ tuæ; nihil enim in tam triſtibus rebus melius facere, in animum induxeram, quam, ſi fieri poſſet, me ipſum abdere: ſed quia in ſeceſſu aliquo deliteſcere & ſacerdotio exire non poterum, vel ſilentio intra me latebam. Doleo enim fateor, dolore acerbo, non ſolum quod immatura ætate Valentinianus Auguſtus deceſſerit, ſed etiam quod informatus fide, ac tuis inſtitutis, tantam devotionem erga Deum noſtrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, ut quem ante perſequebatur, nunc diligeret: quem ante ut adverſarium repellebat, nunc ut parentem putaret*, ejuſque benevolentiæ indicium præ ceteris fuit, qnod cum in Galliis ſanctos & ſummos ſacerdotes Domini haberet; *a me tamen ut ſacramentis baptiſmatis initiaretur, ſcribendum arbitratus eſt &c.* Quare poſt plurima tum in Valentiniani laudem, cum Theodoſii, qui ſepulcrum defuncto parari juſſerat, addit: *Sed flendi tempora alias non deerunt: nunc de ſepultura ejus, quoniam ſcripſit Clementia tua ita hic procucurandum. Sed exors receſſit baptiſmatis: quid cognoverim, non repreſſi. Eſt hic porphyreticum labrum pulcherrimum, & in uſus hujuſmodi aptiſſimum: nam & Maximianus Diocletiani ſocius ita humatus eſt. Sunt tabulæ porphyreticæ pretioſiſſimæ, quibus veſtiatur operculum, quo regales exuviæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, ſed expectabatur reſcriptum Clementiæ tuæ, cujus perceptione recreatæ ſunt ſunctæ filiæ tuæ, filii tui Valentiniani ſorores, quæ ſe gravibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur, quod diu nihil ſcriberetur ſibi. Unde iis non parum acceſſit ſolatii: ſed dum inhumatæ ſunt reliquiæ, nequaquam ſibi parcunt: videntur enim ſibi germani ſui quotidianum funus tenere. Et revera cum ſine fletu magno ac ſine dolore gravi numquam ſint; tamen quotieſcumque eo accedunt, exangues revertuntur. Et ipſis igitur conſuletur, & cariſſimis exuviis, ſi acceleretur ſepultura, ne æſtivo penitus ſolvantur calore: vix enim ſuperiorem æſtatem tranſegimus. Mandatum tuum ſervo, & commendo Domino. Diligat te Dominus, quia tu Domini ſervos diligis*. Hucuſque Ambroſii epiſtola. Ea autem die, quâ Va-

S 2 len-

JESU CHR. AN. 392.

*Ambr. ut ſup. n. 6.*

*Ambroſ. epiſt. ad Theod. 53.*

Jesu Chr. an. 392. lentiniani corpus ſepulcro conditum eſt, panegyricam orationem de ejuſdem laudibus recitavit; qua inter cetera promittit ſe dies noctesque pro utroque fratre deprecaturum: *Beati*, inquit, *ambo ſi quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos ſilentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contexione tranſcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo*. Hæc Ambroſius; quibus preces oblationesque pro defunctis in Eccleſia catholica frequentatas fuiſſe probatur.

Eugenius Imperator creatur.

8. Valentiniano occiſo, Arbogaſtes, ne occupato Imperio, necis auctor crederetur, Eugenium quemdam ſpecie quidem chriſtianum, litteriſque clarum purpura induit; Imperatoremque ab exercitu eligendum curavit, ita tamen ut ſibi tanquam mancipium famularetur; unde Claudianus:

*Claud. paneg yr. de 3. Honorii conſulatu: & 4.*

*Proh crimen ſuperum! longi proh dedecus ævi!*
*Barbarus Heſperias exul poſſederat oras,*
*Sceptraque dejecto dederat Romana clienti.*

Et alio loco

*Hunc ſibi germanus famulum delegerat exul.*

Eugenius vero, ut male partum Imperium ſibi firmaret, ad Theodoſium legationem miſit, Imperii ſocietatem ab eo petens, quam legationem inter alios Ruffinus Athenienſis geſſit, *qui*, ut ait Zoſimus, *nec litteras Arbogaſtis ſecum ferebat, nec ullam aliam mentionem illius faciebat, quin ſi Ruffino fides, inter legatos fuere nonnulli Sacerdotum, qui immunem eſſe ducem*, ideſt Arbogaſtem, *a mortis ſcelere apud Theodoſium teſtarentur; Theodoſius in deliberando, legatiſque convenienter reſpondendo, cunctando detinuit*, ait Zoſimus, ſed ad ultionem inflammatus, bellum adverſus Eugenium paravit, ut infra videbimus.

*Zoſ. lib. 4. 55.*
*Ruff. hiſt. lib. 2. 31.*

Eugenius tyrannus Ethnicis favet.

9. Eugenius econtra, ut Ethnicis rem gratam faceret; quorum vaticiniis de obtinenda contra Theodoſium victoria ſecuritatem acceperat; aram Victoriæ, & cæremoniarum ſumptus a Valentiniano negatos libenter conceſſit: *Eugenius haud ſincero animo erga Religionem chriſtianam affectus Imperium invaſit*, ait Sozomenus, *ſperabat autem ſe Principatum firmiter retenturum, inductus verbis quorumdam hominum, qui ſe futura noſſe jactabant, ex victimis quibuſdam, extorumque inſpectione, & obſervatione ſiderum. &c.* Eademque narrat Pau-

*Sozom. lib. 7. 22.*

Paulinus in vita Ambroſii, qui addit, hæc ubi cognovit S. Præſul, Victoriæ ſcilicet aram, & ſumptus cæremoniarum, quod Valentinianus Auguſtæ memoriæ denegaverat, Eugenium conceſſiſſe, *derelicta civitate Mediolanenſi, ad quam ille*, ideſt Eugenius, *feſtinato veniebat, in Bononienſem civitatem migravit, atque inde Faventiam uſque perrexit, ubi cum aliquantis degeret diebus, invitatus a Florentinis ad Tuſciam uſque deſcendit, declinans magis aſpectum ſacrilegi viri non formidans Imperantis injuriam, nam & epiſtolam ad eumdem*, ideſt Eugenium, *dedit*. Sed de adventu Eugenii in Italiam, deque Ambroſii epiſtola ad eum anno ſequenti.

Jesu Chr. an. 392. *Paul. Ambr. vita n. 26.*

10. Inter cetera, quæ Florentiæ Ambroſius egit, eccleſiam a Juliana clariſſima fœmina extructam dedicavit, ac ſub ſacra menſa reliquias S. Vitalis & Agricolæ, quas Bononiæ acceperat, recondidit: *In eadem etiam civitate* Florentinorum *baſilicam conſtituit*, ideſt dedicavit, ait Paulinus, *in qua depoſuit Reliquias martyrum Vitalis, & Agricolæ, quorum corpora in Bononienſi civitate levaverat, poſita enim erant inter corpora Judæorum, nec erat cognitum populo chriſtiano, niſi ſe Sancti Martyres Sacerdoti* ipſius eccleſiæ revelaſſent, ideſt Euſebio tunc Bononienſi Epiſcopo. Inter ſacras dedicationis cæremonias ſermonem Ambroſius Florentiæ habuit, in quo Julianam viduam, quæ ſumptibus ſuis templum ædificaverat, filiaſque ejus, quæ hortante matre ſe Deo dicaverant, multis exornat laudibus, ac ſermo tunc habitus exhortatio virginitatis nunc inſcribitur; eccleſia vero quæ S. Laurentii uſque nunc dicitur, etiam Ambroſiana ex ejus nomine dicta eſt. Miraculis etiam Florentiæ Ambroſii ſanctitas tunc effulſit, ut idem Paulinus in ejus vita narrat; cum etenim in domo cujuſdam clariſſimi viri Decentis maneret, filius ejus, Panſophius nomine, admodum parvulus, cum ſpiritu immundo laboraret, frequenti oratione & impoſitione manus Ambroſii ſanatus eſt: poſt aliquantos autem dies cum ſubita infirmitate correptus obiiſſet, ejus mater plena fide ac timore Dei, ablato illo ex ſuperiore domus parte ad inferiora deſcendit, ac in lecto Sacerdotis, ipſo abſente, compoſuit. Quem cum revertens Ambroſius in lectulo inveniſſet, miſeratus matrem, & fidem ipſius contemplatus, Eliſæi exemplo ſupra corpus infantis ſe ipſe compoſuit, atque orando meruit, ut vivum redderet matri, quem mortuum invenerat, ait Paulinus in vita Ambroſii, ac uſque ad annum 394. Flo-

Ambroſii geſta, & miracula Florentiæ edita.

*Paulin. Amb. vita n. 29.*

*Paul. ut ſup. n. 28. tom. 4.*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 392.

Florentiæ ſubſiſtit Ambroſius, nec Mediolanum rediit, niſi poſt Theodoſii victoriam de Eugenio tyranno eodem anno habitam, ut ſuo loco adnotabitur.

De debitoribus ad eccleſiam confugientibus Theodoſii lex *Cod. Theod. de his, qui ad eccleſias confugiunt l. 1.*

11. Hoc etiam anno Theodoſius Imperator, etſi eccleſiarum jura illibata ſervari voluit, ne tamen id cum alterius damno fieret, lege cavit his verbis: *Publicos debitores, ſi confugiendum ad eccleſias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipſos, qui eos occultare probantur, Epiſcopos exigi. Sciat igitur præcellens auctoritas tua, neminem debitorum poſthac a clericis defendendum; aut per eos, ejus quem defendendum eſſe crediderint, debitum eſſe ſolvendum. Dat. XV. Kal. Novembr. Conſtantinopoli Arcadio Aug. II. & Ruffino Coſſ.* Hæc plane ipſa lex eſt, cujus vigore compulſus aliquando S. Auguſtinus perſolvere quod debebat, qui confugerat ad Eccleſiam: pro ejus debiti diſſolutione, de collecta facienda in populo litteras dedit, ex quibus iſta deſcribimus. *Cum frater noſter Faſtius debito decem & ſeptem ſolidorum ab oppignatoribus urgeretur, ut redderet: quod ad præſens unde explicaret ſe, non inveniebat; ne corporalem pateretur injuriam, ad auxilium ſanctæ Eccleſiæ convolavit: illi etiam exactores, cum proficiſci cogerentur, & ideo dilationem dare non poſſent, graviſſimis me querelis oneraverunt, ita ut eis illum traderem; aut quod ſibi deberi oſtendebant, unde acciperent, providerem. Cumque obtuliſſem Faſtio, ut veſtram ſanctitatem de neceſſitatibus ejus alloquerer; pudore deterritus, ne facerem, deprecatus eſt. Ita ego majore neceſſitate coarctatus, a fratre noſtro Macedonio decem & ſeptem ſolidos accepi, quos in cauſam ejus continuo dedi, promittente illo quod ad certum diem cum eis reddendis poſſet occurrere, & conſentiente, ut ſi non poſſet occurrere, ſermo de illo fieret ad veſtram miſericordiam, quam fraternam fratribus exhibere conſueviſtis. Nunc ergo, quoniam abſens eſt, reſtat ut ſubveniatis, non illi quem nemo compellat abſentem, ſed pollicitationi meæ, cujus exiſtimatio vobis ſemper eſt præſens. Jam enim dies, ad quem ſe promiſerat occurſum, tranſactus eſt: & ego ei, qui ſolidos ſuos fidei meæ commiſit, quid reſpondeam, non invenio, niſi ut faciam, quod me facturum eſſe promiſi. Sed quoniam non ſum de hac re commonitus, ut die Pentecoſtes, quando aderat major veſtra frequentia, ſermonem inde facerem; peto ut has litteras pro lingua mea præſente habere dignemini, admonente vos, & exhortante in cor-*

*August. epiſt. 268.*

Auguſt. pro debitore ſe obligat.

Collecta indicitur ab Auguſtino.

*cordibus veſtris Deo & Domino noſtro, cui credidiſtis*: Et paulo poſt: *Quoniam ergo domeſticus fidei eſt, Chriſtianus fidelis, Catholicus frater noſter, pro cujus ſupplenda neceſſitate vos peto ut faciatis quod Dominus imperat; ſine triſtitia, ſine murmuratione, & cum lætitia & hilaritate facite*: Et in fine: *Scripſi eis etiam pretbyteris, ut ſi quod minus fuerit poſt collationem ſanctitatis veſtræ; compleant ex eo quod habet Eccleſia, dum tamen vos ſecundum quod placet hilariter offeratis, quia ſive de veſtro, ſive de Eccleſia detur, omnia Dei ſunt, & devotio veſtra dulcior erit theſauris Eccleſiæ.*

Jesu Chr. an. 392.

12. Hoc etiam anno Theodoſii Imp. 14. librum ſuum de viris illuſtribus, ſeu de Scriptoribus edidiſſe Hieronymum, idem ipſe teſtatur capite ultimo, quo opera ſua, uſque ad id temporis vulgata, recenſens habet: *Hieronymus patre Euſebio natus . . . uſque in præſentem annum ideſt Theodoſii Principis decimum quartum, hæc ſcripſi*: Vitam ſcilicet Pauli monachi, Epiſtolarum ad diverſos librum unum, Ad Heliodorum exhortatoriam, Altercationem Luciferiani & Orthodoxi, Chronicon omnimodæ hiſtoriæ, In Hieremiam & in Ezechiel homilias Origenis viginti octo, e Græco in Latinum converſas, De Seraphim, de Oſanna, & de frugi & luxurioſo filiis, De tribus quæſtionibus Legis veteris, Homilias in Cantica Canticorum duas. Adverſus Helvidium de virginitate Mariæ perpetua, Ad Euſtochium de virginitate ſervanda, Ad Marcellam epiſtolarum librum unum. Conſolatoriam de morte filiæ ad Paulam, In epiſtolam Pauli ad Galatas commentariorum libros tres, Item in Epiſtolam ad Epheſios libros tres. In epiſtolam ad Titum librum unum, In epiſtolam ad Philemonem librum unum. In Eccleſiaſten commentarios. Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim librum unum. De locis librum unum. Hebraicorum nominum librum unum. De Spiritu Sancto, Didymi librum in Latinum tranſlatum. In Lucam homilias triginta novem. In Pſalmos, a decimo uſque ad decimum ſextum, tractatus ſeptem. Malchi captivi monachi vitam, & beati Hilarionis. Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddltum, Vetus juxta Hebraicum textum tranſlatum. Epiſtolas plurimas ad Paulam & Euſtochium. Scripſit præterea in Michæam libros duos. In Sophoniam librum unum. In Nahum librum unum. In Habacuc libros duos. In Aggæum librum unum. *Multaque alia de opere prophetali, quæ nunc habeo in manibus, & nec dum expleta ſunt. Adverſus Joviniа-*

Hieronymus librum de viris Illuſtribus edit.

*de vir. Ill. cap. 135. Hier. op. tom. 2. edit. Veron.*

Jesu Chr. an. 392. *vinianum libros duos, & ad Pammachium Apologeticum & Epitaphium*. Hactenus Hieronymus de rebus ſuis, quem librum Dextero noncupavit, ut ex præfatione conſtat, qua etiam 14. Theodoſii Imp. anno iterum ſe eum edidiſſe adnotat.

JESU CHRISTI AN. 393. SIRICII PAPÆ 10.
THEODOSII IMP. 15. ARCADII IMP. 11.
HONORII IMP. I.
COSS. THEODOSIO AUG. III., ET ABUNDANTIO
OLYMP. 293. AN. I. AN. URBIS 1146.

Eugenius in Italiam tranſit, cujus aſpectum Ambroſius vitat.

1 Hoc Chriſti anno tercenteſimo nonageſimo tertio, quo Theodoſius Aug. tertium cum Abundantio, ſive Abundio, in Oriente conſulatum geſſit, Eugenius tyrannus, qui, occiſo Valentiniano, Occidentale Imperium uſurpaverat, ut anno proximo diximus, conſulatum in Occidente ſumpſit; cujus adhuc ſuperſunt in aliquibus inſcriptionibus veſtigia; cumque bellum ſibi inſtare prævideret, ingenti armatorum manu collecta, tranſactis Alpibus, in Italiam tranſiit, ut Theodoſio obviam iret. Cum itaque ab Italiæ ingreſſu nemo prohiberet; ex futurorum etenim ſcientia, ut ait Sozomenus, *Imperium fato ei deſtinatum eſſe* ſibi perſuadens, eaque lactatus ſpe, de victoria vix dubitaret, in Italiam deſcendit; *quod ubi audivit Sacerdos Ambroſius, relicta civitate Mediolanenſi, ad quam ille, ideſt Eugenius feſtinato veniebat, in Bononienſem civitatem migravit*, ait Paulinus; unde epiſtolam ad Eugenium dedit, qua rationem reddidit, cur eo adveniente Mediolano receſſerit, & cur acceptis ab eo litteris non reſcripſerit: *Seceſſionis mihi cauſa timor Domini fuit, ad quem omnes actus meos, quantum queo, dirigere, neque unquam ab eo mentem deflectere, nec pluris facere cujuſvis hominis, quam Chriſti gratiam conſuevi. Nemini enim facio injuriam, ſi omnibus Deum præfero; & confidens in ipſum, non vereor vobis Imperatoribus dicere, quæ pro meo captu ſentio. Itaque quod apud alios Imperatores non tacui, nec apud te, clementiſſime Imperator, tacebo*. His addit Valentiniani junioris tempore, Symmacho urbis Præfecto, ne templis, quæ ſublata fuerant, redderentur, ſe reſtitiſſe; ac dato libello Imperatori ſignificaſſe, ſumptus ſacrificiorum Chriſtianum virum non poſſe reddere; ſi contra feciſſet, aut non veni-

*Sozom. lib. 7. 22.*

*Paul. vita Ambroſ.*

*Ambroſii epiſt. ad Eugenium epiſt. 57.*

veniret ad Eccleſiam: aut ſi veniret, futurum, ut aut ſacerdotem non inveniret, aut inveniret ſibi in Eccleſia reſiſtentem. *Lecti ſunt libelli mei in Conſiſtorio: aderat ampliſſimus honore magiſterii militaris Bauto Comes, & Rumondus, & ipſe ejuſdem dignitatis Gentilium nationum cultui inſerviens a primis pueritiæ ſuæ annis. Valentinianus tunc temporis audivit ſuggeſtionem meam, nec fecit aliud, niſi quod Fidei noſtræ ratio poſcebat. Acquieverunt etiam Comites ſui.* Eademque Theodoſio Imperatori ſe ſuggeſſiſſe, eumque conſiliis ſuis acquieviſſe ſubdit. Nihil etiam in eam rem a Valentiniano Principe legationem a Senatu miſſam intra Gallias obtinuiſſe, addit. Quam ob cauſam, cum Eugenius hæc alias negata Ethnicis permiſiſſet, ne in faciem eidem reſiſtere cogeretur, ejus quoque ſe aſpectum vitaſſe, eàdem epiſtola longa oratione perſequitur.

Theodoſius de belli exitu Joannem conſulit.

2. Dum Ethnicorum favore, & pollicitationibus de fauſto belli exitu ſibi blandiretur Eugenius, Theodoſius, ſciens pietate magis, quam armis tyrannos, ac barbaros vinci, uti & iterum expertus fuerat; nihil antiquius habuit, quam ut divinum ſibi auxilium, quibus valeret officiis, promereretur. Cumque alias contra Maximum pugnaturus, Joannis cujuſdam monachi virtutem expertus fuiſſet, qui victoriam illi prædixerat; hanc alteram adverſus Eugenium ſuſcepturus expeditionem, legatos iterum miſit, ut de belli exitu ſanctiſſimum virum interrogarent, uti Sozomenus narrat. Eutropium igitur ex Eunuchis Palatii fidiſſimum in Ægyptum miſit, ut vel eum ad ſe adduceret, vel ſaltem ex eo diſceret, quid agendum eſſet. Is cum ad Joannem veniſſet, perſuadere ei non potuit, ut ad Imperatorem accederet. *Sed reverſus nuntiavit Theodoſio, Joannem dixiſſe, quod victoriam ex bello relaturus eſset, extinctoque Tyranno, poſt victoriam in Italia ipſum eſse moriturum, quorum utrumque vere dictum fuiſse, exitus comprobavit.* Eademque Theodoretus, aliique, qua autem ratione ad bellum ſe Theodoſius armaverit, his verbis narrat Ruffinus: *Igitur præparatur ad bellum, non tam armorum, telorumque, quam jejuniorum, orationumque ſubſidiis, nec tam excubiarum vigiliis, quam obſecrationum pernoctatione munitus, circuibat cum Sacerdotibus, ac populo omnia orationum loca, ante Martyrum, & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus, & auxilium ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat.* Quis fuerit belli exitus, anno ſequenti videbimus; nunc cetera a Theodoſio in eam

*Sozom. lib. 7. 22.*

*Theodor. lib. 5. 14. Ruff. vitæ Patrum lib. 2. 33.*

JESU CHR. AN. 393.

rem geſta proſequimur, & quidem laude, & admiratione digna.

Theodoſius tributa relaxat. *Cod. Theod. l. 23. de annon. & tributis.* *Aliæ Theodoſ. leges Cod. Theod. de bonis proſcript. l. 12, 13.*

3. Inter cetera, lege ad Ruffinum data, tributa, quæ belli tempore augeri ſolent, minui juſſit: *Ærariæ præſtationis adjectio, quam citra priſcam conſuetudinem provincialium humeris Tatianus impoſuit, a cunctis penitus ſalubri moderatione removenda eſt. Dat. prid. Idus Junii CP. Theodoſio Aug. III. & Abundantio*; lege altera ad eumdem Ruffinum Præfectum prætorii, proſcriptorum bona a Tatiano fiſco addicta, vel ipſis reis, vel eorum cognatis reddi præcepit: *Omnia proſcriptorum bona*, inquit, *quæ fiſco juſſerat Tatianus adnecti, vel ipſis, qui propriam nuditatem, vel illis, qui ſuorum mortem in extrema poſiti egeſtate lugent, ſine dubitationis obſtaculo reddi præcipimus. Dat. prid. id. Junii CP. Theodoſio Aug. III., & Abundantio Coſſ.* Altero autem reſcripto ad Drepanium Comitem rerum privatarum dato, proſcriptorum bona, quæ Principis largitate aliis donata fuerant, nihilominus vel reis ipſis, vel eorum cognatis reddi mandavit. In quam rem hæc

*Bar. 393. 40.* Baronius adnotat: *Hæc rogo, attendant, qui in bellico apparatu non largitionibus, & eleemoſynis, preces pauperum ſibi conciliant, ſed eorum luctu, ex acerbioribus exactionibus, & clamoribus ad Deum contra ſe provocant, & infenſum penitus reddunt, ſecundum illud David dicentis: Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus; cum interdum contingat, ea ipſos ſubditos pati a ſuis Principibus, quæ nec ab hoſtibus forent aliquando experturi.*

*Pſalm. 11.*

Theodoſius licentiam militum coercet. *Cod. Theod. l. 3. de Salgam. l. 18. 19. 20. de erogat. milit. annonæ. l. 4. de metatoribus.*

4. Nec multo poſt, ad coercendam militum licentiam, & ne in expeditione mox ſuſcipienda ſubditis moleſtiam facerent, hæc ſancivit: *Nemo militans a ſuo hoſpite ſalgami aliquid nomine poſtulet, ideſt, ne lignum, aut oleum, culcitrave poſcantur. Dat. IIII. Kal. Aug. CP. Theodoſio Aug. III. & Abundantio Coſſ.*: vetuit etiam pro annonariis ſpeciebus pretium exigere, aut pro libitu ſibi hoſpitia quærere. Celebrior adhuc eſt altera Theodoſii lex, hoc eodem anno data, qua Majeſtatis detractores pœna, aut ſupplicio liberavit: *Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, neque durum aliquid nec aſperum ſuſtinere. Quoniam ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſe-*

Imperatoris detractores ſupplicio liberat. *Cod. Theod. l. 1. ſi quis maledixerit Imp.*

Digitized by Google

*miſeratione digniſſimum; ſi ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus, ad noſtram ſcientiam referatur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeat, cenſeamus. Dat. V. Id. Aug. Conſtantinop. Theodoſio A. III., & Abundantio V. C. Coſs.* Admirare lector, ait Baronius, Imperatoris cum pietate prudentiam, dum & maledicis pœnam remitti jubet, & maledicos ſibi deferri, ut vel reverentia erga Principem, vel ſaltem timore, ne ad aures Imperatoris maledicta pervenirent, hominum audaciam frenaret, chriſtianæ manſuetudini æque, ac Imperatoriæ majeſtati conſulens. Jesu Chr. an. 393.

5. Hoc etiam anno antequam Theodoſius contra Eugenium exercitum duceret, Honorium filium ſuum natu minorem Auguſtum creavit, qui nonum tunc annum agebat, natus quippe quinto idus Septembris ex Flacilla, Richomere, & Clearcho Coſs, ideſt anno 384. Inaugurationis annum, & diem Socrates his verbis memorat: *Collectis militaribus copiis, poſtquam filium ſuum Honorium Auguſtum renunciaſſet ipſo tertium, & Abundantio conſulibus ante diem quartum idus Januarii, ambobus filiis Imperatoribus CP. relictis, ipſe Theodoſius rurſus in Occidentis partes propere contendit.* Hæc de Honorii inauguratione Socrates; eruditorum tamen nonnulli alia die, eam dignitatem Honorio collatam fuiſſe ſcribunt, ob Proſperi, & Marcellini auctoritatem, qui ea die inauguratum Honorium narrant, qua *hora diei tertia tenebræ factæ ſunt*. Hinc Petavio creditum Honorii inaugurationem in Novembrem incidiſſe, quo tempore contigit ſolis eclypſis. Socratis tamen ſententiam ceteris præferendam, inſignes cronologi cenſent, atque id tantum Proſperum, & Marcellinum indicaſſe adnotant, eodem anno Honorium Auguſtum creatum fuiſſe, quo Solis deliquium accidit, quin neceſſe ſit cum ſolis eclypſi Honorii evectionem eadem die conjungere.

Honorius Auguſtus a Theodoſio creatur.

*Socrat. lib. 5. 25.*

*Petav. lib. 3. de doctrina temp.*

*Proſp. chron.*

*Pag. ad ann. 393. n. 1. Baſnag. an. 393. 1.*

6. Inter Africanas ſynodos celeberrima eſt Hipponenſis, ex provinciis totius Africæ hoc anno habita, cujus in aliis conciliis frequens occurrit mentio, atque ex eadem ſynodo tanquam ex Archetypo plures canones in alias translati ſunt, utpote eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtituendæ aptiſſimi: habita hæc ſynodus fuit *Imperatore Theodoſio Aug. III. & Abundantio VC. Coſs. octavo idus Octob. Hippone Regio in ſecretario baſilicæ Pacis*, cujus eccleſiæ non ſemel Auguſtinus meminit. Generale

Hipponenſe concilium celebratur.

*Hard. concil. tom. 1. p. 862. Gabb. tom. 2. p. 1149. Auguſt. epiſt. 213. n. 1.*

JESU CHR. AN. 393.

rale fuit hoc totius Africæ concilium, cui Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, & totius Africæ Primas haud dubie præfuit. Inter ceteros eidem ſynodo adfuit Auguſtinus tunc presbyter, qui cum in magna apud Africanos Patres exiſtimatione eſſet, de fide & ſymbolo coram ſynodo diſſeruit, ut Poſſidius narrat, atque Auguſtinus ipſe teſtatur. *Per idem tempus coram Epiſcopis, hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hippone Regio agebant, de fide & ſymbolo presbyter diſputavi, quam diſputationem nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, ſtudioſe inſtantibus, in librum contuli*, unde de fide & ſymbolo tractatum edidit. Cum vero tantum de ſe ſpecimen ea diſputatione dediſſet Auguſtinus, ut omnes Africani Epiſcopi ejus ſapientiam admirarentur, atque præ ceteris Epiſcopatu dignum judicarent, tunc Valerius Hipponenſis Epiſcopus, timens ne e ſua eccleſia abriperetur, Coadjutorem eum ſibi, ac ſucceſſorem eligendum cenſuit. Qua de re occulte primum cum Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo egit, ut teſtatur Poſſidius, & infra ſuo loco videbimus, ideſt anno 395.

*Poſſid. Auguſt. vita 7. Aug. retract. lib. 1. 17.*

Hipponenſis concilii canones.

7. Cumque ad eccleſiaſticam diſciplinam in integrum reſtituendam ex tota Africa Hipponem conveniſſent Epiſcopi, aliquot certe canones eadem ſynodus edidit. Quorum quidem ſumma, ſeu breviarium, poſt concilium Carthaginenſe tertium anno 397. Cæſario & Attico Coſs. habitum, legitur, ubi canones quadragintaunum leguntur, ut hactenus Baronio, Binnio, Harduino viſum eſt: at Schelestratus, quem Pagius, & Baſnagius ſequuntur, eam Hipponenſium canonum epitomen, aut apocrypham, aut ſaltem interpolatam eſſe demonſtrant. Nil itaque de Hipponenſis ſynodi canonibus certi occurrit, cum ceteris Africanæ eccleſiæ canonibus confuſi, & ab aliis ſynodis adoptati ſint, ita ut difficile, quinimmo impoſſibile ſit, a ceteris ſecernere, in unum in Africanæ eccleſiæ canonum Codice confuſis.

*Labb. Hard. ut ſup. Bar. 393. 33. Schelest de eccleſ. Afric. diſſert. 3. cap. 6. Pag. ucl. 4. in Bar. ut ſup. Baſnag. an. 393. n. 3.*

Donatiſtæ iterum inter ſe diviſi: ſynodi in eam rem habitæ.

8. Dum collapſam diſciplinam Hipponenſi ſynodo inſtaurandam curant catholici Epiſcopi, Donatiſtæ majori ſchiſmate inter ſe diviſi ſunt, quod juſta animadverſione illis accidiſſe Auguſtinus adnotat, ut *ſicut Chriſtum dividere conatus fuerat Donatus, ſic ipſe a ſuis quotidiana conciſione divideretur*; ita ut multa, ut alibi idem Auguſtinus ait: *Multa fruſta de ipſo fruſto per totam Africam facta ſint*, & ut prætereamus ſchiſmata in parte Donati hactenus exorta, unde qui a Donato Donatiſtæ

*Aug. lib. de agone chriſt. cap. 29. contra Parm. lib. 3. 4.*

Jesu Chr. an. 393.

tiſtæ primum ſunt dicti, poſtea Urbanenſes aliqui dicti ſunt; *in quadam Numidiæ particula*, alii Rogatiſtæ a Rogato ſic dicti, *breviſſimum fruſtum*, ait Auguſtinus, *de fruſto majore præciſum*; deinde a Claudio quodam Claudianiſtæ appellati ſunt. Ticonium etiam donatiſtam cum ſuis ſchiſma feciſſe, & Parmeniano ob librum regularum ad explanationem ſacræ Scripturæ vulgatum, multum negotii faceſſiſſe ſupra oſtendimus. Præceteris vero celeberrimum, eorumdemque factioni infauſtum illud fuit, quod inter Primianum, & Maximianum, hac de cauſa circa hæc tempora exortum eſt. Parmeniano Carthaginenſi Donatiſtarum Epiſcopo ſucceſſerat Primianus, quartus in ea ſede Epiſcopus. Ut Epiſcopatum adeptus eſt Primianus, tyrannum potius, quam Epiſcopum agere cœpit, inter cetera Diaconos quatuor nullius criminis convictos a communione abjecerat, inter quos erat Maximianus, qui injuriæ impatiens, duo adverſus Primianum ſchiſmaticorum concilia coegit, unum Carthagine, quo quadraginta tres Epiſcopi convenerunt; ubi primum anno proximo damnatus fuit Primianus, cumque ſynodi ſententiam ſprevìſſet Primianus, labenti anno iterum centum & amplius Cabarſuſſii in Bizacena provincia adverſus Primianum Epiſcopi convenerunt, ac remoto Primiano, Maximianum in ejus locum ordinarunt; verum ex adverſo Primianus, anno ſequenti majus concilium tercentumdecem Epiſcoporum in Bagajenſi oppido congregavit, ubi Primianus abſolutus fuit, Maximianiſtæ vero condemnati; unde inter ipſos dirum ſchiſma firmatum eſt, ut anno ſequenti videbimus.

*Auguſt. contra Creſcon. lib. 4. c. 60.*

*Auguſt. epiſt. 93. 8.*

*Auguſti in pſalm. 36. 20.*

Schiſma Donatiſtarum inter Primianos, & Maximianiſtas.

*Auguſt. contra Creſcon. lib. 3. 53. lib. 4. 6.*

9. Quæ autem fuerint crimina Primiano in Carthaginenſi, & Cabarſuſſienſi ſynodo objecta, quamque agendi rationem adverſus Primianum tenuerint Donatiſtæ, ex ſynodali epiſtola Cabarſuſſienſis conciliabuli ſcimus, quam Auguſtinus enarratione in Pſalmum 36. inſernit, qua ad rem noſtram hæc leguntur: *Nemo eſt, qui neſciat, fratres dilectiſſimi, de Sacerdotibus Domini non propriæ voluntatis, ſed divinæ legis impulſu, tam in reos ſententiam dicere, quam innocentibus inflictam jure ab eis ac merito ſubmovere, non levi enim periculo ſubjacebit quiſquis aut reo pepercerit, aut innocentem confutare pertentarit*, poſt hanc præfationem, aliaque de Primiani criminibus narrant, eum Presbyteros Cabarſitanos impuliſſe, ut quatuor diaconos, viros egregios, ac ſingularibus meritis approbatos condemnarent, Maximianum ſcilicet, Rogatianum, Donatum, item-

Donatiſtæ Primianum condemnant, atque ejus loco Maximianum ordinant.

*Auguſt. in pſalm. 36. 20. tom. 4.*

que

Jesu Chr. An. 393.

que Salgamum, quod cum illi renuiſſent, per ſe ipſum meditatum ſcelus non dubitavit implere; uſque adeo, ut in Maximianum diaconum, virum (ſicut omnibus notum eſt) innocentem, ſine cauſa, ſine accuſatore, ſine teſte, abſentem, ac lecto cubantem, officio ſuo privare non dubitaverit, eodemque tempore graviorum criminum reos, ac inceſtos, contra legem, decretaque omnium ſacerdotum, communioni ſanctæ adjungeret; cumque obſiſtente maxima parte plebis, etiam ſeniorum & nobilium litteris conveniretur, ut per ſe corrigeret, quod injuſte admiſerat, emendare contempſit. His addunt Epiſcoporum ad ſe venientium non ſolum præſentiam vitaſſe, ſed eos quoque armata manu ab eccleſiæ liminibus repuliſſe. Quare poſt plurima: *Decrevimus omnes Sacerdotes, Dei præſente Spiritu, hunc eumdem Primianum; primo quia ſuper vivos Epiſcopos alios ſubrogavit; quod inceſtos cum ſanctorum communione miſcuerit; quod presbyteros ad conjurationem in eadem conſtringere pertentarit: quod Fortunatum presbyterum in cloacam fecerit mitti, cum ægrotantibus baptiſmo ſuccurriſſet: quod communionem Demetrio Epiſcopo denegavit, ut cogeret filium abdicare: quod idem presbyter abjurgatus ſit, quod Epiſcopos hoſpitio ſuſcepiſſet: quod ſupradictus Primianus multitudinem miſerit, quæ Chriſtianorum domos everteret: quod obſeſſi ſunt Epiſcopi ſimul & clerici, & poſtea ab ejus ſatellitibus lapidati ſunt: quod in baſilica cæſi ſunt ſeniores, quod indigne ferrent Claudianiſtas ad communionem admitti: quod innocentes clericos putaverit eſſe condemnandos: quod ſe nobis audiendum noluerit exhibere, cum baſilicarum fores, ne ingrederemur, multitudine & officialibus intercluſerit, quod Legatos a nobis ad ſe miſſos injurioſe rejecerit: quod loca multa, vi primo, dehinc auctoritate judiciaria uſurpavit: præter alia illicita ejus admiſſa, quæ pro honeſtate ſtyli noſtri ſiluimus: a ſacerdotali choro perpetuo eſſe damnatum &c.* Eademque excommunicationis ſententia in eos fertur, ſive Sacerdotes, ſive clericos, aut laicos, qui a die damnationis Primiani, ideſt, a die Kalendarum Juliarum uſque ad diem octavum Kalendarum Januariarum, a Primiani communione non receſſerint, Laici quoque niſi ſe a ſupradicto die damnationis illius intra diem Paſchæ futuræ ab ejus conſortio ſeparaverint. Hactenus ſynodica epiſtola concilii Cabarſuſſi habiti, quam epiſtolam primo Donatiſtarum concilio, ideſt Cavernis in Suſis habito, inſcribendam cenſuerunt

Baro-

Baronius, Labbeus, Schelestratus, Baſnagius; at ex melioribus Codicibus Cabarſuſſienſi concilio reſtituerunt Maurini editores operum S. Auguſtini.

10. Hoc anno Alipius Auguſtini individuus comes Hieroſolymam profectus, Hieronymum in Bethleemitica ſolitudine adiit, cui cum multa de Auguſtini vitæ ſanctitate & doctrina narraſſet, atque ex opuſculis editis jam Auguſtino notus eſſet Hieronymus, exinde arctiori etiam amicitiæ vinculo conjuncti ſunt, ut eorumdem epiſtolæ teſtantur; uam ubi primum in Africam reverſus eſt Alipius, hoc, vel ſequenti anno, quo etiam Epiſcopus eſt ordinatus, ad Hieronymum Auguſtinus, dum adhuc presbyter eſſet, ſcripſit, Profuturum epiſtolæ latorem eidem commendans, atque Hieronymi ingenium & labores laudans, hoc unum inter Hieronymi labores reprehendebat, quod ſacram Scripturam ex hebraico textu in latinum vertendam ſuſcepiſſet: nec ſatis ea probavit Auguſtinus, quæ a Hieronymo in epiſtola Beati Pauli ad Galatas de ſimulatione Petri adnotaverat, quem ficte a Paulo reprehenſum fuiſſe ajebat, ne fortaſſe mendacio eum patrocinari videretur; de quibus infra ſermo fiet. Interea una cum epiſtola, qua hæc de Hieronymi ſcriptis adnotaverat Auguſtinus, ex ſcriptis ſuis quædam ad Hieronymum miſit, eum exhortans, ut ſi quæ in iis contenta minus probaret, liberrime adnotaret. At hæc Auguſtini ad Hieronymum epiſtola nonniſi poſt annos aliquot pervenit, ſiquidem Profuturus, cui eam deferendam tradiderat, Epiſcopus paulo poſt ordinatus, in Palæſtinam non abiit, deinde cum obiiſſet, Auguſtini litteras non detulit, unde tardius eas Hieronymus in manus habuit; ac non leviter in eum commotus eſt, quod ipſæ in Italia, & Inſulis vulgatæ jam eſſent, antequam ad ſuas manus perveniſſent; id etiam ægerrime tulit, quod ſuos in verſione Scripturarum labores, aut commentaria in epiſtola ad Galatas Auguſtinus non probaſſet; ſed de his infra, cum ea quæſtio inter Hieronymum, & Auguſtinum agitata eſt.

*Bar. an. 394. Baſnag. 393. 4. Labb. concil. tom. 2. Schelest. de Ealeri Africana diſſert. 3. 5. nota in pſalm. 36.*

Alipius Hieroſolymam proficiſcitur, in Africam redit.

*Auguſt. epiſt. 28.*

*Auguſt. epiſt. 71.*

*Apud Auguſt. epiſt. 72.*

11. Nunc Auguſtini opuſcula, quæ ante Epiſcopatum presbyter vulgavit, recenſemus; quorum primum fuit liber de Geneſi ad litteram imperfectus, ut idem teſtatur, eodemque tempore de Sermone Domini in monte ſecundum Matthæum duos libros edidit; in quibus morem quotidie communicandi cœnæ Dominicæ in Africanis eccleſiis adhuc viguiſſe adnotat, licet alia eſſet Orientalium eccleſiarum conſuetudo, ut lib. 2. cap. 7.

Auguſtini opera ante Epiſcopatum.

*Auguſt. Retract. lib. 1. 18. Ut ſup. c. 19.*

cap. 7. admonet; cumque hoc tempore Carthaginem ſe contuliſſet, occaſione oblata, qua a fratribus quibuſdam S Pauli ad Romanos epiſtola legeretur, variis quæſtionibus reſpondere rogatus, alterum librum compoſuit, qui *Expoſitio quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos* inſcribitur, quo in libro, ut idem Auguſtinus fatetur, nondum ſatis diligenter quæſierat, unde eſſet electio ad gratiam; qua de cauſa ibidem ſic loquitur, quaſi a nobis ipſis initium fidei eſſet, eoque libro in ſententiæ ſuæ patrocinium Semipelagiani utebantur, nec immerito, ut ipſe Auguſtinus adnotat. At ſubdit, eos debuiſſe una ſecum legendo proficere, & ſuo exemplo errorem deponere. Hoc quoque tempore epiſtolam B. Pauli ad Galatas expoſuit, ac uno volumine complexus eſt: epiſtolam quoque ad Romanos explicandam ſuſceperat; verum operis magnitudine, ac laboribus deterritus, cum primum librum in ipſius fere titulo, & ſalutationibus confeciſſet, imperfectum reliquit. Poſtremus liber, quem presbyter Auguſtinus edidit, *de mendacio* inſcribitur, quo illicitum eſſe mendacium oſtendit; hunc tamen librum utpote oratione obſcurum, argumentiſque infirmum, ex operum ſuorum catalogo eradere decreverat, ut idem in retractationibus fatetur. Opuſcula etiam contra Donatiſtas nonnulla hoc tempore vulgavit Auguſtinus, quorum primum fuit pſalmus, quem *Abecedarium* appellat. Huic proximus fuit liber, quo Donati Carthaginenſis totius ſchiſmatis principis, & architecti, qui ſectæ etiam nomen dedit, epiſtolam confutavit; qua epiſtola Donatus baptiſmum extra ſectam ſuam conferri non poſſe contendebat, ſed hoc opus intercidit, cujus ipſe Auguſtinus in ſuis retractationibus meminit. His addendæ eſſent ejuſdem Auguſtini epiſtolæ plurimæ, tum ad catholicos, cum ad hæreticos datæ; ne tamen longiores ſimus ab iis recenſendis abſtinemus, contenti pro hiſtoriæ opportunitate ea exſcribere, quæ ad rem noſtram faciunt.

*Retract. lib. 1. 23.*

Auguſtinus presbyter Semipelagianis favet.

*Auguſt. de prædeſt. SS. cap. 3. 4.*

*Retract. lib. 1. 74.*

*V. ſup. c. 25.*

*Cap. 27.*

*Retract. lib. 1. 20.*

*Cap. 21.*

JE-

JESU CHRISTI AN. 394. SIRICII PAPÆ 11.
THEODOSII IMP. 16. ARCADII IMP. 12.
HONORII IMP. 2. COSS. ARCADIO AUG. III. ET
HONORIO AUG. II.
OLYMP. 293. AN. 2. URBIS AN. 1147.

1. Difficile bellum, ac incertæ aleæ adverſus Eugenium ſuſceperat Theodoſius, ut anno proximo diximus, quare tota hyeme, quæ neceſſaria erant ſumma diligentia paravit; vere ineunte vel tranſacto, adverſus Tyrannum exercitum eduxit. Cum *Theodoſius omnia, quæ ad bellum neceſſaria erant, abunde comparaſſet*, ait Sozomenus, *utroque filio CP relicto, ipſe cum copiis ex Orientis partibus profectus, ad Occidentalis Imperii Provincias propere contendit. Sequebatur illum ingens turba auxiliarium ex Barbaris, qui circa Danubium habitabant. Cum autem egreſſus Conſtantinopoli, ad ſeptimum milliare perveniſſet, Deum illic oraſse dicitur in Eccleſia, quam in honorem Joannis Baptiſtæ conſtruxerat: utque fauſtus, ac felix ſibi, & exercitui, & Romanis omnibus belli exitus contingeret, poſtulaſse, & Baptiſtam ſibi auxiliatorem invocaſse. Hæc precatus in Italiam iter fecit.* Non deſunt tamen auctores qui Honorium a Theodoſio itineris comitem fuiſſe teſtentur, Zoſimus ſcilicet & Marcellinus, cujus hæc ſunt verba: *Arcadio III., & Honorio iterum Coſſ. Theodoſius Auguſtus aſſumpto Honorio Cæſare, eodemque filio contra Arbogaſtem, qui Eugenium tyrannum Imperatorem facere auſus eſt, iterum properavit.* At eos erraſſe extra dubium eſt, nam & Claudianus in tertio Honorii conſulatu id ipſum confirmat, ipſum ſcilicet una cum fratre Arcadio CP. ſubſtitiſſe:

Theodoſius in Italiam adverſus Eugenium exercitum ducit. *Sozom. lib. 7. 24.*

*Zoſ. lib. 4. 57. Marcell. Chr.*

*Pag. Murat. Baſnag. hoc an.*

*Quæ tibi tunc Martis rabies, quantuſque ſequendi*
*Ardor erat . . . .*
*Ille vetat, rerumque tibi committit habenas.*

Romanis militibus Timaſium præfecerat Theodoſius, deinde Stilichonem Serenæ Theodoſii fratris filiæ maritum; Barbaros vero fœderatos (quorum copiam maximam ducebat) Gainæ, & Saulo parere juſſit; quorum partem Dacurius etiam ducebat, non Armenia oriundus ut habet Zoſimus, ſed Ibericæ gentis Rex, ſive dux, apud Romanos domeſticorum tunc co-

Jesu Chr. mes, pietate non minus, quam virtutibus bellique peritia
An. 394. clarus; neque, ut narrat Ruffinus, qui ad obtinendam victoriam
Ruff. hiſt. lib. maximo adjumento fuit, armis ſolum, & exercitu ad eam
1. 10. expeditionem Theodoſius ſe inſtruxit, ſed precibus, & piis operibus divinam ſibi opem promereri curavit, ut anno elapſo diximus.
Paul. in vita Ambr. n. 31. Eugenius econtra, & Arbogaſtes, & Flavianus ejus duces, Ethnicos ſibi propitios fecerant, reddita ſacrificiorum libertate; locatis etiam ad Alpium fauces ſimulacris Jovis, & Herculis, ut venientem Theodoſium ſuis fulminibus repellerent: quin Mediolano diſceſſuri Arbogaſtes & Flavianus, ut Alpium clauſtra munirent, minati fuerant, *cum victores reverſi eſſent, ſtabulum ſe eſſe facturos in baſilica eccleſiæ Mediolanenſis, atque clericos ſub armis probaturos*. In clerum & eccleſiam erant commoti, eo quod eorum munera ab eccleſia reſpuerentur, nec orandi illis cum fidelibus poteſtas fieret. *At ubi veræ religionis fretus auxilio Theodoſius Alpium fauces cœpit urgere*,
Ruff. lib. 2. 33. ait Ruffinus, *primi illi, quibus nequidquam litatæ ſunt tot victimæ de fallaciæ conſcientia trepidi dæmones in fugam verſi* ſunt; nam acie inſtructa, & collocatis in ſuperiori jugo inſi-
Zoſim. lib. 4. diis, pugnam in deſcenſu montis expectant. Hic, addit Zoſimus, *Alpium præter omnem ſpem potitus, ad hoſtes acceſſit,*
Socrat. lib. 5. 25. *inopinato adventu Eugenio territo*; prælium vero, ut ait Socrates, *committitur ad fluvium, quem frigidum vocant, qui ab urbe Aquileja diſtat trigintaſex millibus paſſuum*.

Divina ope adjutus Theodoſius Eugenium vincit.

2. Quanto autem periculo, & exitu incerto pugnatum fit, quibuſve auxiliis tandem Theodoſius Eugenium vicerit, Sozomenus aliique hiſtorici ſic narrant: *Cum ad Alpes veniſ-*
Sozom. lib. 7. 24. *ſet, primas ſtationes occupat, & cum tranſitus verticem prætergreſſus, jam in deſcenſu eſſet, campum equitibus, ac peditibus oppletum videt: nec procul multo hoſtium a tergo in montis cacumine interim ſubſiſtentes*. Cum autem primi cum hoſtibus manum conſeruiſſent, anceps pugna fuit, adeo ut cum animadvertiſſet Imperator humana vix ope ſuos ſervari poſſe, incumbentibus a tergo iis, qui verticem occupaverant; pronus humi cum lacrymis, ut ſibi opem ferret, Deum exoravit, ſtatimque res ejus in melius mutatæ ſunt, ut Sozomenus, Ruf-
Ambroſ. orat. in fun. Theodoſi. finus, Socrates, & Theodoretus adnotant. Ambroſius vero paucis rem geſtam his verbis narrat: *Cum locorum anguſtiis, & impedimentis Calonum agmen paulo ſerius in aciem deſcenderet, &*

*ine-*

*inequitare hoſtis mora belli videretur, deſilivit equo Princeps & ante aciem ſolus progrediens ait: Ubi eſt Theodoſii Deus! Quo dicto excitavit omnes, & exemplo omnes armavit, & jam certe ſenior ætate, ſed validus fide. Theodoſii ergo fides fuit victoria veſtra.* Hæc Ambroſius de oratione Theodoſii ad Deum tunc facta; cui victoriam acceptam referunt hiſtorici omnes, *nam*, ut ſubdit Sozomenus, *Rectores eorum, qui montis verticem tenebant, miſſis ad illum nuntiis, ſe ad illius partes tranſituros eſſe polliciti ſunt, ſi honoratiorem gradum apud illum habituri eſſent*; hinc Oroſius de his, qui ad Theodoſii partes tranſierunt: *Prima ſalutis via*, inquit, *extitit arbitrio hoſtilium partium Comes, qui cum ignarum Imperatorem circumpoſitis excepiſſet inſidiis, converſus ad reverentiam præſentis Auguſti, non ſolum periculo liberavit, verum etiam inſtruxit auxilio*. Ruffinus vero de his, qui ad Theodoſii partes tranſierunt: *Ubi ad primos ventum eſt, illico ſe legitimo Principi tradiderunt*. Hos cum honorariis conditionibus in ſuas partes recepiſſet Theodoſius, anceps tamen adhuc aliquandiu victoria fuit, & pugna atrox, uſquedum novo prodigio, ipſa elementa pro Theodoſio certantia victorem reddiderunt.

*Oroſ. hiſt. lib. 7. 35.*

*Ruff. lib. 2. 33.*

*Eugenii clades, & interitus.*

*Sozom. ut ſup.*

3. Ceterum cum neutra pars adhuc *cederet*, ſubdit Sozomenus, *ſed æquo Marte utrinque acriter pugnaretur, ventus ingens, & qualem antea nunquam fuiſſe novimus, ex adverſo in hoſtes irruens, eorum ordines diſturbavit: tela vero, & jacula, quæ in Romanos conjecta erant, perinde ac ſi ſolidis corporibus illiſa eſſent, in ipſa jaculantium corpora retorſit. Scuta denique ex eorum manibus abrepta, cum ſordibus, ac pulvere in ipſos contorſit. Itaque armis nudati, alii quidem ſtatim trucidati ſunt: alii vero ad modicum tempus fuga elapſi, haud multo poſt capti fuere*. Eugenius autem ad pedes Imperatoris provolutus, ut vita ipſi concederetur, orabat; ſed dum ſupplicaret, a quodam ex militibus capite truncatus eſt. Arbogaſtes vero poſt prælium fugiens, ſua ſe manu interemit; eodemque tempore, quo pugna committebatur, dæmoniacus quidam in templo, quod erat in ſeptimo, in quo Theodoſius ad bellum proficiſcens preces fuderat, a dæmone in ſublime raptus, Joanni Baptiſtæ conviciatus eſt, eumque tanquam capite truncatum, probris appetiit, ita vociferando: Tu me vincis, & exercitui meo inſidiaris! Hæc de Theodoſii victoria, & Eugenii interitu Sozomenus, ceterique hiſtorici. Theodoretus addit:

*Socr. Sozom. Ruff. ut ſup. Theod. lib. 5. 24.*

dit, quod cum Theodoſius inſtante prœlio in æde ſacra pernoctaſſet orationibus intentus, cum ad galli cantum ſomno oppreſſus aliquantiſper quieviſſet, cœleſti viſione, & apparitione Sancti Joannis Evangeliſtæ, & Philippi Apoſtoli, de ineunda pugna, & futura victoria admonitum fuiſſe; ejuſdemque victoriæ in numiſmate quodam monumentum extare Baronius ſcripſit ad annum 394. n. 10. At in eo explicando numiſmate tota via eum erraſſe adnotant Pagius & Noriſius, ac Theodoſium juniorem, una cum Arcadio & Valentiniano III. conſulari habitu indutos, & radiato capite, non vero Joannem & Philippum Apoſtolos eo numiſmate exhiberi probant. Cœleſti nihilominus virtute eam victoriam obtinuiſſe Theodoſium dubitari non poteſt, etſi eam Eugenii imprudentiæ & oſcitantiæ adſcribat Zoſimus Ethnicus ſcriptor; at Claudianus Ethnicus poeta divinitus eam obtinuiſſe diſertiſſime ſcribit. Unde poſt plurima:

*Pag. not. 3. ad an. 394. & diſſert. hypatica p. 3. 14. n. 7.*

*Zoz. lib. 4. 58.*

*O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris*
*Æolus armatas hiemes, cui militat æther,*
*Et conjurati veniunt ad claſſica venti!*
*Alpinæ rubuere nives, & Frigidus amnis*
*Mutatis firmavit aquis, turbaque cadentum*
*Staret, ni rapidus juviſſet flumine ſanguis.*

Hæc Claudianus, quibus verſibus pugnæ locum indicat, ad ripam ſcilicet fluminis nomine Frigidi, ut Socrates teſtatur.

*Socrat. ut ſup. Oroſ. lib. 7. 35.*

4. Cum Eugenio perierunt ejus duces, & ſcelerum auctores; Arbogaſtes etenim pugna elapſus, cum biduo in montibus errans latuiſſet, ubi ſe a militibus ad necem quæri cognovit, ſibi ipſi necem intulit, & qui Valentiniani Imp. ſanguine ſe cruentaverat, ſuimetipſius carnifex evaſit, quod Claudianus his verſibus cecinit:

*Auguſt. de civitat. Dei. lib. 5. 26.*

Arbogaſtis, & Flaviani interitus.

*At ferus inventor ſcelerum trajecerat altum*
*Non uno mucrone latus, duplexque tepebat*
*Enſis, & ultrices in ſe converterat iras.*

De

De Flaviano vero altero Eugenii duce, & Idolorum patrono hæc habet Ruffinus, quibus indicare videtur, eumdem exitum cum Arbogaſte habuiſſe, licet alii cladi ſupervixiſſe tradant: *Flavianus plus pudoris, quam ſceleris reus, cum potuiſſet evadere, eruditus admodum vir, mereri ſe mortem pro errore juſtius, quam pro crimine judicavit*. Unde ſibi ipſi mortem intuliſſe non obſcure Ruffini verba indicant.

*Bar. 394. 18. Ruff. lib. 2. 33.*

5. Illuſtrem victoriam inſigni pietate, & clementia illuſtriorem reddidit Theodoſius, de quibus Auguſtinus hæc adnotat: *Victor Theodoſius ſicut crediderat, & prædixerat, Jovis ſimulacra, quæ adverſus eum fuerant, neſcio quibus ritibus velut conſecrata & in alpibus conſtituta, depoſuit: eorumque fulmina, quod aurea fuiſſent, jocantibus (quod illa lætitia permittebat) curſoribus, & ſe ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter benigneque donavit. Inimicorum ſuorum filios, quos non ipſius juſſus, ſed belli abſtulerat impetus, etiam nondum Chriſtianos hac occaſione fieri voluit, & chriſtiana caritate dilexit, nec privavit rebus, ſed auxit honoribus. In neminem poſt victoriam privatas inimicitias valere permiſit. Bella civilia, non ſicut Cinna, & Marius, & Sylla, & alii tales, qui nec finita finire voluerunt, ſed magis doluit exorta, quam cuiquam nocere voluit terminata*. Hæc de clementia Theodoſii poſt victoriam Auguſtinus. Quod vero ait, ab eodem Theodoſio Imperatore hoſtibus, qui pugnaſsent in caſtris, filiiſque eorum confugientibus ad eccleſiam, indulgentiam impertitam fuiſse, eam quidem procuratam per interceſſionem S. Ambroſii, Paulinus docet his verbis: *Extincto itaque tyranno Eugenio a ſatellitibus ejus, cum S. Ambroſius ſcripta acciperet Imperatoris, non illi alia cura major fuit, quam ut pro iis interveniret, quos reatus involverat. Obſecravit primo ſcriptis Imperatorem, miſſo Diacono: poſtea vero quam directus eſt Joannes tunc Tribunus & Notarius, qui nunc Præfectus eſt, ad tuitionem eorum, qui ad eccleſiam confugerant, etiam ipſe Aquilejam perrexit, precaturus pro eis; quibus facile venia impetrata eſt: quia Chriſtianiſſimus Imperator provolutus pedibus ſacerdotis, teſtabatur meritis, & orationibus ejus ſervatum ſe eſſe*; unde etiam Claudianus hæc in Theodoſii laudem cecinit:

Theodoſii clementia erga victos.

*Auguſt. de civit. Dei lib. 5. 26.*

*Paulin. in vita S. Ambroſii*

*Claud. ut ſup.*

> ....... *Non inſultare jacenti*
> *Mallebat, mitis precibus, pietatis abundans;*

*Pœnæ*

JESU CHR. AN. 394.

*Pœnæ parcus erat, paci non intulit iram*
*Poſt acies, odiis idem qui terminus armis*
*Profuit hoc vincente capi, &c.*

*Ambroſ. orat. in fun. Theod.* Præclaram vero victoriam adeptus Theodoſius, quia hoſtes in acie ſtrati ſunt, *abſtinuit a conſortio Sacramentorum, donec Domini circa ſe gratia filiorum experiretur adventu*. Severiorem adhuc diſciplinam Baſilius militibus impoſuit ad Amphilochium *Baſil. ad Amphil. epiſt.* ſcribens: *Cædes in bellis factas, Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoſcentes his, qui pro pudicitia, & pietate decertant, recte autem forte habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris, ſola trium annorum communione abſtineant*. De Ethnicis autem, qui poſt cædes a ſacris abſtinebant, vulgata ſunt Maronis carmina de Ænea ſacra patri ſuo porrigente:

*Virgil. æneyd. lib. 2.*

*Me bello e tanto digreſſum, & cæde recente*
*Attrectare nefas, donec me flumine vivo*
*Abluero . . .*

Sed de Theodoſii victoria hactenus, qui ea adepta Aquileja excedens, Mediolanum venit, eo tempore, quo illuc Ambroſius redierat, ac qui uno tantum die Imperatoris adventum *Paulinus in vita Ambroſ. cap. 32.* præceſſerat ut habet Paulinus. *Revertens itaque Ambroſius de urbe Aquilejenſi uno die præceſſit Imperatorem, nec diu clementiſſimæ memoriæ Theodoſius Imperator, ſuſceptis filiis*, ideſt Honorio, quem ex Oriente ad ſe vocaverat, ut Occidentale Imperium eidem traderet, *in eccleſia, & traditis Sacerdoti in hac luce fuit*; nam anno ſequenti obiit, ut ibidem videbimus.

*Gallæ Auguſtæ obitus.*

6. Tantam Theodoſii in expugnando Eugenio felicitatem minuit aliquatenus Gallæ uxoris obitus, quæ in procinctu *Zoſim. lib. 4.* expeditionis mortua eſt. *Hoc modo*, ait Zoſimus, *delectis ab eo ducibus, cum jam ad profectionem*, Theodoſius, *properaret, conjugem ipſius Gallam parturientem mori contigit, infantis onere cum vita depoſito*, quam multis lacrymis proſecutus eſt: *Huic Homeri more Princeps diurnis perſolutis lacrymis, cum exercitu deſcendebat*. Hæc de Gallæ obitu Zoſimus, quam imme- *Bar. 390. 75. Pag. ibid. Murat. 394. Baſnag. 394. 1.* rito anno 390. obiiſſe tradit Baronius, ut a Pagio aliiſque adnotatum eſt.

*S. Paulini vita, & geſta.*

7. Ad Clariſſimum virum nunc ſe transferat oratio, qui cum generis nobilitate, opibus, atque honoribus clarus eſſet, ſanctitate tamen, & doctrina illuſtrior evaſit. Is eſt Paulinus,

Digitized by Google

nus, qui cum ante aliquot annos una cum Theraſia conjuge ſua Mundo renunciaſſet, atque ampliſſimum patrimonium in pauperes erogaſſet, hoc anno presbyter ordinatus eſt, ac ſtupente urbe in agrum Nolanum ſeceſſit, cum annum ageret quadrageſimum, ut idem teſtatur in ſua ad Auguſtinum epiſtola, *Paul. epiſt. 4. edit. Muratorii.* hoc, vel ſequenti anno data, qua ſe quadrageſimum ætatis annum, ſpiritalis autem vitæ vix annum exceſſiſſe addit, ſcilicet a ſuſcepta ordinatione: *Nolo enim*, ait, *me corporali ortus magis, quam ſpiritualis exortus ætate conſideres, quippe acta mihi ſecundum carnem ea jam eſt, qua fuit ille ab Apoſtolis in porta ſpecioſa verbi poteſtate ſanatus* (ultra quadraginta an- *Act. cap. 4.* nos ſcilicet). *In natalibus autem animæ*, ſubdit, *illius adhuc mihi tempus infantiæ eſt, quæ intentatis Chriſto vulneribus immolata digno ſanguine agni victoriam præcucurrit, & dominicam auſpicata eſt paſſionem, atque ideo ut infantem adhuc verbo Dei, & ſpirituali ætate lactentem educa*; cum enim anniculus ad Paſchalem victimam agnus eligendus eſſet, ita quoque ſe unius anni presbyterum fuiſſe indicat, unde: *Si officium commune conſideras, frater es, ſi maturitatem ingenii tui, & ſenſuum, pater es, & ſi forte ſis ævo junior*; cum autem ratione officii Auguſtino ſe fratrem eſſe teſtetur, neceſſe eſt, presbyterum tunc fuiſſe, qua dignitate & Auguſtinus fulgebat. Hanc vero epiſtolam labenti, vel ſequenti anno a Paulino ſcriptam fuiſſe inde ſcimus, quod Paulinus ſcripſit antequam ſciret Auguſtinum Epiſcopum ordinatum fuiſſe, quod anno ſequenti contigit; cumque nondum accepto reſponſo, alteras Paulinus epi- *Paul. epiſt. 6. inter Aug. 30.* ſtolas ſcripſiſſet ad Auguſtinum, hic reſcribens inter cetera ſe a Valerio Coepiſcopum Hipponenſem ordinatum fuiſſe narrat. Sed his de Paulini ætate, & ordinationis tempore prænotatis, *Auguſt. epiſt. 31. inter Paul. poſt 6.* de ejuſdem patria, genere, & vitæ inſtituto uſque ad hæc tempora pauca præmittimus.

8. Paulinus itaque, qui & Pontius dictus eſt circa an- *De Paulin. genere & ſtudiis.* num 353. ex nobiliſſima Romanorum familia Anicia in Galliis natus eſt, quare ſe Melaniæ Senioris clariſſimæ fœminæ, *Paul. epiſt. 29.* & conſularis affinem fuiſſe teſtatur; in Galliis autem eum lucem vidiſſe, ac *ſplendore generis in partibus Aquitaniæ nulli ſecundum fuiſſe*, ait Ambroſius; ac Ebromagi, oppido non lon- *Ambr. epiſt. 58.* ge a Burdigalenſi civitate, idem Paulinus ad Severum ſcribens *Paul. epiſt. 11. n. 14.* indicat his verbis: *Ebromagum enim non hortuli cauſa, ut ſcribis, reliquimus; ſed Paradiſi hortum prætulimus & patrimo-*

*nio*

Digitized by Google

Jesu Chr. *nio*, *& patriæ &c.* Hæc de receſſu ſuo e Galliis Paulinus, ut
an. 394. Nolanum hortum incoleret; ut vero adoleſcere cœpit Auſonio Gallo inter Rhetores celeberrimo, humanis ac poeticis diſciplinis addiſcendis traditur, ut Auſonii carmina ad Paulinum,
*Paul. carm. 10. verſ. 93.* & Paulini ad Auſonium epiſtolæ, & verſus teſtantur; inter cetera Paulinus ad Auſonium inquit:

*Tibi diſciplinas, dignitatem, litteras,*
*Linguæ, togæ, famæ decus,*
*Provectus, altus inſtitutus debeo,*
*Patrone, Præceptor, Pater*

*verſ. 148.* atque omnia ſua, bonos mores, & ſtudia ex Auſonii fontibus orta ultro fatetur. Quantum autem humanioribus litteris profecerit Paulinus, & oratoria, & poeticis diſciplinis excelluerit, hoc unico Hieronymi teſtimonio conſtat, dum ad Pau-
*Hier. epiſt. 58.* linum hæc ſcripſit: *Librum tuum, quem pro Theodoſio Principe prudenter ornateque compoſitum tranſmiſiſti, libenter legi, & præcipue mihi in eo ſubdiviſio placuit, cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis teipſum ſuperas, ſed & ipſum genus eloquii preſſum eſt, & nitidum, & cum Tulliana luceat puritate, crebrum eſt in ſententiis*; & poſt aliqua: *Felix Theodoſius, qui a tali Chriſti oratore defenditur; illuſtraſti purpuras ejus*; cumque enumeraſſet ſcriptorum Eccleſiæ latinæ prima lumina, Tertullianum ſcilicet, Lactantium, Victorinum, Arnobium, Hilarium, cunctos ſuperaſſe demonſtrat, quem etiam alii ſcriptores ob linguæ latinæ elegantiam multis laudibus celebra-
*Eraſm. not. in Hier. Auſoni epiſt. 19.* runt; ac Ciceronem chriſtianum Eraſmus appellat, Auſonius vero oratorem, poetamque ſui temporis celeberrimum fuiſſe teſtatur.

Paulin. uxorem ducit. 9. Grandior factus Paulinus, uxorem nobilitate ſanguinis, opibus, ac virtutum laude præſtantem duxit Theraſiam, quæ ma-
*Ambroſ. epiſt. 58.* ritum in Mundi contemptu imitata eſt: *Matrona quoque virtuti ac ſtudio ejus proxime accedit, neque a propoſito viri diſcrepat, denique tranſcriptis in aliorum jura ſuis prædiis virum ſequitur, & exiguo illic conjugis contenta ceſpite ſolabitur ſe*
*Auguſt. epiſt. 27.* *religionis, & charitatis officiis*. Ejuſdem propoſitum Auguſtinus quoque commendavit; *videtur a legentibus ibi conjux non dux ad mollitiem viro ſuo, ſed ad fortitudinem redux in oſſa viri ſui, quam in tuam unitatem redactam, & redditam, & ſpiritua-*

Digitized by Google

ritualibus tibi tanto firmioribus, quanto caſtioribus nexibus copulatam, quam ob caſtitatis propoſitum *Sanctam Paulini ſororem* Hieronymus vocavit. Generis autem nobilitate, opibus, & ingenio cum fulgeret Paulinus, in foro primum cauſas agitavit, ampliſſimas deinde dignitates, urbanam ſcilicet Præfecturam, & conſularia ornamenta obtinuiſſe ex Auſonio ſcimus, antequam idem Auſonius eam dignitatem obtineret, ideſt ante annum 379. nam ad Paulinum ait: JESU CHR. AN. 394. epiſt. 58.

*Quamquam & faſtorum titulo prior, & tua Romæ*
*Præceſſit noſtrum ſella curulis ebur* Auſon. ep. 20.

& alibi:

*Paulinum, Auſoniumque viros, quos ſacra Quirini*
*Purpura & auratus trabeæ velavit amictus.* epiſt. 23. 25.

Cumque Paulini nomen in faſtis conſularibus non legatur, etſi plurimos, & optimos habeamus, hinc, invito etiam Baronio, inter ſuffectos conſules Paulinum eruditi recenſent. Bar. 394. 81. Baſnag. 394.

10. Mundo hactenus clarior, quam Deo, vixerat Paulinus; unde de ſe ipſo, cum jam Deo totum ſe dicaſſet: *Veteranus*, inquit, *in numero peccatorum, ſapientiam Mundi miſer hucuſque miratus ſum, & per inutiles litteras, reprobatamque prudentiam Deo ſtultus & mutus fui*. Quo ætatis ſuæ, & Chriſti anno baptiſmum Paulinus ſuſceperit, non conſtat; id tantum ſcimus, eum a S. Delphino Burdigalenſi Epiſcopo baptizatum, & a Lampio Barcinonenſi Epiſcopo presbyterum ordinatum fuiſſe, ut ad Alypium ſcribens teſtatur. Cum ſanctiſſimis etiam viris amicitia conjunctum fuiſſe, ejuſdem epiſtolæ teſtantur, ex quibus Martinus Turonenſis Epiſcopus numeratur, de quo narrat Sulpicius, quod cum oculi morbo laboraret, *ei Martinus penniculo contigit, priſtinamque ei ſanitatem ſublato omni dolore reſtituit*. Ut vero ſacris undis lotus fuit, quod circa annum 387. contigiſſe videtur, cum annum ageret ætatis ſuæ trigeſimumquintum, verborum lenociniis nuncium miſit, ut totum ſe Scripturæ oraculis, & pietatis operibus dicaret, quod Auſonio, quem doctorem in Rhetorica habuerat, quaſi oleum & operam perdidiſſet, adeo diſplicuit, ut ad humaniores litteras revocare curaverit. At Paulinus: 10. Murat. vita Pauli cap. 5. Paulinus in Hiſpaniam tranſiens bo. nis ſe abdicat. Paul. epiſt. 4. Paul. epiſt. 3. Paul. epiſt. 18. 19. 20. 35. 37. Sulp. Martini vita cap. 21.



Digitized by Google

*Quid abdicatas in meam curam Pater redire Muſas præcipis?*
*Negant Camenis, nec patent Apollini dicata Deo pectora.*

Experientia autem ipſa edoctus, in ridenti etiam fortuna fluxas eſſe hominum felicitates, Mundi gloriam, opeſque abjecit, eaſque pauperibus alendis deſtinavit; cujus propoſitum ipſa ejus conjux Theraſia ſecuta eſt, quæ, teſte Ambroſio, *tranſcriptis in aliorum jura ſuis prædiis virum ſequitur exiguo conjugis contenta ceſpite*, eorumque exemplum imitandum S. Martinus proponebat: *Illum ſequendum, illum clamabat imitandum, beatumque eſſe præſens ſeculum tantæ fidei virtutiſque documento.* At quanto divitiarum jactura a Sanctis viris laudata eſt, eo magis a ſapientibus hujus ſæculi, qui carnalia ſapiunt, improbata fuit; quorum clamores his verbis Ambroſius narrat: *Hæc ubi audierint proceres viri quæ loquentur? Ex illa familia, illa proſapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migraſſe a Senatu, interceptam familiæ nobilis ſucceſſionem ferri hoc non poſſe; & cum ipſi capita & ſupercilia ſua radant ſi quando Iſidis ſuſcipiunt ſacra, ſi forte chriſtianus vir adtentior, ſacroſanctæ religioni veſtem mutaverit, indignum facinus appellant.* Hæc Ambroſius ad Sabinum de abdicatione ſæculi a Paulino facta, & de querelis ab Ethnicis, aut modicæ fidei chriſtianis, editis.

Ambroſ. epiſt. 58.
Sulp. Sever. Martin. vita cap. 26.
Ambr. ep. 58.

Paulinus presbyter ordinatur.
Paul. Carm. 32.
Amb. epiſt. 58.
Paul. epiſt. 3.
Paul. epiſt. 1. n. 10.

11. In Hiſpaniam tranſierat tunc Paulinus, ut ibidem ignotus hominibus, ſoli Deo viveret, cumque Compluti eſſet ex clariſſima uxore filium ſuſcepit, quem diu apud ſe retinere non potuit; nam octavo die mortuus eſt, atque ibidem apud SS. Martyres ſepeliendum curavit; unde Ambroſius: *Soboles eis nulla, & ideo meritorum poſteritas deſiderata.* Barcinone cum eſſet, a plebe per vim detentus, ac Lampio Epiſcopo oblatus, presbyter ordinatus eſt, ut ad Alypium ſcribens narrat: *Nam ego etſi a Delphino Burdigale baptizatus, a Lampio apud Barcinonem in Hiſpania per vim inflammatæ ſubito plebis ſacratus ſum.* Ad Severum vero de ordinatione ſua: *Nos modo in Barcinonenſi, ut ante ſcripſeram, civitate conſiſtimus. Poſt illas litteras, quibus reſcripſiſti, die Domini, quo naſci carne dignatus eſt, repentina, ut ipſe teſtis eſt, vi multitudinis, ſed credo ipſius ordinatione correptus, & presbyteratu initiatus ſum fateor, invitus non faſtidio loci, nam teſtor ipſum, quia & ab æditui nomine, & officio optavi ſacram incipere ſervitu-*

Digitized by Google

*vitutem, ſed ut alio deſtinatus, alibi ut ſcis mente compoſitus & fixus, novum inſperatumque placitum divinæ voluntatis expavi. Data igitur cervice in jugum Chriſti, video majora meritis, & ſenſibus opera tractare*. Barcinonenſi tamen eccleſiæ addici non eſt paſſus, nam poſt aliqua ſubdit: *Scito tamen voti communis eodem Domino præſtante, ſalvam eſſe rationem, nam ea conditione in Barcinonenſi eccleſia conſecrari adductus ſum, ut ipſi eccleſiæ non alligarer, in Sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum eccleſiæ dedicatus*. Hæc de ordinatione ſua Paulinus ad Severum Sulpicium, quem enixe rogat, ut ad ſe quantocius veniat: *Veni igitur*, inquit, *ſi placet ante Paſcha, quod nobis optatius eſt, ut ſacras ferias me ſacerdote concelebres*. Quanta autem animi humilitate ſe Sacerdotio imparem, & indignum judicaret, eadem epiſtola ad Severum, & altera ad Amandum Burdigalenſem presbyterum poſtea Epiſcopum, & Delphini ſucceſſorem, teſtatur. JESU CHR. AN. 394. *Epiſt. 1. & 2.*

12. Barcinonenſi Eccleſiæ inſcribi Paulinus noluerat, eo quod apud S. Felicem Martyrem Nolæ vitam agere, ejuſque eccleſiæ inſervire deſtinaverat. Quare Nolam profecturus, in primo Natalitio carmine in honorem S. Felicis edito, patronum ſuum ſic interpellat: Paulinus in Italiam redit atque Nolam ſecedit. *Paul. vita cap. 16.*

*Paul. car. 22.*

*Jam deſideriis immenſo tempore feſſis*
*Conſule; jam vel ſero memor miſerere tuorum,*
*Perque orbem, magni, qui nos procul æquore*
*Diſparat obtritis, quæ nos inimica retardant, ponti*
*Pande vias faciles, etſi properantibus ad te*
*Invidus hoſtis obeſt, objecta repagula pelle,*
*Fortior adverſis, & amicos provehe curſus,*
*Seu placeat telluris iter, comes aggere tutor*
*Eſto tuis, ſeu magna tui fiducia longo*
*Suadet ire mari, da currere mollibus undis,*
*Et famulis famulos e puppe ſuggere ventos:*
*Ut Campana ſimul Chriſto duce littora vecti,*
*Ad tua mox alacri rapiamur culmina curſu;*
*Inque tuo placidus nobis ſit limine portus.*

Hæc ipſe, qui & in natali ſecundo, cum jam Nolæ eſſet anno ſequenti, hæc jamdiu in votis habuiſſe teſtatur, his verſibus:

Jesu Chr. an. 394.

*Tua tempore longo*
*Luſtra cucurrerunt, ex quo ſolemnibus iſtis*
*Coram vota tibi, coram mea corda dicavi*

Hiſpania itaque relicta, cum in Italiam tranſiiſſet, Ambroſium adiit, ſive Mediolanum, ſive Florentiam, quo Eugenii tyrannidem devitans migraverat: ab Ambroſio autem ita exceptus eſt Paulinus, ut in ſuum clerum adſcribere curaverit; quin ſi Baronio fides, *in clerum Mediolanenſis Eccleſiæ cooptatus eſt, eo fortaſſe animo, quod poſt ſe cuperet eum habere in cathedra ſucceſſorem*. At ut adnotat clariſſimus editor operum S. Paulini, Florentiæ potius Ambroſium Paulinus convenit, nec refragante Paulino in Mediolanenſem clerum cooptatus eſt, etſi id Ambroſius in votis habuiſſet, ut idem ad Alypium ſcribens teſtatur: *Ambroſii ſemper & dilectione ad fidem innutritus ſum, & nunc in Sacerdotii ordine confoveor, denique ſuo me clero adſcribi voluit, ut etſi diverſis locis degeam, ipſius presbyter cenſear*, hæc Paulinus ad Alypium, cum adhuc cum Ambroſio eſſet; unde eumdem & patrem, & fidei ſuæ nutritorem, & in Sacerdotio adjutorem appellat.

*Bar. 394. 88.* *Murat. Paul. vita cap. 17.*

**Paulinus Romæ invidiam patitur.**

13. Cum Romæ eſſet, magno cum honore exceptus eſt prout conſularem virum decebat, divitiis ac honoribus olim fulgentem, ac urbis ipſius alias Præfectum, eoque tempore pauperem ex divite, & ex Præfecto presbyterum. Inter eos, qui Paulinum Romæ impenſe coluerunt, Domnionem quemdam presbyterum, quem *ſanctiſſimum parentem* appellat, recenſet; at cum plurimi Paulini virtutes admirarentur, alii ægre ferentes, quod ejus cauſa urbs tota commoveretur, in ſanctum virum aliquateuus commoti ſunt, ac Siricium Pontificem eidem infenſum reddiderunt, de quibus in epiſtola ad Sulpicium Severum his verbis conqueritur: *Denique a nobis Romæ zelotiporum incendia clericorum longinquitas urbis extinguit, & omnis illic iniquitas obſtruit os ſuum, quia per abſentiam inde noſtram, quaſi ſubducto fomite, ſegnis odiorum flamma frigeſcit; nec in vocem audet erumpere, licet dentibus frendat invidia, dum iniquitatis ſuæ conſcia ipſa ſe erubeſcit, nec in promptu habet, ubi faces lividæ mentis accendat. Pax tamen Dei, quæ præcellit omnem ſenſum, abundat in cordibus plurimorum, & opus Dei Salvatoris in nobis Campania tota veneratur. Romæ quoque pauci, etiam in clero ipſo, a quo ſolo videmur ſcandalizari, mor-*

*Paul. epiſt. 3.* *Paul. epiſt. 5. 13.*

*morſu invidiæ commoventur. Sed Domino gratias, qui & mihi miſerrimo peccatori ſuo dedit dicere: Quoniam oderunt me gratis*: cum quibus ſe ex corde pacem charitatemque ſervaſſe addit; deinde: *Sed plenius indicare poterunt conſervi noſtri, pueri tui, quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ ſuperba diſcretio: qui paucis ipſis diebus, quibus interfuere, viderunt quam aſſidua nos, quam ſedula ſollicitorum fratrum monachorum, antiſtitum, clericorum, atque etiam ipſorum ſæpe ſæcularium officia, toto illo noſtro ægritudinis tempore celebraverint: quod apud unanimitatem tuam, de Dominica tamen gratia, cujus hoc quoque opus & munus eſt, gloriari licet. Nemo propemodum tota Campania Epiſcoporum non viſitare nos fas exiſtimavit ſibi: & quos infirmitas vel neceſſitas aliqua devinxerat, miſſis vice ſua clericis & litteris affuerunt. Afri quoque ad nos Epiſcopi reviſendos prima æſtate miſerunt*. Hæc Paulinus de ſumma veneratione, qua tum apud Romanos, cum ab Epiſcopis Campaniæ, quinimmo & ab Afris, habitus eſt. Si quid tamen peccavit aut Siricius in eo quod Paulinum debito honore non eſt proſequutus, aut ſi quædam duriuſcula fortaſſe Paulino adversus Siricium, in ſua ad Severum epiſtola, exciderunt, hæc tanti non ſunt, ut eorum ſanctitati obeſſe poſſint. Siricio fortaſſe cauſa non deerat, cur in Paulinum auſterior eſſet; quam in ejuſdem præpoſteram ordinationem viri docti quærunt, ſed novum quoque aut inauditum non eſt, ſanctos etiam viros diverſa aliquando inter ſe ſentire, atque invicem diffidere, quin tamen charitatis vincula diſſolvantur. Sed de hac Paulini cum Siricio ſimultate præceteris conſule Apologiam, quam pro Siricii ſanctitate edidit Benedictus XIV. Pontifex, virtutibus, & doctrina vere Maximus, dum ejuſdem nomen Martyrologio Romano inferendum juſſit. Quod autem vitæ genus, una cum Theraſia uxore, tunc vero temporis ſorore, cum continenter viverent, inierit Nolæ Paulinus, longum eſſet exponere; de ejuſdem vitæ auſteritate in victu, & potu, in veſtibus, & habitationis paupertate, in orationum aſſiduitate, in morbis, injuriis, aliiſque afflictationibus tolerantia, & humilitate, aliiſque virtutibus, de quibus indicia, certiſſimaque argumenta in ejuſdem epiſtolis, & verſibus extant, in ejuſdem vita a Muratorio adornata videri poteſt, ad quam lectorem remittimus, dum cetera ejus geſta ſuis temporibus dicenda reſervamus.

JESU CHR. AN. 394.

*Pſalm.* 34.

*Bened.* 14. *ep. præfixa ad martyr. Rom. n.* 78. *& ſeq.*

14. Di-

AN. 394.

Severus Sulpicius Deo ſe dicat, ejus vitæ initia.

*Paul. epiſt. ad Sever. 5. n. 5.*

14. Eodem fere tempore, quo Paulinus Nolam ſecedens, totus ſe Deo, piiſque operibus dicavit, in Galliis Sulpicius Severus Mundo renuncians, arctam evangelicæ perfectionis viam ingreſſus eſt. Ejus vitæ converſionem multis laudibus celebrat Paulinus in epiſtola ad eum labenti anno data, qua inter cetera hæc narrat: *Tu frater dilectiſſime ad Dominum miraculo majore converſus es, quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii levior, ſubſtantia facultatum non egentior, & in ipſo adhuc mundi theatro, ideſt, fori celebritate diverſans, & facundi nominis palmam tenens, repentino impetu diſcuſſiſti ſervile peccati jugum, & letalia carnis & ſanguinis vincla rupiſti. Neque te divitiæ de matrimonio familiæ Conſularis aggeſtæ, neque poſt conjugium peccandi licentia, & cœlebs juventus ab anguſto ſalutis introitu, & arduo itinere virtutis in mollem illam & ſpatioſam multorum viam revocare potuerunt &c.* In Galliis circa annum 360. natus erat Sulpicius, quem Aquitanicæ provinciæ fuiſſe Gennadius tradit. Civem Romanum in Galliis natum fuiſſe ſcribit Baronius, cujus cauſa pœnas dedit Pagio, immeritas tamen, cum & in Galliis nati, cives Romani eſſent, ut innumeris conſtat exemplis. Quo loco natus ſit, nobis non conſtat, ait Hieronymus de Prato, noviſſimus Sulpicii editor, ac communem opinionem, quæ eum Aginni in Nitiobrigibus natum aſſerit, ut falſam omnino rejicit. Nobili quidem genere ortum, ac divitiis litteriſque in ſeculo illuſtrem fuiſſe, Paulinus loco ſupracitato, ac Gennadius teſtantur: uxorem vero, eamque divitem, & ex conſulari ſanguine habuiſſe, idem Paulinus indicat: *Neque te divitiæ de matrimonio familiæ conſularis aggeſtæ &c.* tot itaque titulis cum ſeculo illuſtris eſſet, mortua uxore, uno aut altero ab hinc anno, Mundo renuncians, perfectionis vitæ iter arripuit, non ſine multorum admiratione, & murmuratione; monaſticam vitam una cum aliis fratribus duxiſſe, non obſcure idem Paulinus innuit, nam de ſpiritualibus ejuſdem vitæ ſociis habet: *Fateor autem accenſum eſſe deſiderium meum flagrantius in præſentiam tuam, quod multos fratres ſpirituales tecum nobis adfore ſpopondiſti. Eritne quæſo tempus illud, & illuceſcet ille aliquando dies, quo fraternitatem tuam, comite electorum Dei cohorte venientem, in gremio jam communis patroni Dominædii mei Felicis excipiam, tum ego te non in monaſterio tantum vicini Martyris inquilinum,*

*Prato vita Sulp. Sever. tom. 1. ep. Sul. p. 16.*
*Genn. de ſer. eccleſ. in Sulp.*
*Bar. 394. n. 96.*
*Pag. ad ann. 431. n. 50.*

*Paul. epiſt. 5. ad Sev. n. 15.*

*ſed etiam in horto ejuſdem colonum locabo, &c.* Et iterum, ut ad ſe veniret exhortans: *videre*, inquit, *ergo jam mihi videor hortulum meum adventantibus tecum Domini mercenariis, & cooperantibus cultiorem.* Jure itaque Voſſium, Fabricium, Jacobum Baſnagium, Caſimirum Odinum erraſſe adnotat Hieronymus Prato, eoquod e monachorum catalogo Sulpicium expungendum cenſuerint, quem Presbyterum etiam fuiſſe, Gennadii auctoritate nonnulli tradiderunt. At Tillemontius & Hieronymus de Prato, id in incerto relinquunt, cum nullibi certo conſtet eum Presbyterali honore inſignitum fuiſſe. Id certius eum Martini Turonenſis Epiſcopi diſcipulum fuiſſe, cujus etiam vitam ſcripſit; hinc a Paulino Nolano *Martini Beatiſſimi frequentator* dicitur, cum ſingulis annis ſemel, aut etiam ſæpe Martinum Sulpicius adiret, & alia epiſtola: *Juſte fateor Martinum frequentari*, ſed de Sulpicii geſtis hactenus.

Jesu Chr. an. 394. — *Tom. 1. p. 61.* — *Tillem. vita Sever. n. 2. Prato. tom. 1. p. 65.* — *Paul. epiſt. 11. n. 13. epiſt. 17.*

15. Mirabilis quoque fuit Tetradii viri clariſſimi ad Deum converſio, qui cum Ethnicus adhuc eſſet tanto faſtu ferebatur, ut Auſonius poeta, & conſul, his verſibus ad eum ſcribens, adnotaverit:

Tetradii clariſſimi viri mira converſio. — *Auſon. ep. 15.*

*Cur me ſupino pectoris faſtu tumens*
*Spernis, poetam conſulem,*
*Tuique amantem, teque mirantem?*

Eum autem ab idolorum cultu, & e terrenis rebus ad Chriſti fidem, cœleſtiumque rerum amorem, opera S. Martini Turonenſis, perductum fuiſſe Sulpicius Severus his verbis narrat: *Eodem tempore Tetradii cujuſdam Proconſularis viri ſervus dæmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus ut ei manum imponeret, deduci eum ad ſe jubet. Sed nequam ſpiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit; ita in advenientes rabidis dentibus ſæviebat.* Tetradius vero ad genua beati viri advolutus, orabat, ut ad domum, in qua dœmoniacus habebatur, ipſe deſcenderet. At Martinus ſe in domum Idolorum cultoris ire renuebat. Quare Tetradius promiſit, ſi de puero dœmon fuiſſet exactus, Chriſtianum fore. Ita Martinus, impoſita manu puero, immundum ab eo ſpiritum ejecit. Quo viſo, Tetradius in Dominum Jeſum credidit, ſtatimque catechumenus factus, nec multo poſt baptizatus eſt, ſemperque Martinum ſalutis ſuæ auctorem miro coluit affectu.

*Sulp. Sev. vita S. Martin. cap. 17. pag. 23. edit. Veron.*

16. Eadem ætate præter S. Martinum alios Epiſcopos ſan-

Galliarum Epiſcopi ſanctitate clari.

JESU CHR. AN. 394. ſanctitate, & doctrina claruiſſe, hujus temporis hiſtoria teſtatur; ac S. Paulinus confirmat in epiſtolæ fragmento, quod Gregorius Turonenſis hiſtoriæ ſuæ inſeruit: *Si enim hos videas dignos Domino Sacerdotes, vel Exuperium Toloſæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdigalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dinamium Engoliſmæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegaſium Petragoriis, utcumque ſe habent ſæculi mala, videbis profecto, digniſſimos totius fidei religioniſque cuſtodes*. Hæc Paulinus de ſanctiſſimis Epiſcopis, quorum conſuetudine, vel amicitia uſus fuerat, cum in Galliis moraretur.

*Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 2. 13. Nunc epiſt. 48. pag. 276. edit. Murat.*

Synodus Conſtantinopoli celebratur, qua de cauſa. *Hard. concil. tom. 1. p. 955.*

17. Ad res Orientales & ad CPolitanam ſynodum hoc anno habitam oratio nunc labitur, cujus in inſcriptione hæc habentur: *Conſſ. Arcadii Aug. III. & Honorii Aug. II. tertio Kal. Octob. in baptiſterio ſanctiſſimæ CPolis eccleſiæ &c.* Ei ſynodo præter Nectarium CP. Epiſcopum, qui ſynodo etiam præfuit, adfuerunt totius Orientis primarum Sedium Epiſcopi, ideſt, Theophilus Alexandriæ, Flavianus Antiochiæ, Palladius Cæſareæ Cappadociæ, Gelaſius Cæſareæ Palæſtinæ, Gregorius Niſſæ, Amphilochius Iconii, Paulus Heracleæ, cum aliis duodecim Epiſcopis, quorum nomina, & ſedes leguntur, unaque cum *aliis diverſis Epiſcopis & omni genere Sacerdotali*; eaque ſynodo, inter cetera de contentione inter Agapium, & Gebadium vertente pro Boſtrenſi Epiſcopatu actum eſt, atque Bagadii Epiſcopi Boſtrenſis depoſitionem a duobus tantum Epiſcopis factam illegitimam fuiſſe ſynodus ſtatuit, communique Patrum conſenſu ſtatutum eſt, inpoſterum, *ne dum a duobus, ſed nec a tribus, eum, qui reus examinatur, deponi poſſe; ſed majoris ſynodi, & provinciæ Epiſcoporum ſententia, ſicut Apoſtolici definiere canones*. Hanc tamen de Boſtrenſi Epiſcopatu controverſiam tantæ ſynodi celebrandæ præcipuam cauſam non fuiſſe, merito adnotarunt eruditi, cum ea de Boſtrenſi Epiſcopatu diſſenſio in provinciali ſynodo, vel ab ipſo Metropolitano componi facile potuiſſet. Itaque ad dedicationem eccleſiæ, quam in ſuburbio CPolis Ruffinus Præfectus prœtorio ædificaverat, in honorem Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ad Regiam urbem Epiſcopos conveniſſe veroſimile eſt, cujus Templi a Ruffino extructi his verbis meminit Sozomenus, dum de Synodo ad Quercum a Theophilo adverſus Joannem Griſoſthomum habita verba facit: *Id ſuburbanum eſt Chalcedonis, quod*

*pag. 958.*

*Bar. an. 394. 26. Baſnag. ibid. n. 8. Dupin. biblioth. ſecul. 4. tom. 2. pag. 812. in*

*Sozom. lib. 8. 17.*

*quod nunc ex Ruffini VC. nomine appellatur*, *in quo palatium eſt*, *& eccleſia maxima*, *quam Ruffinus ipſe in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxerat*, *& Apoſtolorum ob id cognominarat*, *Monachos quoque juxta eam collocavit*, *qui clericorum in ea munus explerent*. Sed de Templo ibidem a Ruffino extructo, deque ejuſdem ſolemni dedicatione, ad quam & ſanctiſſimi monachi vocati ſunt, certiores ſumus ex Palladio, qui de Evagrio ſolitario, & Ammonio agens narrat: *Hic idem*, *ideſt Evagrius Ponticus ſanctiſſimus*, *cum a Ruffino temporis illius Præfecto prætorii*, *multiplici ſupplicatione rogatus fuiſſet*, *& cum magno illo Ammonio CP. ob neceſſarias eremi actiones adveniente*, *ipſe quoque dignaretur venire*, *vehementer id precantibus ſanctis diverſarum provinciarum Epiſcopis*, *aliiſque quamplurimis eremitis*, *qui ad dedicationem baſilicæ*, *quam ipſe condiderat*, *convenerant*, *memoratum Ruffinum propriis manibus ſuſcepit ſacro fonte mundatum*; his ſubdit Ammonium ibidem paulo poſt obiiſſe, atque in Ruffiniana baſilica conditum fuiſſe. Felix Ruffinus, ſi ædificato templo, expiatiſque peccatis ob baptiſma hoc anno ſuſceptum, in adepta gratia perſeveraſſet! At paulo poſt in deteriora lapſus, Imperium affectans, eaque de cauſa in Romanum ſolum barbaros undique adſciſcens, ſibi, & Imperio graviſſima intulit damna, de quibus inferius acturi ſumus. Ex hac CPolitana ſynodo ſcimus, Gregorium Niſſenum, Baſilii M. germanum uſque ad hunc annum vitam prorogaſſe; quoaduſque poſtea vixerit, nullibi conſtat; Baſilio non ſolum ſanguine, ſed & doctrina, & pietate germanus, de quo ſupra data occaſione plura diximus. De ejuſdem operibus adnotare ſufficiet, Hieronymum in libro de viris illuſtribus, quem anno 392. Theodoſii Imp. 14. edidit, Gregorii Niſſeni adhuc ſuperſtitis mentionem facere his verbis: *Gregorius Niſſenus Epiſcopus*, *frater Baſilii Cæſarienſis ante paucos annos mihi*, *& Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit libros*, *qui & multa alia ſcripſiſſe & ſcribere dicitur*. Hæc de Gregorio Niſſeno, dum adhuc viveret, Hieronymus, quem poſt mortem inter celeberrimos ſcriptores recenſere non dubitavit epiſtola ad Magnum: *Extant*, inquit, *libri* ..... *Cappadocum Baſilii*, *Gregorii*, *& Amphilochii*, *qui omnes in tantum Philoſophorum doctrinis*, *atque ſententiis ſuos referciunt libros*, *ut neſcias quid in illis primum admirari debeas*, *eruditionem ſeculi*, *an ſcientiam Scripturarum*. Hieronymi elogium Nazianzeno æque, ac Niſſe-

Jesu Chr. an. 394.

*Pallad. hiſt. Lauſ. cap. 4.*

Gregorii Niſſeni, & Amphilochii elogium.

*Hier. de vir. Ill. cap. ult. Hier. ut ſup. cap. 128.*

*Hier. epiſt. 70.*

JESU CHR. AN. 394.

no aptari commodè poteſt, nam ambo Cappadoces fuerunt ſumma eruditione prædi i. Ad Niſſeni opuſcula addendæ ſunt epiſtolæ quatuordecim, quas ex Vaticana bibliotheca publicæ lucis fecit vir multæ eruditionis Zachagnius ejuſdem bibliothecæ olim Præfectus, quarum decimatertia ad Nicomedienſem eccleſiam data eſt, paſtore eo tempore orbatam, ac factionibus ſciſſam, in qua de qualitate ordinandorum ad Epiſcopatum, copioſe, ſcite que diſſerit, ut ibidem videre eſt. Niſſeni memoria die nona Martii recolitur.

*Zachagnius tom. 1. monument. eccleſiæ Græcæ, & Latinæ. Martyr. Rom. 9. Martii.*

De Amphilochio ejuſque operibus.

18. Gregorii Niſſeni eruditionem & pietatem æquabat Amphilochius, alter CPolitanæ ſynodi Epiſcopus, ut ex inſcriptione conſtat; quo anno poſthac obierit, in incerto eſt, cum nulla ejuſdem amplius memoria occurrat, ejuſque nomen die 23. Novemb. Martyrologio Rom. legitur. De Amphilochii geſtis, præter ea, quæ ſupra adnotavimus, multa adhuc addenda eſſent, ſi ejus vitæ auctorem invenire licuiſſet, Metaphraſte digniorem. Portentoſa præ ceteris ſunt, quæ de Amphilochii ordinatione ab Angelis facta narrat, quæ etſi Combefiſio placuerint, eruditorum tamen judicio inter fabulas recenſentur. Pietate quidem ac eruditione eum claruiſſe ſcimus; atque Gregorio Nazianzeno, & Baſilio cariſſimum fuiſſe, frequentes Baſilii epiſtolæ ad eum datæ teſtantur, inter ceteras celebriores ſunt eæ, quæ canonicæ dictæ ſunt, a Baſilio ad Amphilochium datæ. De Amphilochii operibus, etſi multa eum ſcripſiſſe ſciamus, ac fragmenta plurima ab antiquis recitentur, vix tamen unicum Amphilochii opus genuinum ſupereſt, ideſt epiſtola quædam ſynodica a Cotelerio edita, in qua de Trinitatis myſterio, & de Divinitate Filii, & Spiritus Sancti contra Arianos, & Macedonianos, diſſerit. Quo loco, vel anno ea ſynodus, cujus cauſa ſynodicam Amphilochius ſcripſit, in obſcuro eſt; vivente tamen Baſilio celebratam fuiſſe ſcimus, cum ſibi, & ſynodo in votis fuiſſe tradat ejuſdem præſentia frui: *Optabamus quidem*, inquiunt Patres ejuſdem ſynodi, *maxime admirandum omnique cum reverentia nominandum Baſilium præſentem excipere in noſtra ſynodo, & ſocium, ſeu potius Principem habere in dandis ad vos litteris &c.* Multa quidem Amphilochii opuſcula collegit, atque ejuſdem nomini inſcripſit Combefiſius; at ne vel unum in ea collectione Amphilochii genuinum opus extare adnotant eruditi, nequidem excepta Baſilii vita, quam etſi Amphilochio poſt Combefiſium Pagius vindicet, fabulatorem tamen

*Combeſ. not. in Amphiloch. vita p. 279. Dupin ſæcul. 4. tom. 2. p. 849. Caveus hiſt. litt. tom. 1. pag. 251. Udinus de ſcript. eccleſ. tom. 2. p. 220. Dupin ut ſup. p. 845. Cotel. monumenta eccleſ. Græc. tom. 2. p. 99.*

*Combeſi act. noviſſ tom. Lupin. Caveus, Udin. ut ſup.*

men ſapere ſeveriores critici contendunt. Amphilochium inter ſcriptores celeberrimos numerat Hieronymus in epiſtola ad Magnum, cujus elogium ſupra hoc anno exſcripſimus.

JESU CHR. AN. 394. Hier. epiſt. 70.

19. Inter Epiſcopos Orientales, qui hoc tempore ſanctitate & miraculis claruerunt, ſpeciali memoria dignus eſt Donatus Eurorae in Epiro Epiſcopus, *quem cum alia multa perpetraſſe admirabilia ejus loci incolae teſtantur*, ait Sozomenus, *tum illud praecipue, quod in draconis interfectione fecit, qui circa locum, quem Chamaegephras nominant, juxta aggerem publicum latitans, oves, capras, boves, equos item, atque homines rapiebat. Neque enim ille gladium, aut haſtam, aut aliud quodlibet telum geſtans, hanc belluam adortus eſt, ſed cum draco adventum illius ſenſiſſet, & tanquam impetum in eum facturus, caput extuliſſet, ipſe ex adverſo ejus ſtans, ſignum crucis in aere digito depinxit, & in illum expuit. At draco ſputo in os accepto, ſtatim concidit, & mortuus jacens, nihilo minor ſerpentibus illis apparuit, qui apud Indos eſſe memorantur*: Incolae vero boum jugis proximum in campum cum extraxiſſent, concremarunt, ne putreſcens aerem inficeret, & peſtem ipſis afferret. Ad ejus ſepulchrum fons eſt uberrimus, quem Deus ejus loci incolis conceſſiſſe narrat. Cujus rei teſtes ſunt, qui Iſoriam incolunt, vicum urbis Eurorae, ait Sozomenus, qui de Theotimo totius Schytiae Epiſcopo ſubdit: *Iiſdem temporibus Tomitanorum, & totius Schytiae eccleſiam Theotimus gubernabat, vir in monaſtica philoſophia nutritus, quem Hunni barbari, qui circa Iſtrum habitabant, virtutis cauſa admirantes, Deum Romanorum vocabant, divina quippe miracula in illo fuerant experti*, quorum aliqua ibidem narrat. Sed de his hactenus.

De S. Donato Epiſcopo. Sozom. lib. 7. 26.

De Theotimo Tomitarum Epiſcopo.

20. Hoc eodem labente anno, Epiſcopi Donatiſtae numero tercenti decem, Bagai in Numidia ſynodum celebrarunt, ut ſchiſma in ordinatione Epiſcopi Carthaginenſis componerent. Duo etenim in Parmeniani locum ordinati fuerant, Primianus ſcilicet & Maximianus, eaque de cauſa diro ſchiſmate inter ſe diviſi erant, dum alii Primiano, alii vero Maximiano ſociarentur; duabus ſynodis, Carthaginenſi ſcilicet, & Carbarſuſſitana centum & ultra Epiſcoporum ex Maximianiſtarum factione Primianus una cum ſuis damnatus, atque in ejus locum Maximianus ordinatus fuerat: labenti anno verſa vice a tercentis decem Epiſcopis in Bagajenſi ſynodo congregatis, Maximianus

Concilium Bagajenſe Donatiſtarum.

Jesu Chr. an. 394.

Auguſt. contr. Creſc. lib. 3. cap. 56. tom. 9. p. 446.

nus cum ordinatoribus ſuis, ſuæque communionis ſociis damnatus eſt, ſynodi epocham Auguſtinus docet his verbis: *In memorato concilio Bagajenſi dies, & conſul adſcriptus eſt, non ſolum quo decretum concilii conditum eſt, verum etiam ipſius dilationis: Ergo a die octavo Kal: maj: poſt Coſſ. Theodoſii Aug. III. conſulatu Auguſtorum Arcadii III. & Honorii iterum, qui dies eſt concilii Bagajenſis, uſque ad octavum Kal. Januariarum, qui dies eſt dilationis, octo menſes ferme numerantur.*

Aug. de hær. cap. 69.

Hæc Auguſtinus, qui de Epiſcoporum Donatiſtarum numero in Carthaginenſi ſynodo anni elapſi, & Bagajenſi labentis anni, hæc alibi adnotat: *Multa præterea inter ipſos facta ſunt ſchiſmata, & ab iis ſe diverſis cœtibus alii, atque alii ſepararunt, quorum ſeparationem cetera grandis multitudo non ſenſit, ſed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejuſdem erroris centum ferme Epiſcopis ordinatus, & a reliquis tercentis decem, cum eis duodecim, qui ordinationi ejus*, ideſt Maximiani, *etiam præſentia corporali interfuerunt*. Quatuorcentum itaque & ultra erant Epiſcopi Donatiſtæ, quorum centum pro Maximiano certabant, tercentum decem pro Primiano contra Maximianum, & Maximianiſtas.

Bagajenſis ſynodi geſta, & ſententia contra Maximianiſtas.

21. Cum itaque præſente Primiano congregati eſſent Donatiſtæ, librata Primiani cauſa, qui ſynodo aderat, & Maximiani abſentis, aliorumque cum eo communicantium, contra Maximianum, ejuſque communionis ſocios, damnationis ſententiam tulerunt, quam his verbis recitat Auguſtinus: *Cum omnipotentis Dei, & Chriſti ejus voluntate in eccleſia Bagajenſi concilium gereremus Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus, Januarius, Saturninus, Felix, Pegaſius, Fortunius, Criſpinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus, & ceteri numero tercentidecem, placuit Spiritui Sancto, qui in nobis eſt, pacem firmare perpetuam, & ſchiſmata reſecare ſacrilega*; deinde cum multa in eos, ideſt Maximianiſtas, horrenda vomuiſſent, in Maximianum ipſum hæc addiderunt: *Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, Eccleſiæ matris inimicum, Dathe, Chore, & Abiron miniſtrum, de pacis gremio ſententiæ fulmen excuſſit*. Hæc aliaque in Maximianum, quæ alibi ſæpe, ac præcipue contra Creſconium Donatiſtam exprobrat Auguſtinus; nec minora ſunt ſcelera, quibus Maximiani ſocios onerarunt, ejuſque ordinatores, quos diris devovent his verbis: *Nec ſolum hunc ſceleris ſui mors juſta condemnat, trahit etiam ad conſor-*

Aug. contra Creſc. lib. 3. 53. pag. 465.

Auguſt. contra Creſc. lib. 4. n. 32.

*Augusſt. ut ſup. lib. 3. p. 463.*

*ſortium criminis plurimos catena ſacrilegi*, in quos cum plurima exaggeraſſent ſcelera, tandem in Maximiani ordinatores hanc ſententiam dixerunt; famoſi ſcilicet criminis reos Victorinum Carcabianenſem, Martianum Sullectinum, Bejanum Bajanenſem, Salvium Auſaphenſem, Theodorum Uſulenſem, Donatum Sabratenſem, Migenem Elephantarienſem, Prætextatum Aſſuritanum, Salvium Membreſitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Muſtitanum, & Martialem Pertuſenſem, qui funeſto opere perditionis vas ſordidum, collecta fæculentia glutinarunt, etiam clericos ejuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis, qui illicito inceſtui lenocinium præbuerunt, *Dei præſidentis arbitrio univerſalis concilii ore veridico damnatos eſſe agnoſcite*; hactenus Bagajenſis ſynodi ſententia in Maximianum, ejuſque ordinatores: cum iis tamen, qui Maximiani ordinationi non interfuerunt, placuit mitius agere, ita ut ſi intra octo menſes ad Primiani communionem tranſiiſſent, reciperentur; hinc ſubdunt: *Eos autem, quos ſacrilegi ſurculi non polluere plantaria, ideſt qui a Maximiani capite proprias manus verecundo pudore fidei retraxerunt, ad matrem eccleſiam redire permiſimus.* Pœnitentiæ autem tempus his terminis coarctant: *Ac ne anguſtum redeuntibus tempus, ſpem ſalutis arctatæ diei preſſura ſubducat, agnoſcentibus quibuslibet, manentibus præcedentibus ſtatutis, univerſis uſque in diem octavarum Kal. Jan. proxime futurarum agnitionis pandimus januam, ut integri honoris ac fidei regreſſi habeant fundamenta, quam ſi quiſpiam ingredi nequiverit pigra ſegnitia, ſciat ſibi ad omnes veniales aditus ſua voluntate viam eſſe ſubductam, manebit enim circa eos dicta ſententia, & poſt præſtitutum diem reduntibus fixa pœnitentia.* Hactenus Bagajenſis ſynodi ſententia, qua Maximianum, ejuſque ordinatores a communione omnino rejiciebat; data ceteris venia, ſi infra octo menſes ad Primiani partes tranſiiſſent.

Donatiſtæ Imperatoris auxilium adverſus Maximianiſtas poſtulant. *Auguſt. contra Creſc. lib. 3. 56.*

22. Nec minore ſollicitudine curarunt, ut Maximianiſtæ ab eccleſiis ejicerentur; in quam rem recitat Auguſtinus libellum ſequenti anno a Primianiſtis adverſus Felicianum, Muſtitanum Epiſcopum, & Prætextatum Aſſuritanum, qui fuerant ex Maximiani ordinatoribus, ad Herodem Proconſulem Africæ, ut a ſuis ſedibus pellerentur: *Invenitur autem poſtulatio*, inquit Auguſtinus, *apud Herodem Proconſulem adverſus Felicianum, & Prætextatum de Muſtitanis, & Aſſuritanis locis excludendos, cujus pauca ſubjunxi. Poſt conſulatum Arcadii III. & Honorii*

Jesu Chr. an. 394.

*rii iterum Aug: ſexto nonas Martias Carthagine in ſecretario Prætorii, Tatianus dixit, Tatianus advocatus erat patris Primiani: Nolo quærere quanto poſt hujus poſtulationis diem, qua Felicianus, & Prætextatus Tatiani advocati verbis tam graviter accuſantur*; eo libello Peregrinus presbyter, & ſeniores eccleſiæ Muſtitanæ adverſus Maximianum, ejuſque ſocios Felicianum, & Prætextatum, multa, gravioraque ſcelera objiciunt quorum cauſa Bagajenſi ſynodo depoſiti fuerant, unde petunt, ut iiſdem ſedibus ſuis ejicerentur; quorum conflictus *quantum ex geſtis Proconſularibus & municipalibus indagare potuimus, uſque ad Theodorum Proconſulem, hoc eſt uſque ad anni alterius, diem undecimum Kal. Januarii, quo die clerici & ſeniores agentes ſub Rogato Epiſcopo, qui in locum damnati Prætextati Aſſuritani fuerat ſubrogatus, allegaverunt memorati Proconſulis juſſionem*, ut tanquam ſacrilegi de locis ſuis pellerentur. Hæc diligentiſſime ab Auguſtino adnotata ſunt, atque in Donatiſtis exprobrata, cum Felicianum, & Prætextatum in ſuam ipſorum communionem recepiſſent, quos antea Bagajenſi ſynodo ab omni veniæ ſpe excluſiſſent, utpote ex Maximiani ordinatoribus, qua etiam ſynodo ceteris ejuſdem communionis participibus, nonniſi octo menſes ad reſipiſcendum dederant; primos vero longo poſt tempore receperunt, inter cetera in eamdem rem ad Gaudentium Donatiſtam hæc habet:

*Auguſt. cont. Creſc. lib. 4. cap. 41. Idem l. 3. 56.*

*Auguſt. contra Gaudent. lib. 1. 39.*

Auguſtinus ex Donatiſtarum geſtis eoſdem confutat.

23. *Inveni, ſi potes, quid dicas, quomodo ſuſceperitis honorem Feliciani Muſtitani, & Prætextati Aſſuritani, quos cum Maximiano & aliis decem ſine ulla dilatione damnaſtis: contra quos, ut eos de baſilicis pelleretis, apud duos, vel niſi fallor, apud tres Proconſules litigaſtis: & cum jam in locum Prætextati alium ordinaſſetis; poſt tam longum tempus eos in ſuis honoribus recepiſtis. Qua juſtitia, qua ratione, qua fronte in honore ſuo ſuſcipitur Maximianiſta damnatus, & damnatur Orbis terrarum Catholicus inauditus? Qua juſtitia, qua ratione, qua fronte cavendum eſſe dicitis, ne vos inquinet Cæcilianus olim defunctus, vobiſque prorſus incognitus, veſtris majoribus judicantibus ſemel damnatus, veſtris majoribus accuſantibus ter abſolutus: & cavendum non putaſtis, ne vos inquinaret Felicianus univerſalis Concilii veſtri ore damnatus, & ab univerſis vobis, præcipue tui prædeceſſoris favore ſuſceptus? Qua juſtitia, qua ratione, qua fronte reſcinditis baptiſmum, quem dant Eccleſiæ, quas laboribus ſuis Apoſtoli plantaverunt; cum ſuſceperitis*

Jeſu Chr. an. 394.

*ritis baptiſmum, quem Felicianus & Prætextatus per tam longum tempus, quando contra eos damnatos litigabatis, foris a veſtra Eccleſia tradiderunt*. Hæc Auguſtinus, ex ipſorum geſtis Donatiſtarum temeritatem coarguens, dum eadem geſſiſſent, quæ falſo catholicæ Eccleſiæ objiciebant. Unde alibi eoſdem confutans: *Vide*, inquit, *quomodo illis Deus reddidit, quod de Cæciliano dixerunt. Mira ſimilitudo! voluit Deus poſt annos revolvere illis in faciem quod geſtum eſt, ut omnino unde diſſimulent, & qua effugiant, non inveniant*; Catholicæ etenim eccleſiæ inprimis objiciebant, quod Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, quem falſo ipſi traditionis crimine accuſabant, communione polluta eſſet, unde ſchiſmatis juſtam cauſam prætexebant, ipſi vero Prætextatum, & Felicianum, diris ſæpe devotos, ac horrendis criminibus, ut ajebant, conſtrictos, longo poſt tempore in ſuam communionem admiſerunt; catholicæ Eccleſiæ baptiſmum nullum eſſe, utpote a traditoribus datum effutiebant, ipſi vero a Prætextato, & Feliciano baptizatos una cum ipſis non iterato baptiſmate ſuſceperunt; tandem catholicis perſecutionem objiciebant, eo quod ad reprimendam Donatiſtarum temeritatem, Principum, aut Magiſtratuum opem aliquando imploraverint, ipſi vero adverſus Felicianum & Prætextatum, *ut eos de baſilicis pelleretis apud duos, niſi fallor apud tres Proconſules litigaſtis*, ajebat Auguſtinus, qui etiam ex eo Donatiſtas arguit, quod adverſus Maximianiſtas legibus agerent, quod a Catholicis fieri adverſum ſe poſſe negabant. *Contrivit Dominus*, inquit, *dentes eorum in ore ipſorum. Quæro & ego: Quid vobis ad Proconſules, quos miſerunt Imperatores? Quid vobis ad leges, quas contra vos dederunt Imperatores? Imperatores communionis noſtræ leges adverſus omnes hæreticos dederunt: eos utique appellant hæreticos, qui non ſunt communionis eorum, inter quos utique & vos eſtis. Si veræ ſunt leges, valeant & in vos hæreticos: ſi falſæ ſunt leges, quare valent contra veſtros hæreticos? Fratres, paulum advertite, & intelligite quod diximus*; eademque ibidem & alibi pluribus proſequitur, quæ longum eſſet excribere.

*Aug. in pſal. 36.*

*Auguſt. ut ſup. contra Gaudent.*

*Auguſt. pſal. 57.*

24. Nec ſolum legibus, & implorata Proconſulum, vel Magiſtratuum ope adverſus Maximianiſtas egerunt Donatiſtæ, ſed furentium more canina rabie in adverſarios ſævierunt, unde de eadem cauſa ad Donatiſtas ſcribens idem Auguſtinus: *Quid amplius dicamus, modo præconem miſiſtis, qui clamaret Siniti* Quiſ-

Donatiſtæ adverſus Maximianiſtas crudeliter ſæviunt.

*Auguſt. epiſt. 105. n. 4.*

JESU CHR. AN. 394. *Quiſquis Maximino communicaverit, incendetur domus ejus*. Sed omnem feritatem ſuperant, quæ ab Abitinenſibus factum eſt, adverſus Salvium Maximianæ partis Epiſcopum, quem cum Proconſulari ſententia ſua ſede dejiciendum obtinuiſſent, atque idem ſuorum opera fretus repugnaſſet, ut pluribus narrat Auguſtinus; *victus aliquando comprehenſus eſt, non jam ducendus ad judicium, ubi in partes fuerat prolata ſententia, ſed pompa miſerabili triumphandus; capto enim ſeni*, ideſt Salvio Epiſcopo, *mortuos canes alligaverunt in collo, & ſic cum illo, quantum libuit, ſaltaverunt. Hoc ſi vellem exagerare dicendo, nonne fortaſſe hanc pœnam, vix tormentis Regum Etruſcorum, quibus mortua vivis corpora jungebant, comparandam eſſe monſtrarem?* Eadem Auguſtinus alibi adnotat, qui & addit a ſuis Salvio ut martyri fabricatam fuiſſe novam eccleſiam.

*Auguſt. lib. 4. 48. contra Creſcon.*

*Auguſt. contra Parmen. lib. 3. 6.*

Donatiſtæ ſua ipſorum opera convicti.

25. Cumque in hac cauſa eadem omnino egerint Primianiſtæ adverſus Maximianiſtas, quæ iidem ac ceteri Donatiſtæ catholicis falſo objiciebant, ut Donatiſtarum factio ſuis ipſorum telis confoderetur, ſynodo Carthaginenſi a Catholicis habita ſub conſulatu Vincentii, & Fravitæ ideſt anno 401. ſtatutum eſt, ut ad perpetuam rei memoriam publicis actis exciperentur, quæcumque inter Primianiſtas, & Maximianiſtas apud Proconſules geſta fuerant. *Placuit, ut ex concilio noſtro litteræ dentur ad judices Africanos, a quibus hoc peti congruum videtur, ut in hoc adjuvent communem matrem Eccleſiam catholicam, in quo epiſcopalis auctoritas communiri in civitatibus poteſt, ideſt ut judiciaria poteſtate, ac diligentia ex fide chriſtiana, quid geſtum ſit in omnibus locis, in quibus Maximianiſtæ baſilicas obtinuerunt, qui ab eis ſchiſma fecerunt, inquirant, & geſtis publicis propter firmam notitiam omnibus neceſſariam faciant inhærere &c.* Hæc Patres, quod quam prudenter egerint, exitus ipſe demonſtravit; nam ex eo Primianiſtarum, & Maximianiſtarum ſchiſmate, rebuſque inter ſe ea de cauſa geſtis, Donatiſtarum factio imminuta eſt, & tractu temporis paulatim decidit, ut infra videbimus.

*Cod. eccleſ. Afric. cap. 67. Hard. tom. 1. p. 902.*

JE-

JESU CHRISTI AN. 395. SIRICII PAPÆ 12.
ARCADII IMP. 13. HONORII IMP. 3.
COSS. OLYBRIO, ET PROBINO
OLYMP. 293. AN. 3. URBIS AN. 1148.

I. Conſules hujus anni Olybrius, & Probinus fratres germani fuerunt, ex Anicio Petronio Probo geniti, conſule anni 371. ac Proconſule & Præfecto prætorio Illyrici, Italiæ, Africæ, Galliarum, matrem habuere Probam, ut in ſuo de conſulatu Probini, & Olybrii panegyrico Claudianus teſtatur: De conſulibus hujus anni Olybrio, & Probino.

*Sic Probæ præcipuo natos exornat amictu*; *Claud. carm. de conſu. Olyb. & Prob.*

Id præceteris notatu dignum eſt, privatæ fortunæ fratres, ampliſſimum magiſtratum ſimul iniiſſe, de quibus iterum Claudianus:

*O bene ſignatum fraterno nomine tempus,*
*O conſanguineis felix auctoribus annus!*
*Jam nova germanis veſtigia torqueat annus*
*Conſulibus, lætique petant exordia menſes.*

poſt aliqua:

*Omni nobilior luſtro tibi gloria ſoli*
*Contigit, exactum nunquam memorata per ævum*
*Germanos habuiſſe duces &c.*

Horum conſulum occaſione de Aniciorum, Proborumque genealogia multa habet Baronius, quorum plurima ex Reineſio, qui Aniciorum genealogiam illuſtravit, corrigenda ſunt, inquit Pagius, qui plurima in eamdem rem adnotat ibidem videnda, non enim inextrigabilem hunc genealogiarum labyrinthum ingredi, atque lectores in obſcuriſſima quæſtione diu detinere lubet; id tantum cum Reineſio, Pagio, aliſque adnotabimus, Falconiam Probam, in poetica arte celeberrimam, cujus carmina in bibliotheca Patrum extant, diſtinguendam eſſe a Proba Falconia, ſeu Faltonia matre conſulum hujus anni, nam hæc Probi conſulis uxor fuit; Proba vero Falconia poeta Adelphii *Bar. an. 395. n. 2. ad 21. Rein. epiſt. 69. Pag. ad ann. 395. n. 2.* *Bibliot. PP. tom. 5.*

Jesu Chr. an 395. uxor erat, ut Iſidorus adnotat in libro de viris illuſtribus. Hieronymus etiam cum multis laudibus Probam conſulum matrem exornet, in ſua ad Demetriadem epiſtola, eam tamen in arte poetica excelluiſſe ſilet, Probæ autem elogium his verbis texit Hieronymus: *Quis hoc credat! Proba illa omnium dignitatum, & cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomen illuſtrius, cujus ſanctitas, & in univerſos effuſa bonitas, etiam apud Barbaros venerabilis fuit, quam trium liberorum Probini, Olybrii, & Probi non fatigarunt ordinarii conſulatus, & cum incenſis direptiſque domibus in urbe captivitas ſit, nunc habitas venundare poſſeſſiones dicitur, & facere ſibi amicos de iniquo mammona.* Demetrias porro, cui de ſervanda virginitate epiſtolam ſcripſit Hieronymus, filia Julianæ fuit, hæc vero Probæ neptis. Ad Probam Auguſtinus epiſtolam de videndo Deo inſcripſit. Joannes vero Chriſoſtomus eamdem laudat, quod ſuæ communionis homines Romæ profugos domo exceperit, lauteque tractaverit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Probi, & Probæ Epitaphia ſepulchralia.

2. Ad Probi, & Probæ Faltoniæ, Olybrii, & Probini hujuſce anni conſulum parentum gloriam id pertinet, quod ex Anicia familia inter Romanas nobiliſſima geniti, chriſtianam Religionem a parentibus acceptam pietate ſua illuſtrarunt. Quorum nomine prope Baſilicam Vaticanam olim Templum extructum erat, quod Probi dicebatur, marmoreis hinc inde columnis ſuffultum, illudque cariſſimo viro Proba Falconia uxor ædificaverat, quod uſque ad Nicolai quinti Pontificis Max. tempora integrum perſeveravit; quo tempore cum novæ Baſilicæ Vaticanæ fundamenta longe lateque jacerentur, Probi quoque Templum dirutum fuit, cujus vix memoriam, ideſt inſcriptionem a Maffeo Vegio integram, non ſine divino nutu, cum caſu in eam ædem intraſſet, antequam dirueretur, illæſam ſervare licuit. Inſcriptio autem, eodem Vegio teſtante, hæc habebat:

*Eximii reſolutus in ætheris æquore tantum*
*Curris iter, cunctis integer a vitiis,*
*Nomine quod reſonas, imitatus moribus atque*
*Jordane ablutus, nunc Probus es melior.*
*Dives opum, clarusque genere, præclarus honore,*
*Faſcibus illuſtris conſule dignus avo.*
*Bis gemina populos præfectus ſede gubernans.*
*Has mundi phaleras, hos procerum titulos*

*Tran-*

*Tranſcendis ſenior donatus munere Chriſti:*
*Hic eſt verus honos, hæc tua nobilitas.*
*Lætabare prius menſæ regalis honore,*
*Principis alloquio, regis amicitia.*
*Nunc propior Chriſto ſanctorum ſede potitus*
*Luce nova frueris, lux tibi Chriſtus adeſt.*
*O nunquam deflende tuis, cum vita maneret,*
*Corporis atque artus ſpiritus hos regeret.*
*Primus eras, nullique patrum virtute ſecundus,*
*Nunc renovatus habes perpetuam requiem.*
*Candida fuſcatus nulla velamina culpa,*
*Et novus inſuetis incola liminibus;*
*Hic ſolare tuos, quamquam ſolatia mæſta*
*Gratia non quærat, gratia Chriſte tua,*
*Vivit in æterna paradiſi ſede beatus,*
*Qui nova decedens muneris ætherii*
*Veſtimenta tulit, quo demigrante, Belial*
*Ceſſit & ingemuit hic nihil eſſe ſuum.*
*Hunc tu Chriſte choris jungas cœleſtibus oro;*
*Te canat & placidum jugiter aſpiciat;*
*Quique tuo ſemper dilectus pendet ab ore*
*Auxilium ſoboli conjugioque ferat.*

JESU CHR. AN. 395.

Hactenus Epitaphium Probi: quod ſequitur Probi, & Probæ uxori conjugi cummune eſt, atque ex adverſa parte poſitum, cum Probæ oſſa ad mariti ſepulchrum recondita ſunt, poſt annos aliquot a viri obitu; unde habet:

Epitaphium Probi, & Probæ.

*Sublimes quiſquis tumuli miraberis arces,*
*Dices quantus erat, qui Probus hic ſitus eſt.*
*Conſulibus proavis, ſoceriſque, & conſule major,*
*Quod geminas conſul reddidit ipſe domos*
*Præfectus quartum toto dilectus in orbe,*
*Sed fama emenſus quidquid in orbe hominum eſt,*
*Æternos heu Roma tibi qui poſceret annos,*
*Cur non vota tui vixit aduſque boni?*
*Nam cum ſexdenos menſis ſuſpenderet annos,*
*Dilectæ gremio raptus in æthra Probæ.*
*Sed periiſſe Probum meritis pro talibus, abſit;*
*Credas Roma tuum: vivit, & aſtra tenet,*

Z 2 Vir-

Jesu Chr. An. 395.

*Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,*
*Parcus opum nulli, largus & ipſe fuit.*
*Solamen tanti conjux tamen optima luctus,*
*Hoc Proba ſortita eſt, jungat ut urna pares.*
*Felix! heu nimium felix, dum vita maneret!*
*Digno juncta viro, digna ſimul tumulo.*

Hactenus Probi Probæque Epitaphium, quorum Sarcophagum multa elegantia elaboratum, & ſacris imaginibus hinc inde exornatum, diruto Templo integrum inventum eſt; in quo eorum oſſa recondita fuerunt, atque in baſilica Vaticana adhuc ſervatur, in ſacello Crucifixi, ſeu divinæ pietatis ad dextram locatum. Inſigne marmor longum eſt palmos decem cum dimidio, latum fere quatuor, altum vero tres. Inſigne porro antiquitatis monumentum una cum inſcriptione poſt Battellum exhibet, illuſtratque Philippus Dionyſius in eruditiſsimo commentario de Vaticanis cryptis noncupato tabula 82. & 83., & pag. 209. de quibus plura non addimus, ne actum agamus.

Theodoſii Imp. obitus.

Socrat. lib. 5. 26. Philoſt. lib.

3. His de Olybrio, & Probino conſulibus hujus anni prænotatis, nunc geſta narramus, ac a luctu exordimur; nam labente anno Theodoſius, Imperatorum vere Maximus, morbo laborans, ſeu hydropiſi, ut narrat Philoſtorgius, Mediolani vivere deſiit. Poſt victoriam de Eugenio habitam, ejuſque interitum, Occidentale Imperium Honorio filio ſuo, ex Oriente ad ſe vocato deſtinaverat. Eoque præſente, dum ſpectacula ederentur, in luctum ſcena mutata eſt: *Imperator Theodoſius*, ait Socrates, *ex ærumnis, quas eo bello ſuſtinuerat, malum corporis valetudinem contraxit, Honorium igitur filium ſuum celeriter accerſit CPoli, cum in animo haberet ſtatum Occidentalis Imperii ordinare. Qui cum Mediolanum veniſſet, Imperator paululum ex morbo recreatus, victoriæ cauſa ludos equeſtres in Circo edidit, & ante prandium quidem commode habebat, dum circenſibus ſpectaculis intereſſet. Poſt prandium vero ſubito ingraveſcente morbo ipſe ad ſpectaculum venire non potuit, ſed filio ſpectaculis præſidere juſſo, ſequenti nocte animam exhalavit, Olybrio, & Probino Coſſ. ante diem XVI. Kal. Januarii. Vixit porro Imperator Theodoſius annos ſexaginta, Imperavit autem annos ſexdecim*, ait Socrates, eademque Sozomenus, & alii, tamen decennio juniorem Theodoſium fuiſſe tradit Aurelius victor in

Sozom. lib. 7. cap. ult. & lib. 8. 1.

in epitome ; & anno quinquageſimo obiiſſe ſcribit , quod veroſimilius eſt . Una cum Honorio Arcadium in Occidentem ante obitum advocaſſe Theodoſium nonnulli ex veteribus , & recentioribus tradiderunt , quod & Ambroſius innuere videtur , dum ait , poſt victoriam de Eugenio habitam : *Abſtinuit ſe a conſortio Sacramentorum , donec Domini circa ſe gratia Filiorum exprimeretur adventu* ; ſed cum ceteri auctores Ruffinus , Socrates , Sozomenus, aliique, uno excepto auctore Chronici Alex. , tradant , ſolum Honorium accerſitum fuiſſe , Ambroſii verba commode explicari poſſunt de Honorio , & Placidia ſorore , ut ait Pagius , vel potius non inuſitata loquendi figura uſum fuiſſe Ambroſium , ut pro ſingulari , & loco adventu filii , dixerit filiorum ; ceterum in oratione funebri Theodoſii idem Ambroſius , ſolum Honorium patri funeribus adfuiſſe, teſtatur. *Hunc quadrageſimum celebramus aſſiſtente ſacris Honorio* , & ad Honorium orationem convertens : *Fles* , inquit , *Imperator Auguſte* , *quod non uſque CPolim reverendas reliquias ipſe proſequeris* . Claudianus etiam ſolum Honorium Theodoſio morienti adfuiſſe teſtatur, dum de tertio Honorii conſulatu hæc habet :

*Chron. Alex.* *Bar. 395. 23.* *Ambroſ. orat. in fun. Theod.* *Ruff. lib. 2. cap. ult.* *Pag. n. 5.*

*Diſtulit Auguſtus cupito ſe reddere Cælo ;*
*Dum tibi pacatum preſenti traderet orbem ,*

Si Arcadius quoque Theodoſio morienti adſuiſſet , ejuſdem etiam Pacatus meminiſſet , ut a Pagio , aliiſque adnotatum eſt . Filios Imperii hæredes Theodoſius reliquit Arcadium & Honorium,quorum primo Orientale Imperium , alteri Occidentale reliquit . *Corpus Theodoſii allatum CPolim iiſdem Coſſ.* ideſt Olybrio , & Probino , *die ſexto idus Novemb. Arcadius ejus filius ſolemni exequiarum honore proſequtus eſt* , ait Socrates ; decimum octavum annum agebat Arcadius , undecimum vero Honorius , unde Ambroſius: *Domino favente Arcadius Imperator jam validus inventus eſt* , *Honorius continuo pulſat adoleſcentiæ fores* , *provectior ætate quam Joſias* . Hos vero etſi vivens Auguſtos , & Imperii ſocios dixiſſet Theodoſius , moriens tamen Stiliconi commendavit ; hinc idem Ambroſius de Theodoſii teſtamento , & filiorum ſucceſſione : *De Filiis enim nihil habebat novum quod conderet* , *quibus totum dederat* , dum Auguſtos declaraverat , *niſi ut eos præſenti commendaret Parenti* , ideſt Stiliconi , quem parentis loco haberi voluit ab Arcadio , & Honorio ,

Theodoſii corpus CPolim transfertur , Arcadius , & Honorius eidem ſuccedunt. *Socr. lib.6.1.* *Ambroſ. orat. in fun. Theod.* *Ambr. ut ſup.*

Jesu Chr. an. 395.

norio, cui ipſe Theodoſius Serenam fratris filiam matrimonio junxerat, ut Claudianus, & Zozimus narrant.

Theodoſii elogium ex ejus geſtis.

4. Quantæ pietatis in Deum, continentiæ, prudentiæ, bellicæ fortitudinis fuerit Theodoſius, ejuſdem geſta ſatis teſtantur, unde Magnus dictus eſt. Magnus quidem ob res præclare geſtas, ſed Maximus dixerim ob pœnitentiam pro delictis ſuſceptam, dum poſt patratam Theſſalonicenſium cædem, continuo doluit, & venientibus poſt ſe Principibus humilitatis, & obedientiæ exempla reliquit. Unde Ambroſius beatis eum ſedibus

Ambr. ut ſup.

inſerere non dubitavit, *Fruitur nunc Auguſtæ memoriæ Theodoſius luce perpetua*; ita tamen cæleſtibus inſeruit, ut pro ejuſdem anima preces fundere non dubitaret: *Ejus ergo Principis, & proxime conclamavimus obitum, & nunc quadrageſimum*

Ambr. ut ſup. n. 3.

*celebramus, adſiſtente ſacris altaribus Honorio Principe, quia ſicut S. Joſeph patri ſuo Jacob, quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodoſio patri juſta perſolvit, & quia alii tertium diem, alii trigeſimum, alii ſeptimum, & quadrageſimum obſervare conſueverunt &c.* ait Ambroſius de ſolemnioribus diebus, quibus defunctorum memoria celebrabatur, & pro eorumdem anima incruenta hoſtia offerebatur.

Theodoſii pietas in deſtruenda idololatria commendatur. Ambr. ibid.

5. Cur autem ad exemplum Joſeph quadrageſima die funebri pompa patris memoriam celebrandam curaverit Honorius, vel potius Ambroſius, hanc rationem affert, quod Theodoſius Jacob fidem imitatus, ſimulachra gentium deſtruxerit, tyrannos ſupplantaverit: *Celebrat iſte*, ideſt Joſeph; *quadrageſimam patris Jacob ſupplantatoris illius, & nos celebramus Theodoſii quadrageſimam, qui imitatus Jacob, ſupplantavit perfidiam tyrannorum*, ideſt Maximi, & Eugenii; *qui abſcondit ſimulachra gentium, omnes enim cultus idolorum fides ejus abſcondit, omnes eorum cærimonias obliteravit, &c.* Hæc de Theodoſii pietate, & cura, ut catholica Fides augeretur, & Idololatria funditus everteretur; ſacrificia etenim omnia ſuſtulit, omnemque

Cod. Theod. l. 12. de paganis.

idolorum cultum, ſed & ſtipendia veſtalibus ſacrificulis, Sacerdotibus, aliiſque impietatis miniſtris e fiſco dari prohibuit, ut ſupra vidimus; cumque adhuc quamplurimi in meridiana Evangelii luce cœcutirent, atque obſtinato animo Idolis adhuc inſervirent, quid extremo vitæ ſuæ tempore, ideſt anno elapſo,

Zoz. lib. 4. in fine.

pro illorum ſalute egerit, Zozimus his verbis narrat: Quum devicto Eugenio, *Senatum convenire juſſiſſet, qui patriis avitiſque ſacrorum ritibus inhærebat, nec adhuc permoveri poterat,*

*ut*

*ut iis aſſentiretur, qui ad contemptum Deorum deflexerant*; *orationem habuit, qua eos hortabatur, ut miſſum facerent errorem* (*ſic enim appellabat*) *quem hactenus ſecuti fuiſſent, & Chriſtianorum fidem amplecterentur, quæ liberationem ab omni delicto & impietate polliceatur*. Cumque piis Theodoſii exhortationibus non acquieſcerent Senatorum plurimi, ac veterem ſuperſtitionem tuerentur; tunc Theodoſius Fiſcum ſuum victimarum, ſacrorumque ſumptu gravari ſe nolle addidit, ac impenſas in id poſthac præſtari prohibuit.

JESU CHR. AN. 395.

Alia Theodoſii geſta laudantur.

6. Nec fidei tantum zelo, ut diximus, morti jam fere proximus, exitum ſuum Deo commendavit, ſed etiam pietate in ſubditos, quibus ex teſtamento tributa quædam relaxavit, *& veniam iis, qui in ſe peccaverant*, ait Ambroſius, ideſt iis, qui adverſus ſe pugnaverant; *doluit quam dederat periiſſe indulgentiam, & veniam denegatam* cum multi in prœlio periiſſent; *ſed non negabunt filii, quod pater donavit*, iis ſcilicet, qui ſuperſtites fuerant, *etiamſi quidam interturbare conatus ſit, neque etenim poterunt negare, quod in commune donavit, qui ſolvunt, quod ſingulis dedit*. De tributorum vero relaxatione ſubdit: *Præcepit dari legem indulgentiæ, quam ſcriptam reliquit; quid dignius, quam ut teſtamentum Imperatoris lex ſit?* & ſupra de eadem indulgentia: *Nihil glorioſius*, inquit, *exitus tanti Principis habuit, qui cum omnia jam filiis tradidiſſet, Regnum poteſtatem, nomen Auguſti, nihil inquam ſpecioſius ei in morte ſervatum eſt, quam quod in aliquantis promiſſa annonarum exigendarum relaxatio, dum moratur, facta eſt ſucceſſio ejus indulgentiarum hæreditas*. Hæc aliaque in eamdem rem ibidem Ambroſius; longiores etenim juſto eſſemus, ſi vel ea tantum, quæ Ambroſius in ea oratione de Theodoſii virtutibus narrat, hoc loco exſcriberemus; quem innumeri alii ſcriptores chriſtiani, & ethnici ſuis ſcriptis celebrarunt.

*Ambr. orat. in fun. Theod. n.*

Paulinus Theodoſii elogium ſcribit.

7. Inter chriſtianos Theodoſii œncomiaſtes Pontius Paulinus Romanæ nobilitatis decus, ac chriſtianæ pietatis dignum exemplum, primus merito recenſetur, qui rogatus a pio quodam viro, quo familiariter utebatur, Theodoſii geſta celebravit; de quibus idem Paulinus ad Severum ſcribens hæc habet: *Alius libellus ex his eſt, quos ad Benedictum ideſt chriſtianum virum amicum meum Endelechium ſcripſiſſe videor, non tamen edidiſſe convincar; is enim mihi auctor hujus in Domino opuſculi fuit, ſicut ipſius epiſtola, quæ libello meo pro themate præſcribitur*

*Paul. epiſt. 28.*

*bitur, docet: fateor autem idcirco me libenter hunc ab amico laborem recepiſſe, ut in Theodoſio non tam Imperatorem quam Chriſti ſervum, non dominandi ſuperbia, ſed humilitate famulandi potentem, nec regno, ſed fide Principem prædicarem.* De Paulini libello in Theodoſii laudem edito, hæc ad Paulinum ſcribit Hieronymus: *Quid enim in nobis, aut quantum eſt, ut doctæ vocis mereamur præconium, ut illo ore, quo religioſiſſimus Princeps defenditur, humiles nos, modicique laudemur?* & de præſtantia ejuſdem opuſculi paulo poſt: *Librum tuum*, ſubdit, *quem pro Theodoſio Principe prudenter, ornateque compoſitum tranſmiſiſti, libenter legi, & præcipue mihi ſubdiviſio in eo placuit, cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis teipſum ſuperas*; & iterum *Felix*, inquit, *Theodoſius, qui a tali Chriſti oratore defenditur; Illuſtraſti purpuras ejus, & utilitatem legum futuris ſeculis conſecraſti.* Meminit & ejuſdem libelli Gennadius, qui eam Paulini ſcriptionem Panegyricum ſuper victoriam tyrannorum appellat, cum eo libello fide magis, & oratione, quam armis tyrannos debellaſſe Theodoſium demonſtraret.

*Hier. ep. 58. n. 8.*

*Genn. de ſcr. eccleſ. in Paulino.*

Calumniæ Zoſimi in Theodoſium diluuntur.

*Zoſ. lib. 4. in fine.*

8. Cum Ambroſio, & Paulino, in celebrandis Theodoſii laudibus certant ceteri ſcriptores, uno Zoſimo excepto, qui cum ſciret ejuſdem præclara geſta omnino obſcurari non poſſe, utpote toto Orbe notiſſima, ut facilius apud imperitos fidem extorqueret, ejuſdem in bello geſta ita laudavit, ut pacis tempore ineptiſſimum Principem, & vitiis deditum diceret. At hæc in chriſtianæ religionis odium, cujus Theodoſius toto Imperii ſui tempore vindex, & propagator fuit, ſcripſiſſe Zoſimum adverſus laudatiſſimum Principem, ſcriptores Theodoſio viciniores probant. Hinc Aurelius victor ob virtutem bellicam, animique dotes Theodoſium Trajano æqualem fuiſſe ait, ita tamen ut Trajani vitiis caruerit, eademque Symmachus, & Themiſtius inter Ethnicos oratores ea ætate clariſſimi, quorum teſtimonia longum eſſet exſcribere.

*Aurel. vict. in Theod. Symmach. lib. 2. epiſt. 13. Themiſt. orat. 19.*

Arcadius, & Honor. Theodoſio ſuccedunt.

*Socr. lib. 6. 1.*

*Zozim. lib. 4. in fine.*

9. Mortuo Theodoſio Imperatore, *Filii ejus Romani Imperii adminiſtrationem ſuſcepere*, ait Socrates; *& Arcadius quidem Orientis, Honorius vero Occidentis principatum obtinuit.* Honorii Imperio tota Italia cum Illyrico Occidentali, Galliæ, Hiſpaniæ, Britannia, & Africa ſubjiciebantur. Cum Imperio tamen egregias animi ſui dotes filiis ſuis Theodoſius nequaquam reliquit, hinc Imperii res in deterius omnimode mutatæ ſunt; Arcadius etenim ſtatura puſillus, colore niger, cruribus infirmus

firmus

firmus, infirmior adhuc animo erat; *Mentis ſocordia*, ait Philoſtorgius, *tum ex ejus ſermonibus*, *tum ex conniventibus oculis apparebat*, *qui dormientium more clauſi ægre admodum aperiebantur*. Honorius vero utpote adhuc puer, ac decennium vix egreſſus, rebus agendis impar erat; hinc utriſque tutores Theodoſius dederat, Arcadio quidem Ruffinum, Honorio vero Stiliconem, quem etiam ob ſanguinis cognationem Ruffino prætulerat; eique amborum tutelam & curam commendaverat, ut his verbis teſtatur Ambroſius: *De filiis nihil habebat novum*, *quod conderet*, *niſi ut eos præſenti commendaret parenti*; Claudianus vero Theodoſium morti proximum ſic loquentem Stiliconi inducit:

JESU CHR. AN. 395. Philoſt. lib. 11. 3.

Ambroſ. orat. in fun. Theod. Claud. adverſ. Ruff. lib. 1. & lib. 2. in princ.

*Tu curis ſuccede meis*, *tu pignora ſolus*
*Noſtra fove*; *geminos dextra tu protege fratres*.

& iterum:

*Jamque tuis*, *Stilico*, *Romana potentia curis*;
*Et rerum commiſſus apex*, *tibi credita fratrum*
*Utraque majeſtas*, *geminæque exercitus aulæ*.

At unde robur Imperio & filiis Theodoſius futurum ſperabat, innumeræ inde calamitates utrique Imperio contigerunt; etenim Stilico & Ruffinus, avaritiæ, ambitionis, & invidiæ ſtimulis æque agitati, in Imperii ruinam utrique conſpirarunt.

Quis Imperii ſtatus ſub Ruffino, & Stilicone. Zozim. lib. 5. in princip.

10. Quis fuerit Imperii ſtatus his verbis narrat Zoſimus: *Poſteaquam ſummum Imperium ad Arcadium*, *& Honorium delatum fuiſſet*, *nomine quidem tenus id obtinere videbantur*, *ſed reapſe poteſtas totius Principatus per Orientem penes Ruffinum*, *per Occidentem in arbitrio Stiliconis erat*, *lites omnes apud eos magna licentia diſceptabantur*, *& victor abibat*, *qui pecunia ſententiam redimebat*; & poſt alia de eorumdem rapacitate: *Cumque urbes omne genus improbitatis inundatione quaſi quadam obrueret*, *quidquid ubique divitiarum erat*, *in Ruffini*, *Stiliconiſque domum confluebat*, *neque Principes norant quidquam eorum*, *quæ gerebantur*, *ſed quæcumque Ruffinus imperaſſet*, *aut Stelico pro lege non ſcripta ducebant*. Eadem de Ruffino, & Stilicone narrat Suidas in verbo Ruffinus: *Ruffinus*, *& Stilico erant tutores filiorum Theodoſii*, *ambo omnia rapiebant*,

JESU CHR. AN. 395.

*bant, in divitiis Imperium ponentes, nec quiſquam quidpiam habebat proprium. niſi his placuiſſet, &c.*

De Ruffini patria, & moribus.

Strabo lib. 4.

11. Ruffinum natione Geltam fuiſſe tradit Zoſimus, quo nomine Galli Narbonenſes apud veteres deſignantur; hinc Strabo: *Hæc diximus de Gallis, qui Narbonenſem provinciam incolunt, qui quondam Geltæ appellabantur*. CPolim vero profectus, adeo ſe Theodoſii amicitiæ inſinuaverat, ut ſummos honores obtinuerit, ac primo Palatinorum ordinum magiſter fuerit, Conſul deinde ordinarius cum Arcadio Auguſto anno 392., Præfectus poſtea Prætorio creatus, quem Theodoſius cum in Occidentem adverſus Eugenium tranſiiſſet, CPoli reliquit, ut Arcadii, & Imperii curam ſe abſente gereret; majora tamen ambiens, filiam ſuam Arcadio ſponſam deſtinaverat, ut his nuptiis ad Imperium ſibi viam ſterneret, ut a ſcriptoribus traditum eſt. At dum hæc aliaque moliretur, ad interitum properabat, ut mox videbimus, quem non ſolum avaritia, & immenſa divitiarum cupiditas, Deo, & hominibus inviſum fecerant, ſed etiam ferina crudelitas, qua inſontes plurimos morte affecerat, & ut prætereamus eum Theodoſio auctorem fuiſſe immanis Theſſalonicenſium cœdis, Promotum etiam virum conſularem, vivente adhuc Theodoſio Imperatore, eoque inſcio, occidi juſſerat, ut narrat Zoſimus. Hoc etiam anno Antiochiam profectus, Lucianum Orientis Comitem, virum & ſanguine, utpote filius Florentii, qui olim ſub Juliano Apoſtata Præfectus prœtorii Galliarum fuerat, & dignitate, & omni virtutum genere ornatiſſimum, flagellis plumbeis coram ſe tandiu in capite tundi juſſit, donec efflaret animam, cujus immane facinus cum ægre tuliſſent Antiocheni, *Ruffinus plebem demulcens, regiam porticum extruebat, qua nullum habet urbs ædificium ſplendidius*, ait Zoſimus.

Zozim. lib. 5. Claud. lib. 2. ut ſup.

De Ruffini crudelitate.

Zozim. lib. 4. Zozim. lib. 5. in princip.

Arcadii nuptiæ cum Eudoxia.

12. His geſtis, Antiochia egreſſus CPolim rediit, animo volvens quamprimum filiam ſuam uxorem Arcadio dare; at cum hæc meditaretur, præter expectationem, ſpe ſua excidit, nam Arcadius inſtinctu Eutropii, inter Eunuchos potentiſſimi, cum Eudoxia nuptias celebravit: de Eudoxiæ nuptiis cum Arcadio hæc tradit Zoſimus: *Erant duo Promoti filii, qui, adhuc ſuperſtite Theodoſio, cum liberis ejus verſabantur. Horum alter apud ſe virginem habebat eximia pulchritudine ſpectabilem. Hanc Eutropius unus ex Eunuchis Imperatoriis, ut uxorem Princeps duceret, venuſtate puellæ prædicata, cohortabatur, quumque vide-*

Zozim. lib. 5.

Digitized by Google

*videret Principem verba ſua non illubenter admittere, monſtrata imagine puellæ, perque hanc Arcadio majus ad deſiderium concitato, hujus uti nuptias amplecteretur perſuaſit, nihil ſciente Ruffino eorum, quæ tractarentur &c.* Eudoxiam ex Promoti filio genitam fuiſſe ſcribit Baronius, idque ex Zoſimo conſtare tradit, at Zoſimus eam quidem apud Promoti filium æducatam ſcripſit, ex eo autem genitam non tradidit; turpius vero ii errant, qui Eudoxiam Gratiani filiam fuiſſe dixerunt. Quis autem fuerit Eudoxiæ pater Philoſtorgius Arcadio coævus his verbis narrat. Arcadius Imperator poſt patris obitum filiam Bautonis ducit uxorem, erat autem Bauto natione barbarus, ideſt Francus, *& magiſterio militum in Occidentis partibus perfunctus fuerat*, conſul etiam cum Theodoſio anno 381. fuerat. Nuptiarum diem, & annum adnotat Chronicon Alex. conſulibus Probino & Olybrio: *Arcadius Auguſtus nuptias celebravit menſe Zantico, quinto Kal. Maji*. De Eudoxiæ dotibus, & excelſa mente hæc adnotat Philoſtorgius: *Longe a viri deſidia, & ſocordia diſtabat, inerat enim ei nonnihil barbaricæ audaciæ*. Quæ poſtmodum adverſus Joannem Chriſoſtomum egit, barbaricam ejus indolem ſapiunt, ut ſuo loco adnotaturi ſumus.

JESU CHR. AN. 395.

Bar. 395. 3.

Niceph. l. 13. 4.
Philoſt. lib. 11. 6.

Philoſt. ut ſup.

13. Ea ſpe dejectus Ruffinus, multa adverſus Imperium Rom. animo volutarat, cumque Theodoſius moriens utrumque Imperium, & ambos filios Stiliconi præcipue commendaſſet, ægre ferebat Ruffinus, Stiliconem non ſolum apud Honorium Occidentalis Imperii adminiſtrationem gerere, ſed etiam apud Arcadium de Orientalis Imperii rebus ſollicitum eſſe, ejuſque cauſa ad Arcadium proficiſci cogitaret. Quare Ruffinus, ut Stiliconis iter retardaret, Alaricum excitavit, ut Rom. Imperium invaderet, atque Antiocho Græciæ Proconſule & Geronrio ad tuendos Imperii limites deſtinatis juſſit, ut liberam Alarico viam relinquerent. Quare Alaricus Thracia egreſſus, in Macedoniam, Theſſaliamque nullo reſiſtente irruit, ac ſuperatis Thermopilis, totam Græciam direptionibus, & cœdibus replevit, *viros cujuſvis ætatis interimentes, pueros autem, & mulierculas gregatim una cum opibus univerſis ceu partam prædam abigentes*, Thebis deinde relictis ob urbis munitionem, Athenas Alaricus tranſiit, quas Minervæ ope ab Alarici manibus ereptas fuiſſe Zoſimus fabulatur. Pace itaque Athenis oblata, cum paucis urbem Alaricus ingreditur, comiterque exceptus, & muneribus placatus, Attica tota ſine injuria ceſ-

Ruffinus Alaricum Gothorum Regem adverſus Roman. Imperium excitat.

Zozim. lib. 5.

JESU CHR. AN. 395

*Zozim. ut ſup.*

*Claudianus adverſus Ruffinum lib. 2.*

Hunni Orientem vaſtant.

*Claud. ut ſup. lib. 1.*

ſit. Inde Megaride capta, in Peloponneſum tranſiit, ac ceteras Græciæ urbes, Corinthum Spartam in ſuam poteſtatem redegit, ut Zoſimus, & Claudianus pluribus narrant.

14. Nec ſola Græcia has clades hoc tempore accepit, ſed Hunnorum gens, ſuis egreſſa paludibus, Orientem populata eſt. De Barbaris Ruffini opera in Rom. Imperium immiſſis hæc cecinit Claudianus:

*Jam gentes Iſtramque movet, Schythiamque receptat*
*Auxilio; traditque ſuas hoſtilibus armis*
*Reliquias; mixtis deſcendit Sarmata Dacis,*
*Et qui cornipedes in pocula vulneret audax*
*Meſſagetes, patriumque bibens Meobum Alanus;*
*Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus*
*Ruffino collecta manus &c.*

*Idem lib. 2.*

De Hunnorum irruptione in Cappadociam idem auctor libro ſecundo:

*Alii per Caſpia clauſtra*
*Armeniaſque nives inopino tramite ductis*
*Invadunt Orientis opes, jam paſcua ſumunt*
*Cappadocum &c.*

*Socrat. lib. 6. 1.*

*Sozom. l. 8. 1.*

*Hier. epiſt. 77.*

Hanc Hunnorum irruptionem cum Claudiano, Socrates, Sozomenus, & Hieronymus narrant. Hic vero addit poſt Armeniam, & Syriam ab iiſdem devaſtatam, & Antiochiam obſeſſam, Hieroſolymam quoque contremuiſſe, unde Fabiola clariſſima Rofœmina, quæ ibidem domicilium fixerat, Hunnos timens Romam rediit: *Quærentibus nobis*, ait Hieronymus, *dignum tantæ fœminæ habitaculum, cum illa ita ſolitudinem cuperet, & diverſorio Mariæ carere nollet; ecce ſubito, diſcurrentibus nunciis, Oriens totus intremuit, ab ultima Mæotide inter glacialem Tanain & Maſſagetarum immunes populos, ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cobibent, erupiſſe Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illucque volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complerent. Aberat tunc Romanus exercitus, & bellis civilibus in Italia tenebatur.* Nam copias, quas Theodoſius adverſus Eugenium in Italiam duxerat, Stilico apud ſe adhuc retinebat. Sed de Hunnis iterum: *Abigat*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 395.

*gat Jeſus ab orbe Romano tales ultra beſtias. Inſperati ubique aderunt; & famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miſerabantur infantiæ: cogebantur mori, qui nondum vivere cœperunt; & neſcientes malum ſuum, inter hoſtium manus & tela ridebant. Conſonus inter omnes rumor, petere eos Hieroſolymam, & ob nimiam auri cupiditatem ad hanc urbem percurrere: muri neglecti pacis incuria, ſarciebantur: Antiochia obſidebatur: Tyrus ne volens a terra abrumperetur, inſulam quærebat aliquam. Tunc & nos compulſi ſumus parare naves, eſſe in littore, adventum hoſtium præcavere, & ſævientibus ventis, magis Barbaros metuere, quam naufragium, non tam propriæ ſaluti, quam virginum caſtimoniæ providentes. &c.* Hæc Hieronymus de Hunnis, qui ad Heliodorum ſcribens anno ſequenti, de Gothorum irruptione in Græciam, & Hunnorum in Orientem hæc habet: *Quid putas nunc animi habere Corinthios, Athenienſes, Lacedemonios, Arcades, cunctamque Græciam, quibus imperant Barbari?.. Immunis ab his malis videbatur Oriens, & tantum nunciis conſternatus. Ecce tibi anno præterito, ex ultimis Caucaſi rupibus, immiſſi in nos, non jam Arabiæ, ſed ſeptentrionis lupi, quantas brevi provincias percurrerunt, quot monaſteria capta, quantæ fluviorum aquæ humano cruore mutatæ ſunt! Obſeſſa Antiochia, & urbes reliquæ, quas Halys, Cydnus; Oruntes, Euphrateſque præterfluunt, tracti greges captivorum, Arabia, Phœnice, Palæſtina, Ægyptus timore captivæ.* Hæc de his cladibus Hieronymus, quas multis verſibus cecinit, & deplorat Claudianus adverſus Ruffinum ſcribens: Hier.epiſt.60.

*Heu quam brevibus pereunt ingentia cauſis!*
*Imperium tanto quæſitum ſanguine, tanto*
*Servatum, quod mille ducum peperere labores,*
*Quod tantis Romana manus contexuit annis,*
*Proditor unus iners anguſto tempore vertit!*

De Gothorum irruptione in Græciam ſub Olybrii, & Probini conſulatu hæc adnotavit Marcellinus in chronico: *Ruffinus patricius Arcadio Principi inſidias tendens, Alaricum Gothorum Regem, miſſis etiam pæcuniis, infeſtum Reip. facit, & in Græciam miſit.*

Stilico in Græciam cum exercitu tranſit.

15. Quo magis Orientalis Imperii res afflictæ erant, eo magis

Jesu Chr. An. 39. magis in ſpem Imperii adipiſcendi Ruffinus erigebatur, & *Græciæ nunciata calamitate*, ut ait Zoſimus, *libido iſthæc Imperii, qua flagrabat, incrementum ſumebat, quippe conturbata Rep. nihil impedimento ſibi futurum ad hujuſmodi conatum exiſtimabat. At Stilico militibus in naves impoſitis ad ſuccurendum adverſis Achajæ rebus proficiſcebatur, ut in Peloponeſum appulit Barbaros in Pholœn fugere coegit*; quid Pholœ ſit nos docet Plinius; *Montes in Arcadia Pholæ cum oppido. His cognitis Stilico rebus infectis in Italiam navigat*, ait Zoſimus; ſi Claudiano credimus, Ruffini dolo e Stiliconis manibus victoria erepta eſt, cum Arcadius Orientalem exercitum repetiſſet; unde ait:

*Zozim. ut ſup.*
*Plin. lib. 4.6.*
*Claud. in Ruff. lib. 2.*

*Illa dies potuit noſtris imponere finem*
*Cladibus, & ſceleris cauſas auferre futuri,*
*Invida proh quantum rapuit fortuna triumphum,*
*Inter equos, interque tubas mandata feruntur*
*Regis, & armati veniunt ductoris ad aures.*

Zoſimus tamen Stiliconis ſocordiæ tribuit, quod Barbaros non deleverit: *Commeatus inopia facillime eos deleviſſet*, inquit, *niſi deliciis, & mimis ridiculorum, & parum pudentibus mulieribus ſeſe dans, militibus quæcumque Barbari reliquiſſent diripiendi poteſtatem feciſſet, hoſtibuſque ſpatium concedendi ut e Peloponeſo cum omni præda regreſſi tranſirent in Epirum*. Oroſius etiam hujus ætatis ſcriptor Ruffinum æque ac Stiliconem Imperio perduelles fuiſſe narrat: *Quid uterque egerit, quidve agere conatus ſit, exitus utrinſque docuit, cum alius ſibi, alius filio ſuo affectans regale faſtigium, ut rebus repente turbatis neceſſitas Reip. ſcelus ambitus tegeret, genteſque barbaras ille immiſit*, Ruffinus ſcilicet, *hic fovit*, ideſt Stilico.

*Oroſ. lib. 7.37.*

Ruffinus ab exercitu occiditur.

16. De Ruffini interitu veriſsime cecinit Claudianus;

*Tolluntur in altum,*
*Ut lapſu graviore ruant.*

nam cum ſummas in Imperio dignitates obtinuiſſet, & Orientale Imperium triennio fere pro lubitu adminiſtraſſet, ac ſine nomine Imperatorem egiſſet, dum de uſurpando Imperio cogitaret, ſpe & vita ſubito excidit. Rem geſtam narrat Zoſimus

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 395.

ſimus, Stiliconem ſcilicet perſuaſiſſe Honorio, ut quaſdam militum legiones ad Arcadium fratrem mitteret, quibus cum Gainam præfeciſſet, eidem juſsit Stilico, ut CPolim adveniens, Ruffinum interficeret. Quare cum CPolim perveniſſet Gaines, Arcadio Principi militum adventum nuntiat: eumque hortatur, ut ingreſſuris Urbem militibus obviam prodiret, quibus cum Arcadius occurriſſet, ac milites eum venerati, viciſsim a Principe perbenigne fuiſſent excepti; dato ab Gaina ſigno, ſimul univerſi milites Ruffinum in medio interceptum gladiis feriunt, membratimque diſcerpunt, ſicque qui tot malorum auctor extiterat, & univerſæ Reipublicæ detrimentum adtulerat, dignas admiſsis facinoribus pœnas dedit. De Ruffini interitu, ejuſque capite & manu per urbem delata, hæc habet Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum: *Ruffini caput pilo CPolim geſtatum eſt, & abſciſſa manus dextera, ad dedecus inſatiabilis avaritiæ oſtiatim ſtipem mendicavit, necatus eſt Ruffinus ante diem quintum Kal. Decemb.* ait Socrates, eo ipſo die, *quo ii, qui delectum militum agebant, purpuram ipſi circumdaturi erant*, ſubdit Philoſtorgius. *Prædonem annoſum* Ruffinum vocat Symmachus, & *inſatiabilem auri proluviem*. De Ruffini uxore, & filia hæc narrant Marcellinus, & Zoſimus: *Ruffini uxor, & filia exulant*. Exilii locum Zoſimus notavit: *Uxore vero filiaque Ruffini ad eccleſiam Chriſtianorum metu confugientibus, ne cum illo perirent, Eutropius eis fide data conceſſit, ut Hieroſolymorum ad urbem navigarent. Hic illæ reliquum vitæ tempus exegerunt*. Ruffino ſublato, Eutropius Eunuchus Ruffini facultates non ſolum ſibi vindicavit, ſed Ruffini etiam locum obtinuit, qui *omnia adeo concuſſit, & tonitruis terruit, ut non ſolum eſſet ipſe Ruffinus, ſed etiam ille fabulis celebris Salmoneus cum ipſo collatus parva quædam res eſſet*, inquit Suidas.

*Zozim. lib. 5.*
*Hier. epiſt. 60. n. 16.*
*Socrat. lib. 6. 1.*
*Philoſt. lib. 11. 3.*
*Symm. lib. 6. epiſt. 14.*
*Marcell. in chron. Zozim. ut ſup.*

17. Inſcio Arcadio, Stiliconis inſidiis periiſſe Ruffinum veroſimile eſt, at juſto Dei judicio, qui *terribilis* eſt *in conſiliis ſuper filios hominum*, id accidiſſe dubitari non poteſt, ut Arcadium paternæ pietatis hæredem ab imminenti periculo eriperet. Is vero hoc eodem anno Imperii ſui initia Deo conſecravit, ac legibus editis hæreticorum perfidiam compreſſit, quarum prima ad Ruffinum præfectum prætorio data, Patris ſui reſcripta, aut prædeceſſorum Imp. adverſus hæreticos confirmavit; de Eunomianis id etiam addens: *Ne quis memoratæ ſectæ mili-*

Arcadii leges adverſus hæreticos.
*Pſalm. 65.*
*Cod. Theod. l. 26. de hæret.*

*militandi, aut teſtandi, vel ex teſtamento ſumendi habeat facultatem &c.* Dat. III. Idus Martii, Conſtantinopoli, Olybrio & Probino Conſſ. Rurſum vero eodem menſe iterum ad eumdem Ruffinum ſcribens, eoſdem aut publice aut privatim congregari, ordinationes peragere, ceteraque eccleſiæ officia exercere prohibuit. Dat. III. Kal. Aprilis CP. Olybrio & Probino Coſs. Ad Aurelianum vero Aſiæ Proconſulem eos omnes hæreticorum nomine comprehendi declaravit, qui in religionis negotio vel in re minima ab eccleſia Catholica diſſidebant. Dat. III. nonas Sept. CP. Olybrio & Probino Coſſ. Inſuper ad Marcellum magiſtrum officiorum menſe Novembri, ut hæreticorum diligens inquiſitio fieret, præcepit: *Sublimitatem tuam inveſtigare præcipimus, an aliqui hæreticorum, vel in Scriniis, vel inter Agentes in rebus, vel inter Palatinos cum legum noſtrarum injuria audeant militare; quibus exemplo divi patris noſtri omnibus, & a nobis negata eſt militandi facultas. Quoſcumque autem deprehenderis culpæ ejus participes, non ſolum militia eximi, verum etiam extra mœnia urbis jubeas arceri. Dat. IIII. Kal. Decemb. Conſtantinop. Olybrio & Probino Coſſ.* Ethnicos etiam hoc eodem anno Arcadius ſeveriſſimo exagitavit edicto, ad eumdem Ruffinum Præfectum Prætorio reſcribens, quo omnem Idolorum cultum prohibuit, ac provinciarum Rectores ceteroſque adminiſtros graviſſima pœna mulctavit, ſi id fieri permiſiſſent, aut factum diſſimulaſſent, cujus legis meminit Auguſtinus his verbis: *Quis enim noſtrum, quis veſtrum non laudat leges ab Imperatoribus datas adverſus ſacrificia Paganorum? & certe longe ibi pœna ſeverior conſtituta eſt, illius quippe impietatis capitale ſupplicium eſt.* Alias etiam contra hæreticos, & ethnicos Arcadius, & Honorius leges hoc anno vulgarunt, ut apud Gothofredum, & Pagium videre eſt, quæ omnes eo collimant, ut catholicam fidem ſartam tectamque ſervarent, illuſtrioremque toto Imperio redderent; quo factum eſt, ut plurimi ad chriſtianam Fidem, vetere errore poſito, tranſirent, ut his verbis adnotavit Sozomenus:

*Lib. 16. de hæret. Cod. Theo.*
*Cod. Theod. l. 28. de hæret.*
*n. 12.*
*Cod. Theod. l. 13. de Pagan.*
*Auguſtin. ad Vincentium, epiſt. 93.*

Sub Arcadio, & Honorio chriſtiana religio illuſtrior redditur.
*Sozom. lib. 8. cap. 1.*

18. *Subditi vero ad Principum exemplum ſeſe formantes, Pagani quidem ad Chriſtianam religionem facile tranſibant; hæretici vero ad Eccleſiam catholicam ſeſe adjungebant. Ariani autem, & Eunomiani, quoniam inter ſe ipſos diſſidebant ob cauſas, quas ſupra commemoravi, in dies magis magiſque imminuebantur. Ex mutua enim inter ipſos diſcordia, mul-*

*multi eos non recte de Deo ſentire judicabant, & ad illos, qui ejuſdem cum Imperatoribus fidei ſectatores erant, tranſgrediebantur. Macedonianis autem, qui erant Conſtantinopoli, id plurimum nocuit, quod eo tempore nullum habebant Epiſcopum*; nam ex eo tempore, quo Eudoxius Arianorum, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, regnante Conſtantio, Eccleſias illis ademerat, uſque ad hæc tempora, ſub ſolis Presbyteris permanſerant. Novatiani vero inter ſe diviſi erant ob quæſtionem de Paſcha, quam Sabbatius paulo ante excitaverat, etſi iiſdem pœnis ac legibus, quibus alii hæretici tenebantur, obnoxii non eſſent, utpote qui Trinitatem Conſubſtantialem aſſererent: quin ob præſtantiam Epiſcoporum ſuorum majori libertate fruebantur. Nam poſt Agelii præſulatum Marcianum Antiſtitem nacti fuerant, eoque paulo poſt mortuo, Epiſcopatum ejus ſuſcepit Siſinnius; *vir apprime eruditus, & philoſophicorum dogmatum ac Scripturarum ſacrarum ſcientia inſtructus*, ait Sozomenus, quem hoc eodem anno in Marciani locum ſucceſſiſſe, die quinta ante Kal. Decembris, tradit Socrates. *Eadem porro die, qua Ruffinus necatus fuerat, Novatianorum Epiſcopus Martianus ex hac luce migravit, eique in Epiſcopatu ſucceſſit Siſinnius*.

Jesu Chr. an. 395.

Socr. lib. 6. 1.

19. De Arianorum vero diſſidiis, hæc Sozomenus etiam adnotat; inter eos ſcilicet tunc temporis diſputatum fuiſſe, an poſſet Deus, etiam antequam Filius ſubſiſteret, vocari Pater. Dorotheus autem Patrem nec eſſe, nec vocari poſſe dixit, niſi exiſtente Filio; Marinus econtra contrariæ ſententiæ patrocinium ſuſceperat. Hac de cauſa diſſidium inter illos extitit, & ob ſupradictam voculam ſeparati, ſeorſum ſinguli collectas agebant. Qui vero Patrem ſemper fuiſſe Patrem dicebant, etiam cum Filius non exiſteret, cognominati ſunt Pſathyriani, propterea quod Theoctiſtus quidam natione Syrus, Pſathyropola, ideſt placentarum venditor, iſtud dogma acerrime defenderet. Horum opinionem ſecutus eſt etiam Selenas Gothorum Epiſcopus, vir ancipiti genere natus, nam paterna quidem origine Gothus, materna vero Phryx fuit, atque idcirco utraque lingua expedite docebat in Eccleſia. Quamobrem clericorum plurimi contentionem hanc ex inanis gloriæ ſtudio inter illos exortam deteſtantes, ad catholicam Fidem ſe tranſtulerunt. Cumque quinque ac viginti annorum ſpatio inter ſe diviſi fuiſſent Ariani, tandem regnante Theodoſio juniore, Conſulatu Plinthæ magiſtri militum, anno 419,

Arianorum multi ad catholicam fidem convertuntur.

Socrat. lib. 5. 23.

JESU CHR. AN. 395.

Pſathyriani rationibus victi, a contentione deſtiterunt; & in unum corpus denuo coeuntes, quaſi lege lata ſanxerunt, ne qua in poſterum mentio fieret quæſtionis illius, cujus cauſa fuerant ſeparati. Eunomianos quoque, & Macedonianos in varias ſectas diſſectos ac diviſos hoc tempore fuiſſe, idem Socrates narrat, quæ longa oratione proſequi jam piget. Hoc eodem anno Honorius Imp. Arcadii pietatem æmulatus Eccleſiarum privilegia a prædeceſſoribus conceſſa, lege lata firmavit, ad Hierium Africæ Vicarium his verbis reſcribens. *Quæcumque a parentibus noſtris, diverſis ſunt ſtatuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa ſacroſanctas eccleſias præcipimus. Nihil igitur a privilegiis immutetur omnibuſque qui eccleſiis ſerviunt, tuitio deſeratur, quia temporibus noſtris addi potius reverentiæ cupimus, quam ex his, quæ olim præſtita ſunt immutari dat. X. Kal. Apriles Mediolani Olybrio, & Probino Coſſ.* His aliiſque pietatis officiis Imperii ſui initia Honorius illuſtravit, firmaque reddidit.

*Socrat. ut ſup. cap. 24.*

Honorius Imp. eccleſiarum privilegia confirmat *Cod. Theod. l. 29. de Epiſc. & cler.*

Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis ordinatur. *Auguſt. vita lib. 4. 1. tom. ult. edit. Maur.*

21. Hoc anno, Olybrio & Probino Coſſ, ut ait Proſper in chronico, *Auguſtinus B. Ambroſii diſcipulus, multa facundia, doctrinaque excellens Hippone Regio in Africa Epiſcopus ordinatur*, cum annum ageret quadrageſimum quintum, quorum quinque in ſacerdotali dignitate tranſegerat. Id ſingulare in Auguſtini ordinatione accidit, quod vivente adhuc Valerio Hipponenſi Epiſcopo, ſucceſſor eidem non ſolum deſtinatus fuerit, ſed etiam Epiſcopus ordinatus, Valerio ipſo id a Numidiæ Primate expoſtulante, *metuerat enim*, ut ait Poſſidius in vita Auguſtini, *ne ab aliqua eccleſia Sacerdos probatus ad Epiſcopatum quæreretur, & ſibi auferretur; nam & id proveniſſet, niſi hoc idem Epiſcopus cognito, ad locum ſecretum cum tranſire curaſſet, occultatumque a quærentibus minime invenire feciſſet*, eamdemque ſollicitudinem cum Valerio Epiſcopo, ne Auguſtinus alibi fortaſſe Epiſcopus ordinaretur, habebat Hipponenſis populus, nec eum alio abire ſinebat; qua de re ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum ſcribens, cur Carthaginem non veniſſet, hanc excuſationem affert Auguſtinus: *Abſentiam meam tantum longe, Hipponenſes vehementer, nimiſque formidant, neque ullo modo mihi ſic volunt credere, ut & ego vobis.* Poſſidius vero ſubdit: *Amplius formidans idem venerabilis ſenex*, Valerius, *& ſciens ſe corpore, & ætate infirmiſſimum, egit ſecretis litteris apud Primatem Epiſcopum ſedis Car-*

*Poſſid. Auguſt. vit. cap. 8.*

*Auguſt. epiſt. 22. in fine.*

zed by Google

*Carthaginenſis*, *allegans imbecillitatem corporis ſui*, *ætatiſque gravitatem*, *& obſecrans*, *ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus*, *qui ſuæ cathedræ non jam ſuccederet*, *ſed conſacerdos accederet Auguſtinus*. Cum itaque ad Eccleſiam Hipponenſem Primas Numidiæ Megalius Calamenſis Epiſcopus advenisset, tunc Valerius coram Epiſcopis, qui forte tunc aderant, & univerſæ plebi, ſuam tunc voluntatem indicavit, omnibuſque audientibus, & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamantibus, Epiſcopatum ſuſcipere coactus eſt Auguſtinus; cujus ordinationi Megalius Numidiæ Primas, neſcio quæ crimina Auguſtino objiciens, aliquatenus reſtiterat; at cum ea in Epiſcoporum concilio probare non potuiſſet, accuſationis falſitatem agnovit, & veniam petiit, ut idem Auguſtinus teſtatur, qui & addit ab eodem Megalio ſe fuiſſe ordinatum, nam interrogatus a Donatiſtis, quiſnam ipſum ordinaſſet: *Megalius*, inquit, *me ordinavit Primatus eccleſiæ catholicæ*, *eo tempore*, *quo ille me potuit ordinare*. Circa finem labentis anni, & Natali feſto inſtante ordinatum fuiſſe, ex ſermone ejuſdem Auguſtini in die ordinationis ſuæ habito ſcimus; cujus diei memoriam ſingulis annis repetebat, quique dies univerſæ Africæ lætiſſimus fuit, ut ex dicendis conſtabit. In ordinatione autem ſua id Auguſtinus reprehendit, quod contra Nicænos canones facta eſſet, ideſt contra canonem octavum, quo cautum eſt, ne in una civitate Epiſcopi duo ſint; hinc Poſſidius: *Quod in ſe ipſo poſtea fieri non debuiſſe*, *ut vivo Epiſcopo ſuo ordinaretur*, *& dixit*, *& ſcripſit propter concilii univerſalis*, ideſt Nicæni, *vetitum*, *quod jam ordinatus didicit*, *nec quod ſibi factum eſſe doluit*, *aliis fieri voluit*; cumque Auguſtinus jam ſenex Heraclium presbyterum in Epiſcopatu ſucceſſorem ſibi deſignaſſet anno 426., ipſum tamen ſe vivente ordinari noluit, hæc addens: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre*, *& Epiſcopo meo ſene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum*, *& ſedi cum illo*, *quod concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam*, *nec ipſe ſciebat*. *Quod ergo reprehenſum eſt in me*, *nolo reprehendi in filio meo*; unde ſubdidit Auguſtinus, *erit presbyter ut eſt*, *quando Deus voluerit*, ideſt poſt obitum meum, *futurus Epiſcopus*. Unde etiam, ſubdit Poſſidius, de Auguſtini ordinatione agens: *Sategit*, *ut conciliis conſtitueretur*, *Epiſcoporum ab ordinatoribus deberi ordinandis*, *vel ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam eſſe deferenda*,

JESU CHR. AN. 395.

*Auguſt. contr. Creſc. lib. 3. 80. lib. 4. 74*

*Collat. Carth. die 3. Auguſt. tom. 10. pag. ſerm. 39.*

*Poſſid. Auguſt. vita ut ſup. Auguſt. epiſt. 213.*

*Auguſt. epiſt. 213. n. 4.*

*Poſſid. ut ſup.*

JESU CHR. AN. 395. qua de cauſa concilio Carthaginenſi tertio anno 397. habito, quo & Auguſtinus adfuit, canone tertio hæc leguntur: *Placuit, ut ordinandis Epiſcopis, vel clericis, prius ab ordinatoribus ſuis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe quid contra ſtatuta concilii feciſſe pœniteat*. Hæc ibi ſollicite cavens Auguſtinus, ne quod ſibi ignoranti acciderat, aliis contingeret.

Paulini gratulatio de ordinatione Auguſtini. *Paul. epiſt. 7.*

21. De Auguſtini ordinatione in Epiſcopum cum eccleſia Africana gratulati ſunt viri pietate, & doctrina celeberrimi. Audiatur ea de re Paulinus ad Romanianum hæc ſcribens: *Non autem tantum hoc ſcribimus gratulandum, quod epiſcopatum Auguſtinus acceperit, ſed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ Eccleſiæ, ut verba cæleſtia Auguſtini ore perciperent, qui ad majorem Dominici muneris gratiam novo more provectus ita conſecratus eſt, non ut ſuccederet in cathedra Epiſcopo, ſed accederet: nam incolumi Valerio Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopo, coepiſcopus Auguſtinus eſt. Et ille beatus ſenex, cui puriſſimam mentem nulla unquam liventis invidiæ macula ſuffudit, dignos ſui cordis pace nunc ab Altiſſimo fructus capit, ut quem ſucceſſorem ſacerdotii ſui ſuppliciter optabat, hunc mereatur tenere collegam, &c.* De ſua ordinatione ad Paulinum, & Theraſiam conjugem hæc ſcripſerat Auguſtinus: *Qua eccleſiæ cura tenear ex hoc veſtra caritas oportet attendat, quod beatiſſimus pater Valerius, qui vos nobiſcum quantum ſalutet, quantumque ſitiat, audietis ex fratribus, nec presbyterum me eſſe ſuum paſſus eſt, niſi majoris mihi Coepiſcopatus ſarcinam imponeret. Quod quidem quia tanta ejus caritate tantoque populi ſtudio Dominum id velle credidi, nonnullis jam exemplis præcedentibus, quibus mihi omnis excuſatio claudebatur, vehementer timui excuſare.* Hæc de ordinatione ſua Auguſtinus.

*Auguſt. epiſt. 31.*

Auguſtinus ne in eccleſiis convivia fierent, curat.

22. Antequam Auguſtini Epiſcopi geſta enarremus, de his quæ adhuc presbyter geſſit, nonnulla præmittimus. Illud præceteris memoria dignum eſt, quod in Hipponenſi eccleſia commeſſationum, & conviviorum abuſum extirpavit. Ex quo enim presbyter fuerat ordinatus, indigne tulerat ſacra loca, religionis prætextu, ignominia affici, ac in Martyrum memoriis vinolenta convivia frequentari, quibus plebs imperita, non ſolum honorem ſanctis Martyribus, ſed etiam ſolatium mortuis conferri putabat. Ea de cauſa Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum

Digitized by Google

ſcopum circa annum 392. litteris ſuis excitaverat, ut hanc ab Africa fœditatem, conciliorum auctoritate, & Carthaginenſis eccleſiæ exemplo auferret, in quam rem ajebat: *Quare commeſſationes, & ebrietates ita conceſſæ, & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum, non ſolum per dies ſolemnes (quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inſpicit?) ſed etiam quotidie celebrentur? Quæ fœditas ſi tantum flagitioſa, & non etiam ſacrilega eſſet, quibuſcumque tolerantiæ viribus ſuſtentandam putaremus! Quamquam ubi eſt illud, quod cum multa vitia enumeraſſet idem Apoſtolus, inter quæ poſuit ebrioſos, ita concluſit, ut diceret cum talibus nec panem edere? Sed feramus hæc in luxu & labe domeſtica, ut eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur, accipiamuſque cum eis Corpus Chriſti, cum quibus panem edere prohibemur; ſaltem de ſanctorum corporum ſepulcris, ſaltem de locis ſacramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare privatim, quod cum frequentatur in ſanctis locis, honor Martyrum nominatur? Hæc ſi prima Africa tentaret auferre a cæteris terris, imitatione digna eſſe deberet: cum vero & per Italiæ maximam partem, & in aliis omnibus, aut prope omnibus tranſmarinis Eccleſiis, partim quia numquam facta ſunt, partim quia vel orta, vel inveterata, ſanctorum & vere de vita futura cogitantium Epiſcoporum diligentia & animadverſione extincta atque deleta ſint, dubitare quomodo poſſumus tantam morum labem, vel propoſito tam lato exemplo emendare? Deinde ſi ab una eccleſia inchoanda eſt medicina, ſicut videtur audaciæ mutare conari quod Carthaginenſis Eccleſia tenet; ſic magnæ impudentiæ eſt, velle ſervare, quæ Carthaginenſis Eccleſia correxit. Ad hanc autem rem quis alius Epiſcopus eſſet optandus, niſi qui ea diaconus exſecrabatur? &c.* De oblationibus vero pro mortuis hæc ſubdit: *Sed quoniam iſtæ in cœmeteriis ebrietates & luxurioſa convivia, non ſolum honores Martyrum a carnali & imperita plebe credi ſolent, ſed etiam ſolatia mortuorum; mihi videtur facilius illic diſſuaderi poſſe iſtam fœditatem ac turpitudinem, ſi & de Scripturis prohibeatur, & oblationes pro ſpiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque omnibus petentibus ſine typho, & cum alacritate præbeantur: neque vendantur, ſed ſi quis, pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit,*

*Auguſtini ad Aurel. Carthag. Epiſc. epiſt. 22.*

JESU CHR. AN. 395.

*rit, in præſenti pauperibus eroget. Ita nec deſerere videbuntur memorias ſuorum ( quod poteſt gignere non levem cordis dolorem ), & id celebrabitur in Eccleſia quod pie & honeſte celebratur. Hæc interim de comeſſationibus & ebrietatibus dicta ſint.* Hactenus Auguſtinus ad Aurelium, quem ſuo perfunctum munere fuiſſe haud dubitamus; atque ab eccleſia ſua ea convivia eliminaſſe, idem Auguſtinus in ſermone Carthagine habito indicat. Atque in Hipponenſi concilio anno 393. quo Auguſtinus tunc presbyter adfuit, cautum fuerat, ne ulli Epiſcopi, vel clerici in eccleſia convivia gererent, ac ut, quantum fieri poterat, populi ab hujuſmodi conviviis prohiberentur.

*Codex can. Afric. eccl. can. 42. Hard. to. 1. p. 883.*

Auguſtinus in Hipponenſi eccleſia, convivia fieri vetat.

*Auguſt. epiſt. 29.*

24. Auguſtinus vero hoc eodem anno, antequam Epiſcopus fieret ab Hipponenſi eccleſia commeſſationum abuſum omnino extirpavit, ut in epiſtola ad Alypium his verbis narrat: *Ne prætermittamus veſtræ caritati narrare quid geſtum ſit, ut nobiſcum Deo gratias agatis de accepto beneficio, qui nobiſcum preces de accipiendo fudiſtis. Cum poſt profectionem tuam nobis nuntiatum eſſet tumultuari homines, & dicere ſe ferre non poſſe, ut illa ſolemnitas prohiberetur, quam lætitiam nominantes, vinolentiæ nomen fruſtra conantur abſcondere, ſicut etiam te præſente jamjam nuntiabatur; opportune nobis accidit occulta ordinatione Omnipotentis Dei, ut quarta feria illud in Evangelio capitulum conſequenter tractaretur: Nolite dare ſanctum canibus, neque projeceritis margaritas veſtras ante porcos. Tractatum eſt ergo de canibus & de porcis, itaut & pervicaci latratu adverſus Dei præcepta rixantes, & voluptatum carnalium ſordibus dediti erubeſcere cogerentur; concluſumque ita, ut viderent quam eſſet nefarium, intra Eccleſiæ parietes id agere nomine religionis quod in ſuis domibus ſi agere perſeverarent, a Sancto & Margaritis Eccleſiaſticis eos arceri oporteret. Sed hæc quamvis grate accepta fuerint: tamen quia paucis convenerunt, non erat ſatisfactum tanto negotio. Iſte autem ſermo cum ab eis qui aderant, pro cujuſque facultate ac ſtudio, foris ventilaretur, multos habuit contradictores. Poſteavero quam dies Quadrageſimæ illuxiſſet, & frequens multitudo ad horam tractationis occurrit, lectum eſt iſtud in Evangelio, ubi Dominus de templo expulſis venditoribus animalium, & everſis menſis nummulariorum dixit, domum Patris ſui pro domo orationum ſpeluncam latronum eſſe factam: quod capitulum, cum eos intentos pro-*

Digitized by Google

*propoſita vinolentiæ quæſtione feci, & ipſe quoque recitavi; adjunxique diſputationem, qua oſtenderem quanto commotius & vehementius Dominus noſter ebrioſa convivia, quæ ubique ſunt turpia, de templo expelleret, unde ſic expulit conceſſa commercia; cum ea venderentur, quæ ſacrificiis illo tempore licitis eſſent neceſſaria; quærens ab eis, quibus ſimiliorem putarent ſpeluncam latronum, neceſſaria vendentibus, an immoderate bibentibus? Et quoniam mihi præparatæ lectiones ſuggerendæ tenebantur, adjunxi deinde, ipſum adhuc carnalem populum Judæorum in illo templo, ubi nondum corpus & Sanguis Domini offerebatur, non ſolum vinolenta, ſed nec ſobria quidem umquam celebraſſe convivia, nec eos publice Religionis nomine inebriatos inveniri in hiſtoria, niſi cum feſta fabricato idolo exſolverent;* deinde poſt aliqua: *Tunc reddito Exodi Codice, crimen ebrietatis, quantum tempus ſinebat, exaggerans ſumpſi Apoſtolum Paulum, & inter quæ peccata poſita eſſe oſtendi legens illum locum, ſi quis frater nominatur, aut fornicator.... aut ebrioſus &c. legi etiam illud, quod non longo intervallo ſequitur: Nolite errare, neque fornicatores ... neque ebrioſi &c. poſtea & illud addidi: Convenientibus vobis in unum &c.* quo recitato oſtendit Auguſtinus, ne ſobria quidem convivia in eccleſiis celebrari poſſe, quanto magis ebrioſa, quæ ne domi quidem haberi poſſunt; deinde ex Evangelio addidit ex fructibus eſſe cognoſcendos fideles, ideſt ex operibus; ac ex epiſtola ad Galatas demonſtravit inter quos fructus eſſet numeranda ebrietas, cum Apoſtolus dicat: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicationes ... ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt Regnum Dei non poſſidebunt;* poſt aliqua ſubdit:

[Margin: JESU CHR. AN. 395. — Exod. 32. 6. — 1. ad Corinth. 5. 11. — 1. ad Corinth. 6. 9. & 11. 20. — Matt. 7. 16. — Ad Galat. 5. 19.]

25. *Poſt hæc codicem reddidi, & imperata oratione, quantum valui, & quantum me ipſum periculum urgebat, & vires adminiſtrare Dominus dignabatur, conſtitui eis ante oculos commune periculum, & ipſorum qui nobis commiſſi eſſent, & noſtrum qui de illis rationem reddituri eſſemus paſtorum Principi, per cujus humilitatem, inſignes contumelias, alapas, & ſputa in faciem, & palmas, & ſpineam coronam, & crucem ac ſanguinem obſecravi, ut ſi ſe ipſi aliquid offendiſſent, vel noſtri miſererentur, & cogitarent venerabilis ſenis Valerii circa me ineffabilem caritatem, qui mihi tractandi verba veritatis tam periculoſum onus non dubitarit propter eos imponere, eiſ-*

[Margin: Auguſtinus ad fletum populum movet]

Jesu Chr. An. 395. *eiſque ſæpe dixerit, quod orationes ejus exauditæ eſſent de noſtro adventu; quos non utique ad communem mortem, vel ſpectaculum mortis illorum, ſed ad communem conatum in æternam vitam ad ſe veniſſe lætatus eſt*; his alia addidit de flagellis, quibus Deus inveterata chriſtianorum peccata punire ſolet; iiſque audientium animos ita commovit, ut eorum lacrymis & fletu idem Auguſtinus flere cogeretur, ac ſermoni finem imponere, quem in die Natali S. Leontii quondam Hipponenſis Epiſcopi habuiſſe, inſcriptio docet; de quo etiam plura in alio ſermone, iterum recurrente feſto, idem Auguſtinus narrat.

*Serm. 13. de diverſ.*

Auguſtinus eamdem cauſam proſequitur.

25. Sed Auguſtini conatus in abolendis ab eccleſia commeſſationibus proſequimur: *Poſtridie vero*, ait, *cum illuxiſſet dies, cui ſolebant fauces, ventreſque ſe parare, nunciatur mihi nonnullos, eorum etiam qui ſermoni aderant, nondum a murmuratione ceſſaſſe, tantumque in eis valere vim peſſimæ conſuetudinis, ut ejus tantum voce uterentur, & dicerent: Quare modo? non enim, antea qui hæc non prohibuerunt, Chriſtiani non erant? Quo audito, quas majores commovendi eos machinas præpararem, omnino neſciebam: diſponebam tamen, ſi perſeverandum putarent, lecto illo loco de Propheta Ezechiele: Explorator abſolvitur, ſi periculum denuntiaverit, etiamſi illi, quibus denuntiatur, cavere noluerint; veſtimenta mea excutere atque diſcedere. Tum vero Dominus oſtendit, quod nos non deſerat, & quibus modis in ſe ut præſumamus hortetur, namque ante horam, qua exhedram adſcenderemus, ingreſſi ſunt ad me iidem ipſi, quos audieram de oppugnatione vetuſtæ conſuetudinis fuiſſe conqueſtos, quos blande acceptos, paucis verbis in ſententiam ſanam tranſtuli: atque ubi ventum eſt ad tempus diſputationis, omiſſa lectione, quam præparaveram, quia neceſſaria jam non videbatur, de hac ipſa quæſtione pauca diſſerui*, quibus rationem reddidit, cur commeſſationum abuſum tandiu Eccleſia toleraverit; addens etiam tranſmarinarum Eccleſiarum exemplum, in quibus aut iſta recepta numquam fuerant, aut per bonos rectores, populo obtemperante, correcta fuerant. Et quoniam de baſilica beati Apoſtoli Petri Romæ quotidianæ vinolentiæ proferebantur exempla, dixit audiiſſe ſæpe hæc prohibita fuiſſe, ſed quod remotus ſit locus ab epiſcopi converſatione, & in tanta civitate magna ſit carnalium hominum multitudo, ideo tam immanem peſtem nondum compeſci ſedarique potuiſſe: *Veruntamen nos, ſi Petrum Apoſtolum honoraremus, debe-*

*debere præcepta ejus audire, & multo devotius epiſtolam, in qua voluntas ejus apparet, quam baſilicam, in qua non apparet, intueri*; & accepto codice ex Petri epiſtola legit locum, in quo Petrus ebrietates commeſſationeſque cum nefanda idolorum ſervitute condemnat. *Quibus geſtis, cum omnes uno animo in bonam voluntatem ire, contempta mala conſuetudine, cernerem, optatus ſum, ut meridiano tempore divinis lectionibus, & pſalmis intereſſent, ita illum diem multo mundius, atque ſincerius placere celebrandum, & certe de multitudine convenientium facile poſſe apparere, qui mentem, & qui ventrem ſequerentur. Ita lectis omnibus, ſermo terminatus eſt*, ait Auguſtinus; qui de pomeridianis geſtis hæc ſubdit: Jesu Chr. an. 395. 1. Pet. 4. 1.

26. *Pomeridiano autem die, major quam ante meridiem affuit multitudo, & uſque ad horam, qua cum Epiſcopo egrederemur, legebatur alternatim, & pſallebatur, nobiſque egreſſis duo pſalmi lecti ſunt. Deinde me invitum, qui jam cupiebam peractum eſſe tam periculoſum diem, juſſum compulit ſenex*, ideſt Valerius Epiſcopus, *ut aliquid eis loquerer. Habui brevem ſermonem, quo gratias agerem Deo, & quoniam in hæreticorum baſilica*, ideſt Donatiſtarum, idem feſtum commeſſationibus, & ebrietatibus celebrabatur, dum catholici ab hiſce turpitudinibus ceſſaſſent. Auguſtinus ex Donatiſtarum comparatione cum Catholica plebe, ſicut diei pulchritudinem ex noctis comparatione augeri oſtendit, & colorem candidum nigri vicinitate gratiorem fieri, ita catholicorum conventum minus jucundum futurum fuiſſe, niſi ex alia parte carnalis ingurgitatio conferretur; hortatuſque eſt, ut tales epulas, ideſt ſpirituales appeterent. Cumque *in hanc ſententiam pro tempore ea dixi*, inquit, *quæ Dominus ſuggerere dignatus eſt, quæ cum dicta eſſent, acta ſunt veſpertina quæ quotidie ſolent, nobiſque cum Epiſcopo recedentibus, fratres eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriuſque ſexus ad obſcuratum diem manente atque pſallente*. Hactenus de Auguſtini geſtis hoc anno cum presbyter eſſet, ut convivia, & ebrietates ab eccleſia arceret, quod eidem feliciter ceſſit, ut audiv s; quæ vero Epiſcopus pro eccleſiarum utilitate, & commiſſi ſibi gregis ſalute egerit, ſuis locis adnotanda reſervamus; potiora tamen tantum adnotabimus, nam ſi ſingula perſequi voluerimus, a brevitatis propoſito longius abriperemur. Quæ autem fuerit Auguſtini Epiſcopi Tertius in eamdem rem Auguſtini ſermo. Auguſt. Confeſſ. lib. 10.

JESU CHR. AN. 395.

*Poſſid. vita Auguſt. ca. 20. ad 30.*

Inventio, & translatio corporum Ss Nazarii & Celſi,

*Paul. Ambr. vita n. 32. tt. 4.*

ſcopi vivendi ratio, quam ſancti ejus mores, ex ejuſdem Confeſſionum libris ac ejus vita ſatis conſtat.

27. Conceptum dolorem ab Ambroſio hoc anno ob Theodoſii obitum aliquatenus lenivit inventio, & translatio Sanctorum Nazarii, & Celſi Martyrum, de quorum inventione, & translatione hæc narrat Paulinus: *Quo tempore*, ideſt poſt Theodoſii obitum, *Sancti Nazarii Martyris corpus, quod erat in horto poſitum extra civitatem, levatum ad baſilicam Apoſtolorum, quæ eſt Romana, tranſtulit. Vidimus autem in ſepulcro, quo jacebat corpus Martyris, ita recentem ſanguinem, quaſi eodem die fuiſſet effuſus. Caput etiam ipſius, quod ab impiis fuerat abſciſſum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, ut nobis videretur eodem tempore, quo levabatur, latum atque compoſitum in ſepulcro. Et quid mirum, quandoquidem Dominus in Evangelio ante promiſit, quod capillus de capite eorum non peribit? Etiam odore tanto repleti ſumus, ut omnium aromatum vinceret ſuavitatem. Quo levato corpore Martyris, & in lectica compoſito, ſtatim ad Sanctum Celſum Martyrem, qui in eodem horto poſitus eſt, cum ſancto Sacerdote ad orationem perreximus*. Ad baſilicam Apoſtolorum ſancta pignora tranſlata ſunt, quo cum perveniſſet Ambroſius, atque ad populum ſermonem haberet; *quidam de populo immundo repletus ſpiritu clamare cœpit ſe torqueri ab Ambroſio. At Ambroſius ad eum converſus, obmuteſce ait Diabole, quia non te torquet Ambroſius, ſed fides Sanctorum & invidia tua, quoniam illuc vides adſcendere homines, unde tu dejectus es, nam Ambroſius neſcit inflari, quo dicto ille, qui clamabat, obmutuit, proſtratuſque in terram eſt, nec amplius vocem emiſit*. Hæc Paulinus de his, quæ ſuis ipſe oculis Mediolani hoc anno vidit.



Digitized by Google

JESU CHRISTI an. 396. Siricii Papæ 13.
Arcadii Imp. 14.
Honorii Imp. 4. Coss. Arcadio Aug. III. et
Honorio Aug. II.
Olymp. 293. an. 4. Urbis an. 1149.

1. Dum Mediolano theatrales ludos Honorius celebraret, Stiliconis juſſu Creſconius quidam per vim a militibus ex eccleſia, ad quam ſupplex confugerat, invito Ambroſio, & clero Mediolanenſi, abreptus eſt. Milites autem in amphitheatrum reverſi, cum renunciaſſent iis, a quibus miſſi fuerant, ſe Creſconium per vim ex eccleſia abſtraxiſſe, dimiſsis ex cavea ludi cauſa leopardis, in eum locum, in quo ſederant, qui de Eccleſia triumphabant, ſaltu aſcendentes, graviter laniatos reliquerunt. Quod ut vidit Stilico, facti ſui pœnituit, & ut Ambroſio ſatisfaceret, quem de eccleſia abſtrahi juſſerat, illæſum dimiſit. Quia tamen gravisſimorum criminum reus erat, in exilium non multo poſt miſſus eſt, ait Paulinus in vita Ambroſii; qui de ejuſdem Stiliconis ſervo ſubdit, quod cum eum Ambroſius a Dæmonis infeſtatione liberaſset, paulo poſt litteras Tribunatus falſaſſe convictus eſt; qua de cauſa cum ſuas ad Ambroſium Stilico querelas detuliſſet, vir ſanctus, requiri eum, ac ad ſe perduci juſsit, quem cum interrogaſſet, ac tanti flagitii reum comperiiſſet, ait: *Oportet illum tradi Satanæ in interitum carnis, ne talia aliquis in poſterum audeat admittere. Quem eodem momento (cum adhuc ſermo eſſet in ore Sacerdotis ſancti) ſpiritus immundus arreptum diſcerpere cœpit. Quo viſo, non minimo timore repleti ſumus & admiratione.* Hæc Paulinus de pœna falſario inflicta. Inveroſimilia tamen hæc Baſnagio videntur, *cum ſolis Apoſtolis id privilegii conceſſum fuerit, dæmonibus uti, quaſi lictoribus, ad extorquendos peccatores.* At ubinam didicit, miraculorum dona poſt Apoſtolicam ætatem in eccleſia ceſſaſſe, cum ex Evangelio ſciamus, non ſolis Apoſtolis, ſed ceteris etiam qui in ipſum credituri erant promiſiſſe Chriſtum, quod ſigna facturi eſſent, qualia ipſe fecerat, aut etiam majora? Numquid poſt Apoſtolos abbreviata eſt manus Domini, ut Paulino mira de Ambroſio ſcribens, fides deneganda ſit? cum maxime ea ætate, ad convin-

[Margin: S. Ambroſius Eccleſiaſticæ immunitatis vindex. *Paulinus Ambr. vita.* — *Baſnag. ann. an. 396. n. 6.* — *Joann. 14. 12.*]

 cendam Ethnicorum temeritatem, hæreticorumque, & maxime Arianorum proterviam, ſigna, & miracula aptiſſima eſſent, ad Evangelii propagationem, & ad oſtendendam catholicæ Fidei veritatem.

Fritigila Regina Marcomannorum cum viro ſuo in Chriſtum credit.

2. In Ambroſii quoque laudem hæc etiam notatu digna refert Paulinus, quod quædam Regina Marcomannorum, Fritigila nomine, cum a quodam chriſtiano, qui ad illam forte de Italiæ partibus advenerat, egregias Ambroſii dotes cognoviſſet, ipſa continuo in Chriſtum credidit, miſſiſque muneribus poſtulavit, ut ſcriptis ipſius, qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epiſtolam dedit in modum catechiſmi, in qua etiam admonuit, ut ſuaderet viro ſuo Romanis pacem ſervare. *Quæ accepta epiſtola, mulier ſuaſit viro & cum populo ſuo ſe Romanis tradidit. Quæ cum adveniſſet Mediolanum plurimum doluit, quod ſanctum Sacerdotem, ad quem feſtinaverat, minime reperiſſet, jam enim hac luce migraverat.* Ambroſii autem obitus anno ſequenti circa Paſchatis feſtum contigit, ut ibidem videbimus, ac proinde hanc legationem hoc anno contigiſſe facile credimus. Hanc Ambroſii epiſtolam periiſſe merito dolemus; qua lecta, tanto deſiderio videndi Ambroſii Fritigila exarſerit, ut Mediolanum uſque perrexerit.

Ambroſii ep. ad Vercellenſes, ut Epiſcopum ſibi eligant.
*Amb. epiſt. 63. tom. 3.*

3. Hoc etiam tempore mortuo Limenio Vercellarum Epiſcopo S. Euſebii ſucceſſore, cum ob Epiſcopi electionem in varias partes Vercellenſis clerus, & populus, diſtraheretur, ac periculum eſſet, ne a falſis quibuſdam monachis, ideſt Sarmatiano, & Barbatiano, ex ſecta Epicureis, eccleſia turbaretur; ut his malis occurreret Ambroſius, cui utpote Metropolitano Vercellenſis eccleſiæ cura ſpectabat, graviſſimam ad Vercellenſes epiſtolam dedit, qua eos admonuit, ut a vaniloquorum hominum fallaciis caverent, & ut in unum coeuntes, Epiſcopum ſibi cito eligerent; qua etiam epiſtola de S. Euſebio, deque Vercellenſis eccleſiæ dignitate, ac de Epiſcoporum dotibus quamplurima adnotat. *Conficior*, inquit, *dolore, quia eccleſia Domini, quæ eſt in vobis, Sacerdotem adhuc non habet, ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel ceteris finitimis Italiæ partibus hujuſmodi eget officio, quod ex ea aliæ ſibi Eccleſiæ petere ſolebant, & quod verecundius eſt, mihi adſcribitur veſtra intentio, quæ affert impedimentum. Nam cum ſint in vobis diſſenſiones, quomodo poſſumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quiſquam adquieſcere, ut inter*

*inter diſſidentes ſuſcipiat hoc munus, quod inter convenientes vix ſuſtinetur? Hæc illa eſt confeſsoris inſtitutio, hæc juſtorum ſoboles patrum, qui ſanctum Euſebium, quem nunquam ante cognoverant, poſthabitis civibus, ſimul ut viderunt & probaverunt: tantumque interfuit, ut probaretur, quantum, ut videretur?* His multa de pace, & concordia ſervanda ſubdit, ac adverſus eos, qui frugalitatis, abſtinentiæ, ac virginitatis nullum eſſe meritum effutiebant, plura adnotat. Quem vero exitum hæc habuerint, etſi non conſtet, ſcimus tamen ex Ambroſii vita, Honoratum in Limenii locum ſucceſſiſſe, nam Honoratus anno proximo Ambroſio vita excedenti adfuit, cui & Euchariſtiam miniſtravit. Jesu Chr. an. 396.

4. Vercelleuſem eccleſiam tot laudibus ab Ambroſio exornatam, illuſtriorem adhuc nobilioremque reddere curavit noſtra ætate Fileppius ejuſdem eccleſiæ canonicus, dum diſſertatione ſingulari, altera Apologetica in eamdem rem addita, cui titulus, *Dignitas eccleſiæ Vercellenſis vindicata*, probare conatus eſt Vercellenſem eccleſiam, in Subalpinis regionibus, uſque ad Ambroſii Epiſcopatum, Metropolitico jure, Mediolanenſi etiam eccleſiæ præfuiſſe, idque ex Euſebii Epiſcopi geſtis probare contendit. At Vercellenſem eccleſiam, & antiquitate, & illuſtrium Epiſcoporum ſerie, & præcipue Euſebii, hoc & ſequentibus ſeculis, inter Liguriæ eccleſias illuſtriorem fuiſſe, nemo in hiſtoria eccleſiaſtica vel leviter doctus in dubium vocabit; Mediolanenſi nihilhominus eccleſiæ tamquam Metropolim præfuiſſe, eaque antiquitate, dignitateque potiorem fuiſſe, eruditorum nemini perſuadebit Fileppius. De dignitate eccleſiæ Vercellenſis.

5. Memorabile prodigium, cujus fama toto Orbe vulgata eſt, hoc anno CPoli contigit, quo urbs Regia incendio, & terræmotu periiſſet, niſi precibus ad Deum fuſis, excidium vitaſſet, de quibus præ ceteris audiendus eſt Auguſtinus: *Nonne ante paucos annos Arcadio Imp. CPoli (quod dico audierunt nonnulli, & forſitan noverunt, & ſunt in hoc populo, qui illic præſentes fuerunt), volens Deus terrere civitatem, & terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, ſervo cuidam ſuo fideli viro, (ut dicitur) militari venit in revelatione, & dixit ei, civitatem venturo de cælo igne perituram. Eumque admonuit, ut Epiſcopo diceret. Dictum eſt. Non contempſit Epiſcopus, & allocutus eſt populo, converſa eſt civitas in luctum pœnitentiæ, quemadmodum* CPolitana urbs flagellis territa. *Marcell., & Proſp. in Chr. ad hunc an. Auguſt. de excidio urbis n. 7. tom. 6.*

*quon-*

JESU CHR. AN. 396. *quondam illa antiqua Ninive. Tamen ne putarent homines illum qui dixerat, vel falſitate deceptum, vel fallaciter decepiſſe, venit dies, quem Deus fuerat comminatus. Intentis omnibus, & exitum cum timore magno expectantibus, noctis initio, tenebrante jam Mundo, viſa eſt ignea nubes ab Oriente, primo parva, deinde paulatim, ut accedebat ſupra civitatem, ita creſcebat, donec toti urbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor ſulphuris deerat. Omnes ad eccleſiam confugiebant, non capiebat multitudinem locus. Baptiſmum extorquebat quiſque a quo poterat, non ſolum in eccleſia, ſed etiam per domos, per vicos ac plateas ſalus Sacramenti exigebatur, ut fugeretur ira non præſens utique, ſed futura. Attamen poſt magnam illam tribulationem, ubi exhibuit Deus fidem verbis ſuis, & revelationi ſervi ſui: cæpit ut creverat, minui nubes, paulatimque conſumpta eſt. Populus ſecurus paululum factus iterum audivit omnino eſſe migrandum, quod civitas eſſet proximo ſabbato peritura. Migravit cum Imperatore tota civitas: nemo in domo remanſit: nemo domum clauſit, longe recedens a mænibus; & dulcia tecta reſpiciens, relictis cariſſimis ſedibus, voce miſerabili valefecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progreſſa, uno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum ſubito vidit: & vocem magnum emiſit ad Deum. Tandemque tranquillitate conſpecta, miſſis qui renunciarent, ſollicita, quæ prædicta fuerat, hora tranſacta; & renunciantibus, quod ſalva univerſa mænia & tecta conſiſterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo ſua quidquam perdidit patente: omnis homo ſicut dimiſit, invenit*; miſericordia etenim, non ira Dei hæc facta fuiſſe adnotat. *Quis dubitat*, inquit, *miſericordioſiſſimum Patrem corrigere voluiſſe terrendo, non perdendo punire, quando nihil hominum, nihil domorum, nihil mænium tanta impendens præſentia calamitatis læſit?* Urbem vero Arcadii pietate ab imminenti excidio ereptam fuiſſe, tradit Paulus Diaconus, & ſane hoc eodem tempore Arcadii pietas in eo præcipue enituit, cum hæreſes, earumque ſectatores ſuis legibus inſectatus eſt, ut & anno elapſo diximus, hoc etiam anno ad Clearchum urbis Præfectum hoc altero reſcripto hæreticos exagitavit. *Cuncti hæretici proculdubio noverint, omnia ſibi loca hujus Urbis adimenda eſſe, ſive ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſive quæ Diaconica appellantur, vel etiam Decani-*

Paul.diac.hiſt. miſcelli l. 13.

Cod. Theod. l. 30. de hæret.

*canica, ſive in privatis domibus, vel locis privatis Fiſco noſtro adcorporandis. Præterea omnes clerici hæreticorum ex ſacratiſſima urbe pellantur, neque his finibus liceat convenire*: violatoribus vero legis centum librarum auri pœna indicta eſt. Hæc quidem adverſus omnes hæreticos. Cæterum Eunomianos, privato edicto ad Præfectum Prætorio Cæſarium dato, nominatim inquiri juſſit. *Dat. X. Kalend. Maii Conſtantinop. Arcad. IV. & Honorio III. Conſſ.* Adverſus etiam Apoſtatas ad eumdem Cæſarium hoc eodem anno ejuſdem Arcadii extat reſcriptum, ac rurſum aliud adverſus idololatras, quos exuit omnibus privilegiis antiquo jure conceſſis, quæ brevitatis cauſa prætˇerimus.

Eutropii avaritia, & inſidiæ adverſus Timaſium, & Abundantium. *Philoſt.lib.11 4. Zoſim. lib. 5. 10.11.&c.*

6. Quantacumque tamen pietate fulgeret Arcadius, Nihilominus regendo Imperio, & ætate, & ingenio impar erat; hinc in deterius res prolabebantur, cum nomine tantum Imperaret, re ipſa Eutropius Eunuchus, qui extincto Ruffino, divitiarum ejus, & potentiæ hæres fuerat, ac pro lubitu etiam cuncta gerebat, vir tantæ ſuperbiæ, & avaritiæ, ut ægre ferret quemquam alium præter ſe *poteſtatis Imperatoriæ participem fieri*, ait Zoſimus. Cumque in Ruffini locum Timaſius quidam ob bellica geſta clariſſimus, Præfectus Prætorio creatus eſſet, hunc quoque paulopoſt Eutropius inſidiis appetitum, & Præfectura prætorii dejiciendum, & in Oaſim relegandum ſuſcepit, ut Zoſimus, & Sozomenus narrant, *ubi ſive ſiti oppreſſus*, ut ait Sozomenus, *ut a viro quodam accepi, ſive metuens, ne quid pejus pateretur, dum per arenas regionis illius vagaretur, mortuus repertus eſt*. Timaſio uxor erat Pentadia clariſſima fœmina, propriis virtutibus magis, quam mariti dignitate illuſtris, quæ poſt viri calamitatem, ad eccleſiam confugiens, *inde eam extrahere conatus eſt* Eutropius, ut narrat Sozomenus; poſtmodum vero inter Diaconiſſas eccleſiæ CPolitanæ adſcripta fuit, cujus in vita Chryſoſtomi mentio occurrit. *Ingreſſus baptiſterium* (Chryſoſtomus), ait Palladius, *Olympiadem vocat, quæ ab eccleſia non diſcedebat, ſimul & Pentadiam, & Proclam Diaconiſſas*; cumque Ruffini, & Timaſii opibus exſatiari non potuerit prodigioſa ſemiviri avaritia, ideſt Eutropii; eadem arte Abundantium facultatibus privavit, & aula dejecit, atque *Sidonem Phœniciæ oppidum habitare jubetur, ubi reliquum vitæ tempus tranſiit*, ut habet Zoſimus; in triſtiorem tamen locum ex Sidone relegatum fuiſſe Abundantium tradit Hieronymus epiſtola ad Heliodorum, ubi de Timaſii, & Abun-

*Zoſ. ut ſup. Sozom. lib. 8. 7.*

*Sozom. ut ſup.*

*Pallad. vita Chryſoſth.*

*Zoſim. ut ſup.*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 396. Hier. epiſt. 60. n. 16.

Abundantii calamitatibus hæc habet: *Ad privatas veniam dignitates, nec de his loquar, qui biennium excedunt, atque ut ceteros prætermittam, ſufficit nobis trium nuper conſularium diverſos exitus ſcribere. Abundantius egens Pityunte exulat, Ruffini caput pilo CP geſtatum eſt, . . . Timaſius præcipitatus repente de altiſſimo dignitatis gradu evaſiſſe ſe putat, quod Aſſe,* ideſt in Oaſim, *vivit inglorius.* Illuſtrium etiam virorum caſum

Biblioth. PP. tom. 5. p. 818.

Aſterius Amaſeæ Epiſcopus his verbis commemorat: *Alter cum Prætoris munere eumdem ipſe adeptus honorem, in Ægypti, atque Lybiæ extremis finibus, in locis arenoſis, & humoris omnis, humanique cultus expertibus,* ideſt in Oaſim, *damnationis ſupplicium fugiens, miſere extinctus eſt*, quibus verbis miſerrimum Timaſium pingit; de Abundantio vero: *Quid de eo dicemus, qui & ipſe exconſul, & exprætor, in terra nunc Cholchide agens, ejuſce regionis Barbarorum humanitati vitam, & ſpiritum debet?* Sed de his hactenus.

Hieronymi epiſtola ad Heliodorum.

7. Eadem vero epiſtola ad Heliodorum Altinenſem Epiſcopum, hoc vel ſequenti anno ſcripta, Nepotiani presbyteri nuper defuncti, ad quem epiſtolam de vita clericorum dederat, Epitaphium texit Hieronymus, atque Heliodorum Nepotiani avunculum ob ejus obitum ingenii dolore perculſum conſolatur, defuncti virtutes geſtaque celebrans, ac Sacerdotalem

Sacerdotalis veſtis Hieronymo donata. Hier. epiſt. 60. n. 13.

veſtem ſibi relictam fuiſſe commemorat: *Quis crederet*, inquit, *in tali illum tempore noſtræ neceſſitudinis recordari, & luctante anima ſtudiorum ſcire dulcedinem? Apprehenſa avunculi manu, hanc, inquit, tunicam, qua utebar in miniſterio Chriſti, mitte dilectiſſimo mihi ætate patri, fratri collegio, & quidquid a te mihi debebatur affectus in illum transfer, quem mecum pariter diligebas. Atque in talia verba defecit, avunculi manum mei recordatione contrectans.* Hæc Hieronymus de Sacerdotali veſte a Nepotiano ſibi legata, quo ſolo teſtimonio novatorum temeritas, ſive inſcitia arguitur, dum inter alia, catholicam Eccleſiam ſuperſtitionis accuſant, eo quod peculiari veſte in ſacro miniſterio Sacerdotes utantur; quarum uſus, ut vidimus, quarto ineunte ſeculo, non ſolum vigebat, ſed & ſanctiſſimorum ac doctiſſimorum virorum uſu, & auctoritate comprobatus eſt.

Propagatio chriſtianæ Fidei. Hier. epiſt. 60.

8. Eadem epiſtola, qua Imperii clades, & illuſtrium virorum calamitates narrat Hieronymus, Chriſti gloriam, Evangeliique propagationem exponit. *Ab India*, inquit, *uſque ad Brit-*

*Britanniam, a rigida Septentrionis plaga uſque ad fervores Atlantici Oceani, jam innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines, quam variæ longius habitu, tam veſtibus, & armis, piſcium ritu ac locuſtarum, & velut muſcæ, & culices conterebantur (abſque notitia enim ſui Creatoris omnis homo pecus eſt); nunc vero Paſſionem Chriſti & Reſurrectionem ejus, cunctarum gentium & voces & litteræ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quas nationes fidei ſuæ in Crucis titulo Dominus dedicavit. Immortalem animam, & poſt diſſolutionem corporis ſubſiſtentem, quoque Pythagoras ſomniavit, Democritus non credidit, in conſolationem damnationis ſuæ Socrates diſputavit in carcere; Indus, Perſa, Gothus, Ægyptius philoſophantur. Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce Crucis fregerunt melos; & totius Mundi una vox, Chriſtus eſt.* Hæc ibi. In epiſtola ad Lœtam paulo poſt ſcripta, in eamdem rem: *De India*, inquit, *Perſide, Æthiopia, monachorum quotidie turbas ſuſcipimus. Depoſuit pharetras Armenius, Hunni diſcunt pſalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei. Getarum rutilus, & flavus exercitus, eccleſiarum circumfert tentoria, & ideo forſitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt.* Hæc de eccleſia ubique dilatata Hieronymus. *Hier. ep. 107. n. 2.*

9. Quinam autem inter tot barbaras gentes Evangelium prædicaverint, in obſcuro eſt. Pictonum Apoſtolus S. Ninianus fuit, de quo Beda lib. 3. cap. 4. de Septentrionalibus enim Pictis, eorumque Doctore S. Columbano ſeu Columba, agens, de Auſtralibus addit, Auſtrales Pictos, qui intra montes habebant ſedes, multo ante tempore (ſcilicet ante annum Chriſti 370.) relicto errore idololatriæ, fidem Chriſti accepiſſe, prædicante eis Niniano Epiſcopo, qui Romæ fidem catholicam a Damaſo Rom. Pontifice edoctus fuerat, quem poſtea, ut legitur apud Capgravium in hujus Sancti vita, Siricius Damaſi ſucceſſor, cum videret quoſdam in occiduis Britanniæ partibus necdum Chriſti fidem ſuſcepiſſe, ad Epiſcopatus gradum Ninianum conſecravit, eumque Auſtralibus Pictis Apoſtolum deſtinavit, ut pluribus perſequitur Uſſerius. Niniani autem memoria die 16. Septemb. Martyrologio Rom. recolitur. Celeberrimus hac etiam ætate fuit S. Nicetas Dacum Apoſtolus, & Epiſcopus, quem in veteri Dacia ultra Danubium poſita, Epi-

Ninianus Pictonum Apoſtolus.

*Uſſer. antiq. Britann. cap. 15. pag. 661. & ſeqq.*

JESU CHR. AN. 396.

S. Nicetas Dacorum Apoſtolus, & Epiſcopus.

*Bar. 370. n. 116.*
*Bell. die 7. Januarii Pag. ad an. 396. n. 5. 6.*
*Paul. car. 15. p. 4. 13. edit. Murat.*

ſcopum fuiſſe Baronius, & Bollandus ſcribunt; novæ tamen Daciæ, & Romatianæ urbis Epiſcopus fuit, ut ex Holſtenio, aliiſque probat Pagius, ac Beſſis, & Getis, ſeu Gothis evangelium prædicaſſe, Paulinus ſuo carmine tradit; nam cum Nolam ad natale S. Felicis circa annum 398. occurriſſet, in Daciam iterum profecturus, eleganti poemate Paulinus ejuſdem virtutes, ac in barbaras gentes Apoſtolatum celebravit.

JESU CHRISTI AN. 397. SIRICII PAPÆ 14.
ARCADII IMP. 15. ET 3. HONORII IMP. 5. ET 3.
COSS. CÆSARIO, ET ATTICO.
OLYMP. 294. AN. 1. URBIS AN. 1150.

Ambroſ. Mediolan. Epiſc. obitus, quo anno obierit.

*Martyr. Rom. die 4. Aprilis. Paul. Ambr. vita n. 48.*

1. Qui ſequitur Chriſti annus 397. conſulatu Cæſarii, & Attici obſignatus, ob Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi obitum, Italiæ lugubris fuit, cujus ad Deum tranſitum die quarta Aprilis Martyrologia alligant, & quidem in pervigilio Paſchatis, die ſcilicet Aprilis quinta, nam ut ait Paulinus narrata ejus morte: *Atque inde ad eccleſiam majorem, antelucana hora, qua defunctus eſt, corpus ipſius portatum eſt, ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in Paſcha*, tum ſubdit: *Luceſcente die Dominico*, Paſchatis ſcilicet, *cum corpus ipſius, peractis ſacramentis divinis, de eccleſia levaretur, portandum ad baſilicam Ambroſianam, in qua poſitum eſt*. Carthaginenſe concilium Kal. Septemb. hoc anno Coſſ. Cæſario, & Attico, habitum, canone 48. ſtatuit: *De Donatiſtis placuit, ut conſulamus fratres, & conſacerdotes Siricium, & Simplicianum*. Hic porro Ambroſii ſucceſſor fuit, cujus electionem Africanis Patribus eo tempore jam innotuerat. Quare hunc annum Ambroſio ultimum fuiſſe, una cum Pagio eruditorum plurimi probant, quod ex dicendis infra clarius etiam conſtabit, ac Marcellinum in chronico erraſſe patet, dum Ambroſii obitum ad ſequentem annum alligavit *Coſſ. Honorio quartum, & Eutychiano*, quem immerito ſecutus eſt Heuſchenius in exercitatione *de anno, & die mortis S. Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis*. His de die, & anno quo Ambroſius obiit, prænotatis, quæ ejuſdem obitum præceſſerint, aut ſecuta ſint, videamus. *Ipſe autem*, inquit Paulinus, *de ſua morte ante prædixit, quod uſque ad Paſcha nobiſcum futurus eſſet, quod quidem meruit Dominum obſecrando, quo maturius hinc liberaretur*.

*Pag. an. 397. n. 19. 20. an. 398. n. 17. & an. 400. n. 2. Ambr. vita a Maur. Bar. an. 397. 35. Baſnag. Murat. aliique. Bell. tom. 1. Aprilis. Paul. Ambr. vita.*

2. An-

JESU CHR. AN. 397.

2. Antequam vero decumberet, cum 43. Pſalmum dictaret, *me excipiente, & vidente, ſubito in modum ſcuti brevis ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipſius, tamquam in domum habitator ingreſſus eſt.* Quod cum fieret, ſtupore perculſus obriguit Paulinus, eoque die ſcribendi, vel dictandi finem fecit Ambroſius, nec ipſum Pſalmum explere potuit. Cumque viſionem Caſto diacono retuliſſet Paulinus, Spiritus Sancti adventum me in illo vidiſſe dixit Caſtus. Hæc de his Paulinus, cujus opera in ſcribendo uti conſueverat, perraro tamen, & neceſſitate cogente, nam paulo ante adnotaverat: *Nec operam declinabat ſcribendi propria manu libros, niſi cum aliqua infirmitate corpus ejus attenuaretur*; quod etiam Ambroſius in epiſtola ad Sabinum Placentinum Epiſcopum confirmat. *Non enim dictamus omnia, & maxime noctibus, quibus aliis nolumus eſſe graves.* Eo autem ſigno S. Ambroſii jam proxime morituri ſanctitatem Deus teſtatam voluit, ac tantum virum non ex humani ſenſus arbitrio, ſed divino etiam edoctum ſpiritu, ſacras expoſuiſſe Scripturas, & hæreticos confutaſſe docuit.

Viſio Paulino oſtenſa.

*Paulin. vita Ambr. n. 38.*

*Ambroſ. epiſt. 47.*

3. De Ambroſii autem ægritudine ſubdit Paulinus, quod cum in infirmitatem incidiſſet, Comes Stilico dixiſſe fertur, ob tanti viri obitum interitum imminere Italiæ. Unde convocatis ad ſe nobilibus viris, quos diligi a ſancto Sacerdote cognoverat, partim interminatus eſt illis, partim blando ſermone perſuaſit, ut pergerent ad ſanctum Sacerdotem, & rogarent ut a Domino longiorem ſibi vitam peteret. Quod ubi Ambroſius audivit, reſpondit: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum *bonum habemus*, mira quidem ſententia, quam Auguſtinus ſenex tamquam *elimata, & librata admirabatur, & laudabat verba*, ut ait Poſſidius. Antequam vero e vivis abiret Ambſoſius, Simplicianum ſibi ſucceſſorem deſignavit; cum etenim Caſtus, Polemius, Venerius, & Felix tunc diaconi, voce ita repreſſa, ut vix invicem ſe audirent, inter ſe tractarent, quis poſt obitum illius Epiſcopus ordinandus eſſet, atque Simplicianum inter alios nominaſſent, Ambroſius approbans exclamavit tertio: *Senex, ſed bonus.* Ingraveſcente interea morbo, ab hora circiter undecima diei uſque ad illam horam, qua emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum Crucis oravit. *Nos autem labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem ſacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cum in ſuperiora domus ſe ad quie-*

Ambroſii ægrotantis digna ſententia, & obitus.

*Poſſid. Auguſt. vita cap. 27.*

 *ſcen-*

JESU CHR. AN. 397. *ſcendum compoſuiſſet, tertio vocem vocantis ſe audivit, dicentiſque ſibi: Surge, feſtina, quia modo eſt receſſurus. Qui deſcendens, obtulit Sancto Domini Corpus: quo accepto ubi glutivit, emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens, ut in virtute eſcæ anima refectior*. Inde ad Eccleſiam majorem antelucana hora corpus ipſius portatum eſt, ibique eadem fuit nocte.

Dæmones præſentia corporis S. Ambroſii cruciantur.

4. Luceſcente autem die dominica, cum corpus illius, peractis ſacramentis divinis, de eccleſia levaretur, portandum ad baſilicam Ambroſianam in qua poſitum eſt, dæmonum turba clamabat, ſe ab illo torqueri, *ut ejulatus eorum ferri non poſſet*, ait Paulinus. Jactabat etiam turba virorum, ac mulierum oraria vel ſemicinctia ſua, ut corpus Sancti aliquatenus ab ipſis contingeretur. His alia ſubdit Paulinus de ejuſdem Ambroſii apparitionibus poſt obitum, tum in Oriente, cum Florentiæ S. Zenobio Florentinorum Epiſcopo, & de auxilio Florentinis præſtito, cum a Radagaiſo obſiderentur, vel cum Maſcegeli in Africa apparuit, cui victoriam adverſus Gildonem tyrannum prædixit, de quibus infra ſuo loco dicturi ſumus. Annum agebat Ambroſius ſexageſimum quartum cum obiit.

*Paul. Ambr. vita n. 49. 50.*

Paulinus Ambroſii vitæ ſcriptor quis fuerit.

5. Ambroſii vitam ſcripſit Paulinus, ex iis quæ ipſemet vidit, dum exceptoris, vel notarii officium gereret, inter clericos Mediolanenſis eccleſiæ ſub Caſti diaconi cura adſcriptus, aut ex Marcellina Ambroſii ſorore, ita ut de ejus fide nulla dubitandi ratio occurrat. Hanc autem Ambroſii vitam, hortante Auguſtino Epiſcopo, ſe ſcripſiſſe teſtatur. *Hortaris Venerabilis pater Auguſtine, ut ſicut beati viri Athanaſius Epiſcopus, & Hieronymus presbyter ſtylo perſecuti ſunt vitas ſanctorum Pauli, & Antonii in eremo poſitorum, ſicut etiam Martini Venerabilis Epiſcopi Turonenſis eccleſiæ Severus ſervus Dei ſermone contexuit, ſic etiam ego Beatiſſimi Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis eccleſiæ meo perſequar ſtylo*. In ejus vitæ fine, ſe in Africa fuiſſe teſtatur, atque ab Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo convivio exceptum narrat. Hunc tamen Paulinum Ambroſii vitæ ſcriptorem cum Paulino Nolano Epiſcopo plurimi confuderunt, etſi inter ſe, & dignitate, & ſtylo plurimum differant, hic enim nec Epiſcopus, nec Presbyter unquam fuit, ſed Diaconus tantum Mediolanenſis eccleſiæ; qui cum in Africa eſſet circa annum 400. ( illuc a Venerio Mediolanenſi Epiſcopo miſſus ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, qui ex concilii Carthaginenſis ſecundi ſententia ab Anaſtaſio Rom. Pontifice,

*Paul. Ambr. vita n. 1.*

*n. 54.*

fice, & Venerio Mediolanenſi Epiſcopo petierat, ex Italia ſubmitti clericos, ad ſupplendam Africanarum inopiam, ut ſuo loco videbimus, ) cum inquam Paulinus in Africa, & Carthagine eſſet, Cœleſtium Pelagii ſectatorem apud Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum oblato libello accuſavit, ut nos monet Marius mercator ipſo ſui Commonitorii initio, ubi poſtquam dixit, Cœleſtium Roma Carthaginem tranſiiſſe, ſubdit: *Ibi de infraſcriptis capitulis apud Aurelium Epiſcopum memoratæ urbis, per libellum a quodam Paulino Diacono Sanctæ memoriæ Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi eſt accuſatus*. Auctor vero Prædeſtinati de eodem Paulino Diacono, ait: *Reſtitit ei*, ideſt Cœleſtio, *quidam Paulinus Diaconus defenſor, & procurator eccleſiæ Mediolanenſis*. Unde unum eumdemque Paulinum Diaconum vitæ Ambroſii ſcriptorem, & Cœleſtii accuſatorem fuiſſe, tradit merito Baronius, cujus ſententiam Garnerius confirmat; cumque idem Paulinus a Mario Mercatore, ab auctore Prædeſtinati, ab ipſo Auguſtino multis poſt annis Diaconus ubique dicatur, hinc erraſſe Iſidorum conſtat, dum Ambroſii vitæ ſcriptorem Paulinum Presbyterum dicit, cum Diaconum fuiſſe ſciamus.

*Marii Mercat. commonit. apud Garnerium.*

*Ba. a. 397. 47. Garnerius in Marium Mercat. loco ſup. Auguſt. contra Pelag. & Cœleſt. lib. 2. cap. 3. 4. 7. Iſid. de vir. Ill. cap. 4.*

De Ambroſii ſcriptis.

6. Rem poſteris non ſolum gratam, ſed etiam perutilem feciſſet Paulinus, ſi, quod in Auguſtini vita præſtitit Poſſidius, una cum Ambroſii vita, catalogum operum ejuſdem texuiſſet; aliquod ſaltem ſolatium, poſt multa ejuſdem deperdita opera, ex eo indice haberemus, atque genuina Ambroſii opera a ſuppoſititiis facilius diſcernerentur, multa etenim Ambroſii opuſcula adhuc deſiderari antiquorum teſtimonio conſtat, ut Catechiſmus ad Fritigildem Marcomannorum Reginam, cujus idem Paulinus in ejus vita meminit. Commentaria etiam adverſus quoſdam, qui de Platonis libris Dominum Jeſum Chriſtum profeciſſe jactabant, ipſum edidiſſe tradit Auguſtinus ad Paulinum ſcribens. Caſſiodorus etiam expoſitiones in Prophetas, & homilias in ſapientiam Salomonis; in omnes quoque Pauli epiſtolas commentarium ſcripſiſſe Ambroſium idem teſtatur, quod quidem commentarium in Pauli epiſtolas Caſſiodori tempore deperditum erat. De Ambroſii ſcriptis hæc in ſuo catalogo adnotaverat Hieronymus, dum adhuc Ambroſius viveret: *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus uſque ad præſentem diem ſcribit, de quo quia ſupereſt, meum judicium ſubtraham, ne in alterutram partem, aut adulatio in me repreben-*

*Auguſt. epiſt. 31. n. 8. Caſſiod inſt. divin. lect. lib. 1. cap. 3. 5.*

*Hier. de vir. Ill. cap. 124.*

JESU CHR. AN. 397.

*bendatur, aut veritas*. In præfatione autem ad Didymi librum de Spiritu Sancto, quem in latinum Hieronymus reddidit, Ambroſii libros de Spiritu Sancto ſuppreſſo nomine hac cenſura notavit. *Malui alieni operis interpres exiſtere, quam, ut quidam faciunt, informis cornicula alienis me coloribus adornare. Legi dudum cujuſdam libellos de Spiritu ſancto, & juxta comici ſententiam, ex Græcis bonis, latina vidi non bona. Nihil ibi Dialecticum, nihil virile, nihil diſtrictum, quod lectorem vel ingratiis ad adſcenſum trahat, ſed totum flaccidum, molle, nitidum atque formoſum, & exquiſitis hinc inde odoribus (ſive coloribus) pigmentatum; Didymus vero meus oculum habens ſponſæ... Qui hunc legerit, latinorum furta cognoſcet, & contemnet rivulos, cum cœperit haurire de fontibus*. His verbis Ambroſium ejuſque de Spiritu Sancto libros a Hieronymo notatos fuiſſe, ea potiſſimum ratione ſcimus, quod Didymi libros de Spiritu Sancto ſuos quodammodo fecerit Ambroſius, ex iiſque in ſuos multa derivaverit, ut Maurini editores in Ambroſii libros de Spiritu Sancto adnotarunt. Sed de Ambroſii operibus genuinis, ammiſſis, deperditis, ac ſuppoſititiis cetera apud eruditos editores videantur. Hoc unum adnotandum ſupereſt, hoc eodem tempore alium Ambroſium vixiſſe, cujus in libro de viris Illuſtribus his verbis Hieronymus meminit. *Ambroſius Alexandrinus auditor Didymi ſcripſit adverſus Apollinarium volumen multorum verſuum de dogmatibus, & ut ad me nuper quodam narrante perlatum eſt, commentarios in Job., qui uſque adhuc ſupereſt*. Ambroſio vero Mediolanenſi Simplicianus ſucceſſit, de cujus geſtis infra.

*Hier. præfat. in libros Didymi, tom. 2. edit. Ver. p. 186.*

*Ruff. lib. 2. invect. in Hieronym.*

*Ambr. op. to. 4.*

*Hier. de vir. Illuſt. ca. 126.*

Martyrium Siſinnii, Martyrii, & Alexandri.

7. Duobus ab Ambroſii obitu vix elapſis menſibus, in valle Auſonia Tridentini agri Siſinnius Diaconus, Martyrius lector, & Alexander Oſtiarius, ad prædicandum evangelium a Vigilio Tridentino Epiſcopo illuc miſſi, martyrio coronati fuut, de quibus extat Vigilii Epiſcopi epiſtola ad Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum, & alia ad Joannem Chryſoſtomum, a Papebrochio ad diem 29. maji vulgata, quam deperditam crediderat Baronius; in his epiſtolis *dies paſſionis Sanctorum quarto Kal. Junias feria ſexta* notatur, quo charactere ſcimus labente hoc anno, quo quarto Kal. Junii, cum feria ſexta concurrit, non vero anno 400, ut Baronius ſcripſit, hæc contigiſſe. Paulinus etiam Diaconus non multo poſt Ambroſii obitum, martyrium eos ſubiiſſe narrat his verbis: *Siſin-*

*Ruinart. act. mart. p. 684. Boll. die 29. Maii Bar. an. 400. n. 7. Bar. an. 400. n. 2. Pag. n. 2. ad an. 400. Baſnag. ann. 397. n. 6. Paul. Ambr. vita in fine.*

*Siſinnii etiam*, *Martyrii & Alexandri martyrum*, *qui noſtris temporibus*, *hoc eſt poſt obitum S. Ambroſii in Ananniæ partibus*, *perſequentibus gentilibus viris*, *martyrii coronam adepti ſunt*. De horum Martyrum geſtis, & paſſione cum multa Vigilius Epiſcopus ſuis epiſtolis ad Simplicianum, & ad Joannem Chryſoſtomum aliquot poſt annos datis referat, ne longiores ſimus, præcipua tantum excribimus. Siſinnius itaque natione Cappadox dicitur, ac primus, qui Barbaris Annonias alpes incolentibus Chriſti notitiam intulit, ac Diaconatus officio fungens, ceteros martyrio præceſſit, cui Martyrius lector ſociatus eſt. Hic poſt militiam temporalem, militari abjecto cingulo, cum baptiſmum ſuſcepiſſet, ac lector ordinatus eſſet, pietatis operibus totus ſeſe dicavit. Alexander vero, qui oſtiarii munere fungebatur, cum & ipſe patriam, parenteſque deſeruiſſet, eorum martyrio ſociari meruit; cum etenim Siſinnius ſuis ſumptibus eccleſiam ibidem erexiſſet, ibique divina celebraret, eo tempore, ideſt deſinente Majo, cum ethnici ſegetum luſtrationes peragerent, quas ambarvalia noncupabant, eo quod rura circumeundo ambiebant, ut Virgilius in Georgicis: *Et cum luſtrabimus agros*; *Terque novas circum felix eat hoſtia fruges*, cum vero contribulem quemdam, qui nuper Chriſti fidem ſuſceperat, cogerent, ut ad ſacrificium victimam daret, in ejuſdem defenſionem occurrerunt viri Dei, eorum impietatem redarguentes. Quare Gentilium furor in eos converſus eſt, ac eum, qui primum locum tenebat, Siſinnium ſcilicet, tuba percuſſum ſecuribuſque confoſſum, exanimem pene reliquerunt; ſequentis autem diei mane diluculo rurſum ruſtici in Eccleſiam irrumpentes, ut eam demolirentur, Martyrium curæ Siſinnii jam proxime Deo ſpiritum redditurí intentum aggreſſi ſunt, eumque pluribus affectum vulneribus ad idolum vinculis ligatum adduxerunt una cum Alexandro, & Siſinnio, cui etiam ludibrii cauſa velut juvenco tintinnabulum collo appenderunt. At Siſinnius, inter ſalutaria verba fruſtra jactata, in via deficiens, martyrio coronatus eſt, cui Martyrius, vulneribus acceptis factus exanguis, eadem corona auctus in Cœlum tranſiit. Alexander vero vinctus pedibus, per vepres ſaxaque raptatus pervenit ad templum: ubi accenſa pira, injectis in eam ſanctorum Martyrum cadaveribus, optio ei data eſt, ſi vellet ignem evadere, una cum ipſis ſacra faceret. Oblatam conditionem reſpuens, in ignem injectus, ſumma conſtantia

*Ruinart. act. mart. p. 684.*

*Virg. Geor. 2.*

Jesu Chr. an. 397.

ta, ſed etiam tot caracteribus deſignata, ut in ea erraſſe inveroſimile vix ſit, ceteris probabilior cenſenda eſt. De Martini itaque obitu hæc Turonenſis adnotat: *S. Martinus octogeſimo & primo ætatis ſuæ anno, Epiſcopatus autem 26. apud Candatenſem eccleſiæ ſuæ vicum excedens e ſeculo feliciter migravit ad Chriſtum, tranſiit autem media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæſarioque Coſſ.* Accurata hæc annorum vitæ & Epiſcopatus S. Martini, ac Conſulum nomina rem fere certam efficiunt, noſtro quidem judicio; itaut, ſi alibi idem Gregorius his contraria tradidiſſe videatur, veluti cum a Martini obitu uſque ad Clodovei mortem annos numerat 112: *A Tranſitu ergo S. Martini uſque ad tranſitum Clodovei Regis, qui fuit undecimus annus Epiſcopatus Licinii Turonici, ſupputantur anni centum duodecim*, quo caſu anno 400. obiiſſet S. Martinus; cum ſupra Attico Cæſarioque Coſſ. eum obiiſſe tradat, in numeris mendum irrepſiſſe dicendum ſit. Hinc ab anno Martini ultimo uſque ad annum ultimum Clodovei loco annorum 112. centumdecem legendum eſt, qua retenta lectione, mors Martini cum anno labente facile componitur, ſi incompleti numerentur: quod etiam ex Turonenſium Epiſcoporum ſerie, ab ipſo Gregorio tradita, & ex annis, quibus unuſquiſque eorum ſedit, clarius patet, de quibus apud eruditos viros, & maxime apud Pagium, & Sulpicii editorem plura videri poſſunt.

*Greg. Turon. hiſt. Franc. li. 2. 47.*

*Greg. lib. 2. cap. 43. Tille. not. 11. 12. in S. Mar. Bayl. die 11. Novemb. Baſnag. an. 397. n. 3. Pag. epiſt. ad Noriſium apparat. ad annal. Bar. pag. 263. & ann. 375. not. 6. a Prato diſſer. 1. & 2. in Sulp. Sever. tom. 1. edit. Veron.*

10. Sancti viri ad Deum tranſitum in epiſtola ad Baſſulam ſocrum ſuam narrat Sulpicius, ex quo præcipua ſubjicimus. Itaque cum ad Condatenſe Diœceſis ſuæ oppidum tranſiiſſet, ut diſſidentes ejus loci clericos inter ſe reconciliaret, etſi dierum ſuorum finem adeſſe non ignoraret, *cum jam regredi ad monaſterium cogitaret, viribus corporis cœpit repente deſtitui, convocatiſque diſcipulis indicat ſe jam reſolvi. Tum vero mœror, & luctus omnium, vox una plangentium: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Scimus quidem te deſiderare Chriſtum, ſed ſalva tibi ſunt tua præmia, nec dilata minuentur, noſtri potius miſerere, quos deſeris.* His ille vocibus motus lacrymaſſe perhibetur, converſuſque ad Dominum, hæc dixiſſe: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Cum autem magno febrium ardore laboraret, ac in cinere & cilicio recubaret, a diſcipulis rogatus, ut ſaltem vi-

De obitu S. Martini.

*Sulp. epiſt. ad Baſſulam tom. 1. p. 50. edit. Veron.*

Jesu Chr. an. 397.

lia ſibi fineret ſtramenta ſupponi. *Non decet*, inquit, *filii, Chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori*, & oculis ac manibus in cœlum intentus, invictum ab oratione ſpiritum vix relaxabat, itaut inſtante jam morte cum Diabolum adſtantem vidiſſet: *Quid hic*, inquit, *adſtas cruenta beſtia? nihil in me, funeſte, reperies*; ac cum hac voce ſpiritum reddidit, ait Sulpicius de S. Martini pretioſa morte.

De S. Martini funere, & ſepultura.

11. Martini autem funus triumpho pene ſimile fuit, nam, Sulpicio teſte, tota fere civitas obviam corpori facta eſt, cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam urbibus adfuerunt. Monachorum præcipue tanta frequentia fuit, ut ad duo millia conveniſſe credatur. Virginum quoque chorus adſtabat, cuncti denique omnis ætatis, ſexus, & conditionis cives triſtes quidem, quod tanto Paſtore orbati remanſiſſent, læti tamen, cum eum ad Dominum tranſiiſſe certo crederent; eaque pompa beati viri corpus uſque ad locum ſepulturæ cum hymnorum cantu deductum eſt. Atque ita *Martinus hic pauper, & modicus Cœlum dives ingreditur, illinc nos ut ſpero cuſtodiens, me hæc ſcribentem reſpicit, te legentem*, ajebat ad Baſſulam Sulpicius, qui Beati viri ad Cœlum tranſitum abſens corpore per viſum novit, ut in epiſtola ad Aurelium Diaconum narrat. De Martini ſepultura Pictavienſes, & Turonenſes inter ſe certaſſe, narrat Gregorius Turonenſis. Pictavi etenim dicebant, apud nos primum *Abbas extitit*; reſpondebant Turonenſes, *nobis a Deo donatus eſt, & primum ei monaſterium cum Mediolanenſibus fuit*. Dum inter ſe litigarent, adveniente nocte, cum gravi ſomno Pictavienſes ſeſe dediſſent, Turonenſes opportuna occaſione uſi, *Sanctiſſimi corporis glebam per feneſtram ejiciunt*, & per Tihennam ingreſſi Ligerim, Turonenſi civitati intulerunt, ait Gregorius Turonenſis. Martini geſta, vitam, & miracula Sulpicius Severus ejus diſcipulus expoſuit in libro de Martini vita, & in dialogis, cujus imaginem, una cum Paulini Nolani Epiſcopi effigie, cum prope fontem ſacrum poſuiſſet Sulpicius, hos ea de cauſa ad eum verſus Paulinus miſit:

*Sulp. Sev. ep. ad Aurel. tom. 1. p. 45. Greg. Turon. lib. 1. cap. 47.*

*Paul. epiſt. 32. ad Sulp. edit. Murat. pag. 195.*

*Abluitis quicumque animas, & membra lavacris,*
*Cernite propoſitas ad bona facta vias.*
*Adſtat perfectæ Martinus regula vitæ.*
*Paulinus veniam quo mereare docet.*

*Hunc*

*Hunc peccatores, illum ſpectate beati,*
*Exemplar ſanctis ille ſit, iſte reis.*



Carmine vero altero hæc iterum:

*Dives opum, Chriſto pauper, ſibi pulchra Severus*
*Culmina ſacratis fontibus inſtituit.*
*Et quia cœleſtes aulam condebat in actus,*
*Qua renovarentur fonte Deoque homines:*
*Digna Sacramenti gemina ſub imagine pinxit,*
*Diſceret ut vitæ dona renatus homo.*
*Martinum veneranda viri teſtatur imago:*
*Altera Paulinum forma refert humilem.*

Venantius etiam Fortunatus libris quatuor Martini vitam narravit, ac ſe ab oculorum morbo ſanatum fuiſſe refert, dum ex oleo lampadis, quæ ante ejus imaginem ardebat, eos unxiſſet; unde: *Venant. Fort. carm. de vita S. Martini.*

*Hic paries retinet Sancti ſub imagine formam,*
*Amplectenda ipſo dulci pictura colore:*
*Sub pedibus juſti paries habet arte feneſtram;*
*Lychnus adeſt, cujus vitrea natat ignis in urna.*
*Huc ego dum propero, valido torquente dolore,*
*Diffugiente gemens oculorum luce feneſtris:*
*Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,*
*Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit, &c.*

De doctrina S. Martini id unum adnotare ſufficiet, ſi Sulpicio fides habenda eſt, eum in ea opinione fuiſſe, ut crederet, in ſeculorum fine cum Antichriſto Neronem quoque venturum, qui perſecutionem adverſus Sanctos in Occidente inſtaurabit; Antichriſtus Hieroſolymis adverſus Chriſtianos perſecutionem excitabit, donec ambos Jeſus Chriſtus adventu ſuo, eorumque regnum extinguet: hæc tamen, quæ de Martini doctrina Sulpicius adnotat, etſi vera ſint, nævi potius, quam maculæ ſunt, quos abundans charitas texit. Succeſſorem in Turonenſi Epiſcopatu Britium habuit, qui quartus inter Turonenſes Epiſcopos a Gregorio Turonenſi numeratur. Martini vero Turonenſis Epiſcopi memoria, quinto ineunte ſeculo, die undecima novem- **Martini Turon. Epiſc. memoria quinto ſeculo celebrata.**

JESU CHR. AN. 397. Hard. concil. tom. 1. p. 794. novembris celebratam fuiſſe conſtat ex ſynodo Turonenſi: *Severino viro Clariſs. conſule die 18. Kal. Decemb. cum ad ſacratiſſimam feſtivitatem, quo Domini Martini receptio celebratur in civitate Turonorum, Sanctiſſimi Sacerdotes veniſſent &c.* Sed de his hactenus.

De Synodo tertia Carthaginenſi. Hard. concil. tom. 1. p. 960. 12. Carthaginenſis ſynodus tertia hoc anno celebrata eſt, ut ex præfatione conſtat: *Cæſario, & Attico VC. Coſs. quinto Kal. Septemb. Carthagine in ſecretario baſilicæ Reſtitutæ, cum Aurelius Epiſcopus conſediſſet, adſtantibus etiam Diaconibus conſtituta ſunt hæc, quæ in præſenti concilio definita ſunt.* Antequam vero editos ibidem canones ſubjiciamus, adnotandum eſt, Reſtitutæ baſilicam ex eo dictam, vel quod a Donatiſtis aliquando occupata, Catholicis poſtea reddita fuerat, vel ſic dicta, eo quod Reſtitutæ Martyris reliquiæ ibidem reconditæ eſſent: utraque porro conjectura ſua probabilitate non caret; Baronio prima magis arridet, Baſnagio econtra ex Reſtituta Martyre Baſilicam eo titulo ornatam fuiſſe ait; ſed in incerto rem dubiam relinquimus. Epiſcopi quadraginta quatuor ſynodo ſubſcripſerunt, quibus Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus præfuit: inter eos Auguſtinus legitur, cujus conſilio, & opera quamplurima ibidem ad eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam ſtatuta fuiſſe non eſt dubitandum. Canones quinquaginta editi ſunt, quorum hæc eſt ſumma. Canone primo, omnes Africanæ provinciæ Epiſcopi ab eccleſia Carthaginenſi obſervationem Paſchalem curent accipere, ut eadem die feſtum ubique celebretur. 2. Singulis annis propter cauſas eccleſiaſticas concilium celebretur, ad quod omnes provinciæ binos ſaltem epiſcopos mittant, de Tripoli autem propter inopiam Epiſcoporum ſaltem unus adſit. 3. Epiſcopis, vel clericis ordinandis decreta conciliorum ab ordinatoribus ſuis intimentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta concilii feciſſe probentur. 4. lectores populum non ſalutent, nec ante annum 25. clerici ordinentur. 5. Per ſolemniſſimos Paſchales dies ſacramentum catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal, quia ſi fideles per illos dies ſacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutare. Sacramenti nomine, quo catechumeni paſchalibus etiam feſtis arcentur, fidei ſymbolum fuiſſe ait Baronius, itaut hic ſit canonis ſenſus; qui paſchalibus feſtis adhuc catechumeni ſunt, ſymboli traditione ad competentium claſſem non transferantur. Alii Eulogias, vel etiam Euchariſtiam catechumenis dari eo canone vetitum fuiſ-

Mart. Rom. die 17. Maii. Bar. an. 397. 54. Baſnag. 397. 7.

Summa canonum concilii Carthag.

Aug. de ſymb. ad catech. lib. 2. 3. 4. Bar. an. 397. 17.

Digitized by Google

fuiſſe ajunt. Baronii, & Nat. Alexandri expoſitio veroſimilior videtur, nam Euchariſtiam catechumenis datam fuiſſe, nullibi legimus, ut id canone prohiberi opus fuerit. 6. Euchariſtiam, aut baptiſmum mortuis dare vetat. 7. Quiſquis Epiſcopum accuſare voluerit, apud Primatem provinciæ cauſam deferat, interea Epiſcopus, cui crimen intenditur, a communione non ſuſpendatur; ſi intra bimeſtre ad dicendam cauſam vocatus, non occurrerit, tandiu non communicet donec purgetur; ſi nec ad univerſale anniverſarium concilium occurere voluerit, ut vel ibi cauſa ejus terminetur, ipſe in ſe damnationis ſuæ ſententiam dixiſſe judicetur: accuſator etiam ſi ſtatuta die defuerit, a communione removeatur. 8. Si presbyteri, vel diaconi fuerint accuſati, Epiſcopi eorum cauſas diſcutiant; ita tamen ut Epiſcopi quinque presbyteri cauſam judicent; duo vero ſi Diaconus accuſatus fuerit; reliquorum vero cauſas ſolus Epiſcopus loci cognoſcat, & finiat. 9. Si Epiſcopus Presbyter, aut Diaconus, relicto eccleſiaſtico judicio, ad ſeculare confugerit, locum ſuum amittat, etiamſi pro eo fuerit ſententia prolata, in civili vero cauſa perdat quod acquiſierat, ſi locum ſuum obtinere voluerit. 10. Judicibus inferioribus non obſit, cum a majoribus judicibus, ad quos fuerit provocatum, eorum fuerit ſententia ſoluta. 11. Epiſcoporum, aut clericorum filii ſpectacula nec exhibeant, nec iis adſint, quandoquidem ſpectacula chriſtianis omnibus prohibita ſunt. 12. Epiſcoporum, & clericorum filii aut filiæ cum ſchiſmaticis, hæreticis, aut ethnicis matrimonia non ineant. 13. Epiſcopi, & clerici nil per donationem conferant iis, qui catholici non ſunt, etiamſi conſanguinei fuerint.

Jesu Chr. an. 397. *Nat. Alex. ſec. 4. cap. 4. art. 9. Baſna. 397. n. 8.*

13. 14. Clerici filios ſuos non emancipent, niſi de moribus eorum fuerint, & ætate ſecuri. 15. Clerici nec conductores ſint, nec procuratores, neque turpi negotio victum quærant. 16. Clericorum nemo amplius accipiat, quam quod comodaverit. 17. Cum Clericis fœminæ extraneæ non habitent, illis exceptis, quæ ex domeſtica neceſſitate cum eis antequam ordinarentur habitabant. 18. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi non ordinentur, priuſquam domeſticos omnes Catholicos fecerint. 19. Lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur uxores ducere, aut continentiam profiteri. 20. A nullo Epiſcoporum uſurpentur plebes alienæ. 21. Clericum alienum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere;

Ceteri canones Carth. ſynodi.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 397. re, vel promovere. 22. Nullus ordinetur Clericus, niſi probatus, vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio. 23. Nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, & cum altari aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio. 24. Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam panis & vinum aqua mixtum. 25. Clerici vel continentes ad viduas, vel virgines non accedant, niſi permiſſu Epiſcopi, & Presbyterorum, præſentibus etiam Clericis, aut gravibus viris. 26. Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus. Ad inſinuandam Epiſcopis humilitatem aptiſſima hæc quidem ſtatuta ibidem fuiſſe adnotant eruditi viri: ceterum in ſola Africana
*Baſna. 397. 9.* eccleſia hunc canonem viguiſſe Baſnagius obſervat; nam aliis in locis eo titulo paſſim donabantur Epiſcopi, quam diſcipli-
*Bar. 397. 59.* nam *ſchola imperitorum*, ut ait Baronius Centuriatores denotans, *eum canonem magno præconio extulit, quo ſancitum dixerunt, ne Romanus Pontifex univerſalis appellaretur*, cum econtra in Eccleſia vetus mos fuerit, ut Epiſcopi non ſolum primarum ſedium, quibus alii Epiſcopi ſuberant, ſed etiam Epiſcopi, quibus jus nullum extra Diœceſim erant, dicerentur nedum Pontifices, ſed & ſummi Pontifices, ſummi Sacerdotes, eo quod Epiſcopatus ſummum Sacerdotium diceretur, ut innumeris exemplis conſtat; in Africanis autem eccleſiis primarum ſedium Epiſcopi Primates dicti ſunt. Canone 27. decernitur, ne clerici bibendi cauſa tabernas ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi. 28. Epiſcopi trans mare non proficiſcantur inconſulto Primate, a quo formatam ſeu commendatitiam ſumant. 29. Sacramenta altaris nonniſi a jejunis celebrentur, excepto die, quo cœna Domini celebratur; ſi alicujus defuncti commemoratio facienda ſit pomeridiano tempore, ſolis orationibus fiat ab iis qui pranſi ſunt. 30. Epiſcopi vel clerici in eccleſia non conviventur, niſi forte hoſpitiorum neceſſitate tranſeuntes illic reficiantur. Populi etiam ab hujuſmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur. Eam conſuetudinem, ſeu
*An. 396.* potius corruptelam ab Hipponenſi eccleſia abſtulerat Auguſtinus, ut ſupra diximus anno proximo, eamque ab omni Africana Eccleſia extirpare cupiebat, qua de cauſa cum adhuc presbyter eſſet, ad Aurelium Epiſcopum ſtatim ac illum in Car-
*Auguſt. ep. 22.* thaginenſi ſede collocatum audierat, ſcripſit, rogans ut ab Africa-

fricanis eccleſiis eam fœditatem auctoritate conciliorum auferret. 31. Pœnitentiam agentes arbitrio Epiſcopi relinquuntur. 32. Presbyter inconſulto Epiſcopo pœnitentem non reconciliet, niſi abſente Epiſcopo, vel neceſſitate cogente; ob crimen publicum, quod tota novit Eccleſia, pœnitenti ante abſidem manus imponantur, 33. Virgines Deo dicatæ defunctis parentibus in monaſterio Virginum collocentur, vel gravioribus fœminis commendentur, ne vagantes lædant Eccleſiæ exiſtimationem. 34. Ægrotantes, qui per ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſecum ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur. 35. Hiſtrionibus, Apoſtaticiſque converſis reconciliatio non negetur. 36. Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret, chriſma vero nunquam conficiat. 37. Clerici niſi juſta de cauſa in aliena civitate non immorentur. 38. Quod in Capſenſi plenaria Synodo fuerat ſtatutum, non fiant rebaptizationes, reordinationes, translationes Epiſcoporum. 39. Non minus quam ab Epiſcopis tribus Epiſcopus ordinetur. Honoratus & Urbanus petebant, ut a duodecim Epiſcopis ordinatio perageretur; quorum poſtulationi interceſſit Aurelius, quia in Tripoli Epiſcopi erant quinque tantummodo. 40. Dum Epiſcopus eligitur, ſi contradicatur, quinque Epiſcopi conveniant. 41. Ut per ſingulos annos Epiſcopi ad Concilium convenientes, de Paſchali ſolemnitate a Primate ſuo informentur. 42. Ut non accipiat alium Epiſcopum plebs, quæ in Diœceſi ſemper ſubjacuit, niſi conſenſu Epiſcopi. 43. Qui ad Concilium venire detrectant, & plebem, & honorem amittant. 44. Ut Clericum alienum nullus ſibi præſumat Epiſcopus ordinare. 45. Ut Epiſcopus, qui plures habet Clericos, ei qui eget, ad ordinandum poſtulatus largiatur. 46. ut Epiſcopus eam tantum plebem regat, in qua ordinatus fuit.

De ſacrarum Scripturarum canone.

14. Canone tandem 47. ſtatutum eſt, ut præter Scripturas canonicas nihil in eccleſia legatur ſub nomine Scripturarum divinarum; canonem deinde ſacrorum librorum ſubtexunt, eumdem omnino cum eo, quem Innocentius primus, & Gelaſius Rom. Pontifices, ac poſtmodum Tridentina ſynodus conſcripſerunt. Quapropter Lutherani, & Calviniſtæ, qui ſacrarum Scripturarum catalogum decurtarunt, non ſolum a Tridentina ſynodo, ſed a Carthaginenſi etiam hoc anno habita, cui Auguſtinus cum Epiſcopis Africanis 46. adfuit, erraſſe convincuntur. Incaſſum itaque ingenium ſuum torquet Baſnagius, ut hunc canonem

*Innocent. ad Exuperium ep. apud Coutan. Gelaſ. in decreto de lib. canon. & Apocryp. Trid. ſynod ſeſſ. Baſnag. ann. 397. n. 9.*

Jesu Chr. an. 397. nonem, aut cum antiquitate pugnare oſtendat, vel adhibita diſtinctione exponere, itaut canonicorum librorum duo ſint genera, quorum alii proprie & ſtricto ſenſu, alii lato modo canonici dicantur, eo quod legentibus utilitatem afferant, cujuſmodi generis canonicos dictos fuiſſe aſſerit libros Tobiæ, Eſther, Judith, & duos Machabæorum; nam hæc diſtinctio cum apud antiquos nullibi legatur, novitate ſua corruit, atque Novatorum temeritatem magis magiſque arguit. Ad reliquos ſynodi canones redimus. 48. De Donatiſtarum filiis penes ipſos baptizatis, an parentum errore prohibendi ſint ſacris altaribus miniſtrare, conſulantur fratres, & conſacerdotes noſtri Siricius Rom. Pontifex, & Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, 49. Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi nihil habentes dum ordinantur, quidquid in eccleſiaſtico miniſterio poſiti acquiſierint, eccleſiæ ſit. Tandem Aurelius Epiſcopus rogavit, ut cuncti ſynodi decretis ſubſcriberent, quod & factum eſt, ut canone quinquageſimo, & ultimo legitur; ſed de Carthaginenſi ſynodo hactenus.

Auguſtini cum Fortunio collatio. *Bar. an. 412. n. 10. 11. Baſnag. 412. n. 5. Auguſt. vita lib. 4. 14. Pag. not. 6. ad an. 412. Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 8. tom. 1. pag. 355. edit. Veron. hiſt. Donat. part. 2. cap. 10. tom. 4. pag. 463. Auguſt. ep. 44.*

15. Hoc etiam anno cum Auguſtinus una cum Alypio Cyrtham pergeret, ut Fortunati ordinatione intereſſet, Tuburcio tranſiens, cum Fortunio Donatiſtarum Epiſcopo collationem habuit, quam etſi ad annum 412. alligaverint viri eruditi, ad labentem tamen pertinere adnotant poſt Maurinos S. Auguſtini editores Pagius, & Noriſius, multiſque argumentis confirmant. Erat autem Fortunius inter Donatiſtas Epiſcopos ob gravem ætatem, ac animi moderationem clarus, quem Auguſtino Glorius, Eleuſius & Felix Donatiſtæ plurimum commendaverant, viciſſim vero apud Fortunium perhonorificam de Auguſtino mentionem fecerant. Itaque cum illic eſſet Auguſtinus, ac Fortunio intimaſſet, ſe cupere eum videre, nec Fortunius abnuiſſet, ad eum Auguſtinus abiit, *quia ætati ejus*, inquit, *id a nobis deferendum videbatur, potius quam exigendum, ut ipſe ad nos veniret prior*. Cum autem Thuburbico vulgatum eſt, quod ad Fortunium perrexiſſet Auguſtinus, non parva turba tanquam ad ſpectaculum confluxit. *Quapropter*, ſubdit Auguſtinus, *nec ſilentium nobis præbere, nec intenta nobiſcum atque modeſte ſaltem & ordinate colloqui potuerunt, exceptis ( ut dixi ) paucis, quorum religioſa & ſimplex apparebat intentio. Itaque libere pro ſui cujuſque animi motu immoderate loquentium, omnia ſtrepitu turbabantur, nec evincere ſive nos, ſive*

*ſive ipſe rogando, interdum etiam objurgando potuimus, ut nobis modeſtum ſilentium præberetur. Res tamen utcumque agi cœpta eſt, & aliquot horas in alterno ſermone protraximus, quantum vocibus interquieſcentibus varie tumultuantium ſinebamur. Sed in ipſo diſputationis exordio, cum videremus ea quæ dicebantur, ſubinde labi de memoria vel noſtra, vel eorum, quorum ſalutem maxime curabamus, & ut eſſet nobis cautior, modeſtiorque tractatio, ſimul ut & vos atque alii fratres, qui abſentes erant, quid inter nos actum eſſet, legendo cognoſceretis, poſtulavimus, ut a Notariis verba noſtra exciperentur. Ubi diu ab illo, vel ei conſentientibus reluctatum eſt, poſtea tamen ipſe conceſſit. Sed Notarii qui aderant, atque id ſtrenue facere poterant, neſcio qua cauſa excipere noluerunt. Egimus ſaltem, ut fratres, qui nobiſcum erant, quamquam in hac re tradius poſſent, exciperent; pollicentes nos ibi eaſdem tabulas relicturos. Conſenſum eſt. Cœperunt verba noſtra excipi, & aliqua ab invicem ad tabulas dicta ſunt. Poſtea inordinatas obſtrepentium interpellationes, & propterea noſtram quoque turbulentiorem diſputationem Notarii non valentes ſuſtinere, ceſſerunt, nobis ſane non deſiſtentibus, & ut cuique facultas dabatur, multa dicentibus. Ex quibus omnibus verbis noſtris, quantum recordari potui cauſæ totius actionem, dilectionem veſtram fraudare nolui. Poteſtis enim ei litteras meas legere, ut vel approbet, vera me ſcripſiſſe, vel ipſe vobis, ſi quid melius recolit, incunctanter inſinuet.* Cum inde propius ad rem veniſſent, Auguſtinum primo laudavit Fortunius, ut ab Eleuſio, Glorio, & Felice didicerat, addiditque eum *bene facere potuiſſe, ſi in Eccleſia feciſſet*. Unde de Eccleſia primo diſputatum eſt; cumque ubique terrarum communionem ſuam eſſe dixiſſet Donatiſta, repoſuit merito Auguſtinus, utrum communicatorias epiſtolas, quas formatas dicimus, ubique dare poſſet, aut accipere; quod cum manifeſto probare non poſſet, ad alia orationem tranſtulit Donatiſta, ad ea ſcilicet, quæ paſſim Catholicis objicere Donatiſtæ ſolebant, de Pſeudo-Prophetis, de perſecutionibus, quas innocenter ſe ſuſtinere gloriabantur, epiſtoſtolam deinde pſeudo Sardicenſis concilii ad Donatum datam protulit, aliaque hinc inde objecta ſunt, quæ minus ad rem pertinent, quæque apud Auguſtinum otio lector videre poteſt. Ceterum cum Cirtham properaret Auguſtinus, ad Donatiſtas ſcribens, collationis habitæ rationem reddidit, quos his

JESU CHR. AN. 397. Epiſt. 44. c. 6.

hortatus eſt verbis. *Unde vos hortor & obteſtor per Domini ſanguinem, ut eum promiſſi ſui commoneatis, & gnaviter inſtetis, ut res cœpta peragatur, quam prope ad finem perveniſſe jam cernitis. Quantum enim arbitror, difficillime poteſtis invenire in epiſcopis veſtris tam utilem animum & voluntatem, quam in iſto ſane perſpeximus. Poſtero enim die ipſe ad nos venit, & hæc iterum quærere cœperamus. Sed quia ordinandi Epiſcopi neceſſitas nos inde jam jamque rapiebat, diutius cum illo eſſe nequivimus*, quare commodiori loco, & tempore de iiſdem ſe cum eo colloquuturum fore promittit: *Unde reſcribite quid de hac re vel vobis, vel illi videatur*. Hactenus Auguſtini epiſtola de collatione cum Fortunio Cirthæ habita, quo cum eſſet, cum Cœlicolarum majore, ſeu Principe, qui novam baptiſmi formam ibidem inſtituerat, colloquium habuit. Is tamen re infecta, *benigne a nobis placideque diſceſſit*, cum utrumque profectionis neceſſitas urgeret.

Auguſtini ep. ad Glorium & alios Donatiſtas.

Epiſt. 43.

16. Ad Eoſdem Glorium, Felicem, ceteroſque Donatiſtas, alteram eodem tempore, aut paulo ante epiſtolam, eamque longiorem, Auguſtinus dederat, qua Donatiſtarum hæreſim confutat, eoſque ut ad unitatem redirent, impenſe hortatur. Inter cetera de Ceciliani innocentia agens, ac de Romanæ Eccleſiæ ſententia a Melchiade Rom. Pontifice prolata, deque ejuſdem Eccleſiæ auctoritate, Donatiſtas his admonet: *Cum ſe videret, & Rom. Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum &c.* hæc aliaque plura Aguſtinus, quæ longum eſſet exponere.

Melaniæ, & Ruffini reditus in urbem.

Paul. epiſt. 29. n. 6. ad Sulp. Sever. Pallad. hiſt. lauſ. 33.

17. Anno 371. deſinente aut 372. ineunte, relicta Italia in Orientem tranſierat Melania, inter Romanas matronas generis nobilitate, & virtutibus celeberrima, ac in Ægyptum primum, Ruffino comite, abiit, deinde Hieroſolymam tranſiit ubi quinque luſtra, ut ait Paulinus, ſeu ut habet Palladius 27. annos tranſegerat; hoc anno Romam, eodem Ruffino comite, tandem rediit. De tempore, quo ex Oriente Melania rediit, hæc habet Paulinus ad Severum: *Addidit autem Dominus hanc gratiam de muneribus, & litteris tuis, ut ad eos potiſſimum dies nobis frater Victor occurreret, quibus ſanctam ipſam*, ideſt Melaniam, *ex Hjeruſalem poſt quinque luſtra remeantem excepimus*.

Cum

Digitized by Google

Cum autem annos 27. eamdem in Oriente fuiſſe tradit Palladius, a Paulino vix diſſentit, nam annum 371. quo deſinente abiit, & labentem 397. cujus initio in Italiam rediit, numeravit; Paulinus econtra poſt quinque luſtra rediiſſe aſſerit, paucos menſes anni, quo exceſſit, & quo rediit, præteriens: unde vix aliqua inter eos differentia eſt. Qua de cauſa Hieroſolyma relicta, Romam redierit Melania, his verbis narrat Palladius: *Poſt multum temporis, cum audiiſſet cuidam nupſiſſe neptem ſuam Melaniam* ( juniorem dictam ) *viro, renunciare autem poſt nuptias Seculo huic velle, cognoviſſet, metuens ne qui malæ vitæ homines, ac malæ ſectæ, perverſæque doctrinæ eidem jungerentur, ob hoc ipſum, cum jam admodum ſenex, hoc eſt ſexaginta eſſet annorum, de Cæſarienſium civitate, ad urbem Romam intra dierum viginti ſpatium navigavit.*

18. Quo plauſu tum Neapoli, ubi ex Cæſarienſi portu appulerat, tum Romæ excepta fuerit, Paulinus longa oratione deſcribit, ac de hoſpitio apud ſe habito hæc habet, cum plurima de ejuſdem generis nobilitate, & virtutibus præmiſiſſet: *Neapolim urbem brevi ſpatio a Nolana, qua degimus civitate diſtinctam, advecta eſt, ubi filiorum nepotumque occurſu excepta, mox Nolam ad humilitatis noſtræ hoſpitium feſtinavit: quo nobis advenit ambitioſo ditiſſimorum pignorum vallata comitatu; vidimus gloriam Domini in illo matris & filiorum itinere quidem uno, ſed longe diſpari cultu; macro illam & viliore aſellis burico ſedentem tota hujus ſeculi pompa, qua honorati & opulenti poterant circumflui Senatores proſequebantur, carrucis nitentibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus, gemente Appia, atque fulgente: ſed ſplendoribus vanitatis prælucebat Chriſtianæ humilitatis gratia &c.* Hæc aliaque plurima Paulinus de adventu Melaniæ Romam, quam quidem urbem filiam Babylonis ſic nominat, ait Baronius, ut etiam in pluribus filia Sion, merito dicatur, cum chriſtianorum multitudine referta eſſet, ubi veræ religionis micabat cultus. Quare ut ex Roſveido adnotat Pagius, uno eodemque tempore & Babilon Roma erat, & Jeruſalem, ſeu filia Sion; Babilon ob Ethnicorum multitudinem in ea degentium, ob ſecularem faſtum, omniumque illecebrarum, ſpectaculorumque frequentiam. Hieruſalem autem, & filia Sion dicebatur ob eccleſiæ dignitatem, divinique cultus ſanctitatem; unde: *Hanc ergo filia Sion hactenus habuit, & deſiderat. Nunc filia Babylonis habet, & admiratur.*

Melania Nolæ apud Paulinum hoſpitatur.

*Paul. ad Sev. epiſt. 29.*

*Bar. 397. 7.*

*Pag. not. 4. ibi.*

Jesu Chr. an. 397.

Melania Paulino donat particulam S. Crucis, & veſtem.

Paul. epiſt. 29. 5.

19. Ut Hoſpiti ſuo mercedem redderet Melania, particulam Sanctæ Crucis, a Joanne Hieroſolymitano Epiſcopo acceptam, Paulino donavit, & veſtem ex agnorum vellere, contextam, quam Paulinus ad Severum amicum ſuum miſit, ut in epiſtola ad eum data teſtatur: *Miſimus tunicam, quam ab uſu meo ut de ſtercoris vilitate collectum pannum dignare ſuſcipere, nam vel hoc innocentiæ tuæ congruit, quod de tenero agnorum vellere contexta blanditur attactibus. Addo autem adhuc prætio ejus, & gratiæ, quod, quo dignior probetur uſu tuo, de ſanctæ, & illuſtris in Sanctis Dei feminæ Melaniæ benedictione mihi pignus eſt.* Prætioſius veſte aliud munus fuit, ideſt S. Crucis reliquia, cujus partem anno ſequenti ad Severum Paulinus miſit, eaque occaſione hiſtoriam inventionis Sanctæ Crucis ſubnectit, ad eumque inter cetera habet: *Invenimus quod digne, & ad baſilicæ ſanctificationem vobis, & ad ſanctorum cinerum benedictionem cumulandam mitteremus, partem particulæ de ligno divinæ Crucis, quod nobis bonum, benedicta Melania ab Hieruſalem munere ſancti inde Epiſcopi Joannis attulit*, quam particulam *tubello aureolo incluſimus*; deinde poſt aliqua, *ut veſtram vobis formulam mitteremus in ſpecie auri*. Sed de Melania ſatis; de Ruffino peregrinationis ſocio nunc agendum.

Paul. epiſt. 31.

Hieronymi cum Ruffino diſſidia.

Paul. epiſt. 28. n. 5.

Auguſt. epiſt. 110.

Vallarſ Hier. vita tom. 11. Fontan. hiſt. litter. Aquil. lib. 4. cap. 3.

20. Cum Melania Romam redierat Ruffinus, quem Paulinus *ſanctæ Melaniæ ſpiritalis viæ comitem dicit, vere ſanctum & pie doctum, & ob hoc intima mihi effectione conjunctum*. Is cum Hieronymo tanto amicitiæ vinculo olim conjunctus fuerat, *ut tam caras, familiareſque perſonas, cunctis pene eccleſiis notiſſimo amicitiæ vinculo copulatas, chriſtiani omnes admirarentur*, ait Auguſtinus. At Hieronymum inter, & Ruffinum amicitiæ vincula aliquatenus interrupta fuerunt, cum ob Pauliniani, Hieronymi fratris ordinationem ab Epiphanio factam, Epiphanius, cum Joanne Hieroſolymitano Epiſcopo diffidere cœpit, ac Antropomorphitarum hæreſim Epiphanio Joannes objiciebat, ille vero Joanni Origeniſtarum, ut anno 389. adnotavimus, hinc eadem Origeniſmi nota in eos tranſiit, qui Joanni Hieroſolimitano favebant, inter quos fuerunt Ruffinus, & Melania. Quapropter Hieroſolimitana eccleſia ſchiſmate quodam diviſa eſt, nam monachorum quidam ab Joannis Hieroſolimitani Epiſcopi communione receſſerant, ac ſuc-

cre-

Digitized by Google

creſcente in dies diſſenſionis incendio, tota Paleſtina in varias partes diſtracta eſt. Theophilus interea Alex. Epiſcopus, ut inter diſſidentes pacem componeret, Iſidorum quemdam presbyterum in Paleſtinam miſit. At is re infecta Alexandriam redierat, ſecum deferens Joannis epiſtolam ad Theophilum, ſeu *Apologiam Iſidoro præſente, & multam collaborante dictatam, ut idem eſſet dictator, & bajulus litterarum*, ait Hieronymus, qui etiam de Iſidoro conqueritur, quaſi non pacis legatus fuerit, ſed Joannis, & Ruffini ſocius, ut in libris, & epiſtolis ad Pammachium, & ad Theophilum datis, narrat, quibus Joannis epiſtolam ad Theophilum datam confutat, ſeque ipſum excuſat, quod charitatis officia cum Joanne Epiſcopo interruperit, ac diſcordiæ cauſam, Joannem Epiſcopum, Ruffinum, Melaniam, Iſidorum, alioſque dediſſe commemorat, de quibus plura in Hieronymi vita apud Vallarſium, aut in vita Ruffini, a Fontanino edita videri poſſunt.

*Hier. epi. 57. 82. 84. & lib. adverſ. Joann. Epiſc.*

*Hier. vita c. 24. ad 29. Ruffini vita cap. 3.*

Hieronymus cum Joanne & Ruffino reconciliatur.

21. Ægre tulerat Theophylus Alex: Epiſcopus, Hieronymum oblatas pacis conditiones per Iſidorum presbyterum reſpuiſſe, eaque de cauſa Hieronymi epiſtolis reſponſum non dederat, ſed tandem ſive Hieronymi officiis motus, ſive pacis conciliandæ deſiderio, ſilentium rupit, atque ad Hieronymum litteras dedit, quibus inter cætera, eum monebat, ut juxta ſacrorum canonum præcepta Epiſcopo ſuo pareret, nec fratris ſui ordinationem ab Epiphanio, inſcio Joanne Hieroſolymitano factam, tueretur. Hieronymus vero reſcribens, facta ſua non ſolum excuſat, ſed tuetur, ita tamen ut Theophyli gratiam ſibi promereri curaverit. *Meminerit*, inquit, *Beatitudo tua, quod eo tempore, quo nobiſcum tacebas, nunquam ab officiis meus ſermo ceſſaverit, nec conſideraverim quid tu pro diſpenſatione tunc faceres, ſed quid me facere conveniret*; & paulopoſt: *Quod de canonibus eccleſiaſticis mones, gratias agimus, ſed tamen ſcito nobis nihil aliud antiquius eſſe, quam Chriſti jura ſervare, nec patrum transferre terminos, ſemperque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cujus ſe eſſe participem Alex. Eccleſia gloriatur*. His porro verbis innuit, ſe a Joannis Hier. Epiſcopi communione receſſiſſe, ob violatam ab eo Catholicam Fidem, quem Origeni plus juſto favere ſibi perſuaſerat Hieronymus. His itaque a Theophilo acceptis epiſtolis, cum eo in pacem rediit Hieronymus, ejuſque monitu, tandem cum Joanne Epiſcopo, ac Ruffino reconciliatus eſt, unaque cum eo mona-

*Hier. epiſt. 63.*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 397. monachi Betlhemitici, qui a Joannis communione receſſerant, cum eo iterum ſociati ſunt. Initæ pacis teſtis eſt ipſe Hieronymus, dum Ruffini verba recitat ex ſecunda Apologia: *Vos nobis pacem proficiſcentibus dediſtis, at pacem dedimus, non hæreſim ſuſcepimus, junximus dexteras, abeuntes proſecuti ſumus, ut vos eſſetis catholici*, ajebat Hieronymus, cum iterum cum Ruffino diſſideret. Pacis ſequeſtres inter Joannem Hier. Epiſcopum, & Hieronymum, monachoſque Bethleemiticos, Ruffinum & Melaniam fuiſſe Palladius indicat. *Illos etiam*, ait, *quadringentos numero monachos, qui propter Paulinum, ſe ab eccleſia ſeparabant, ſanctæ rurſus eccleſiæ reddiderunt*. Animis itaque utrinque compoſitis, redditaque Hieroſolymitanæ eccleſiæ pace, Ruffinus in Occidentem una cum Melania redierat, ubi cum eſſet, ob Pamphyli apologiam pro Origene, & libros Origenis de principiis, ſeu Periarchon in latinum translatos, non modicam nomini ſuo apud poſteros invidiam inuſſit, magnaque cum Hieronymo iterum diſſidia excitata ſunt, ut ſequenti anno videbimus.

*Pallad. hiſt. Lauſ. c. 118.*
*Vvaſtelii vindiciæ Joann. Hier. vita p. 154.*

JESU CHRISTI an. 398. Anastasii Papæ 1.
Arcadii Imp. 16. et 4. Honorii Imp. 6. et 4.
Coss. Honorio Aug. IV. et Eutychiano
Olymp. 294. an. 3. Urbis an. 1151.

Honorii Imp. nuptiæ.

1. Conſulatum ſuum, *editionibus, ludiſque celebrarunt, Romæ quidem Honorius Imp., CPoli vero Eutychianus* ait Socrates, quem annum, feſtivum quoque reddiderunt Honorii nuptiæ cum Maria Stiliconis filia, & victoria de Gildone in Africa habita. Conſulatus tempore, nuptias celebraſſe Honorium indicat Claudianus in oratione in quartum ejus conſulatum his verbis:

*Socrat. lib. 6.*
*Claud. de 4. Honorii Conſ.*

*Cum tibi protulerit, feſtas mox pronuba tædas*
*Quæ tali devota foro, quæ murice fulgens*
*Ibit in amplexus tanti Regina mariti*;

& paulo poſt cum jam nuptiarum tempus adeſſet:

*O mihi ſi liceat thalamis intendere carmen*
*Connubiale tuis*

Has autem nuptias hoc anno celebratas fuiſſe, quo & Gildonis cœdes contigit, idem Claudianus teſtatur:

*Claud. de laudibus Stiliconis lib. 1.*

*Con-*

Digitized by Google

*Continuant Superi pleno Romana favore*
*Gaudia, ſucceſſuſque novis ſucceſſibus augent.*
*Conjugii necdum feſtivos regia cantus*
*Sopierat, cecinit fuſo Gildone triumphus,*
*Et calidis thalami, ſucceſſit laurea ſertis,*
*Sumeret ut pariter Princeps, nomenque mariti,*
*Victoriſque decus &c.*

2. Gildonis vero interitum hoc anno contigiſſe teſtantur Idaciani faſti, & Chronicon Alex., quin faſti a Bollando editi, diem quoque quo periit, adnotarunt Coſs. Honorio Aug. IV. & Eutychiano, *Gildo occiſus eſt, pridie Kal. Auguſti*; ſuperatum vero fuiſſe aute diem duodecimam menſis Aprilis, cum Gothofredo contendit Pagius, ex tribus conſtitutionibus ab Honorio hoc anno datis, quarum prima *de canone frumentario urbis Romæ*, *Altera de prætio panis Oſtienſis*, ſeu fiſcalis inſcribitur. Tertia demum eſt lex 20. *de Piſtoribus* in eumdem finem data *VII. Kal. Maii*, ſeu die 25. Aprilis, duæ vero priores die 12. ejuſdem menſis, graviſſima quippe fames urbem hoc anno afflixerat, ob negatum ex Africa frumentum propter Gildonis tyrannydem, de qua fame Claudianus, Symmachus, & Proſper in Chronico mentionem faciunt; inſtante Vere victum fuiſſe Gildonem, aperte Claudianus teſtatur hoc verſu

Gildo debellatur, & occiditur, quis fuerit.

*Bell. tom. 1. ſuppl. ad acta Junii.*

*Pag. an. 398. n. 15.*

*Claud. lib. 1. in Eutropium & lib. 1. de laud. Stilleconis Symm. lib. 4. epiſt. 4.*

*Quem veniens induxit hyems, ver perculit hoſtem*;

*Claud. de bello Gild.*

occiſus tamen non eſt, niſi *pridie Kal. Auguſti*, ſi vera narrant faſti a Bollando editi. Gildo autem natione, & origine Maurus erat, ut narrat Ammianus, filius Nubeli, inter Mauricas nationes, Reguli potentiſſimi, cujus filius nomine Firmus, cum adverſus Romanos Valentiniani tempore rebellaſſet, Gildo pro Romanis decertans adverſus fratrem, egregiam exhibuerat operam, ac Africæ comitatum promeruerat, anno autem elapſo adverſus Honorium rebellans: *Auſus latio contendere Gildo, Germani nec fata timet*, ait Claudianus, ideſt Firmi fratris infelicem exitum non timens, qui laqueo vitam finierat. Qua autem mente Gildo Africam a Romanorum poteſtate eripere præſumpſerit, non conſtat, nam Zoſimus Eutropii inſtinctu, id feciſſe narrat, & *ejus opera provinciam Honorii Principis imperio ſubtrahit, eamque ditioni Arcadianæ adjungit*. Quod etiam Oro-

*Amm. lib. 25.*

JESU CHR. AN. 398. Zoſ. lib. 5. Oroſ.lib.7.36. Vt ſup.

Oroſius innuit, dum ait: *Gildo comes ſimul ut defunctum Theodoſium comperit, Africam Orientalis Imperii partibus jungere molitus eſt*; ſed ſive Africam Arcadio ſubjicere vellet, aut ſibi, *Africam a ſocietate Reipublicæ ſibi uſurpare auſus eſt*, ut idem Oroſius tradit, *gentili magis licentia contentus, quam ambitu regiæ poteſtatis inflatus. Huic Maſcizel frater fuit, qui novarum rerum molitiones in fratre perhorreſcens, relictis apud Africanam militiam duobus filiis adoleſcentibus, in Italiam rediit. Gildo & abſentiam fratris, & præſentiam filiorum ejus ſuſpectam habens, adoleſcentes dolo circumventos interfecit.* Ut Romæ hæc audita ſunt, illico hoſtis publicus Gildo declaratus eſt, atque adverſus eum, Miſcezel frater ejus, cum pauca militum manu in Africam miſſus eſt, qui eo appulſus fratrem vicit ac interemit. Facilem lætamque victoriam his verſibus Claudianus cecinit:

> *Necdum Cyniphias exercitus attigit oras,*
> *Jam domitus Gildo, nullis victoria nodis*
> *Hæſit, non ſpatio terræ, non obice ponti,*
> *Congreſſum, profugum, captum vox nunciat una.*

Miſcezel adverſus Gildonem opem a Deo poſtulat. Oroſ. lib. 7. 36.

Inſignem victoriam precibus ſanctorum virorum magis, quam armis, habiram fuiſſe hiſtorici narrant, Oroſius præceteris audiatur. *Ad hunc*, ideſt ad Gildonem, *jam ut hoſtem bello inſequendum Maſcezil frater miſſus eſt, quem idoneum procurandæ Reipublicæ fore propriæ orbitatis recens dolor pollicebatur. Igitur Maſcezil jam inde a Theodoſio ſciens, quantum in rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti a clementia Dei impetraret, Caprariam inſulam adiit, unde ſecum ſanctos ſervos Dei aliquot permotos precibus ſuis ſumpſit. Cum his orationibus, jejuniis, Pſalmis, dies & noctes continuas, ſine bello victoriam meruit, ac ſine cæde vindictam.* At quomodo id factum ſit dicemus poſtea. Inter hæc autem cum ſanctorum monachorum choris in Capraria inſula agentibus paululum quieſcamus.

De Monachis inſulæ Capraria, & Gorgoniæ.

3. Longe lateque monaſtica diſciplina eouſque propagata erat hac ætate, ut & inſulas repleverit; etenim Rutilius Numatianus Ethnicus homo, cum ſui itineris relegit ſtationes, meminit Caprariæ inſulæ monachorum licet ipſe refertæ Chriſtianæ religionis detractor, haud (ut par erat) ſublimem ſectantes philoſophiam homines laudet, ſed carpat his verſibus. *Pro-*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 398. Rutil. itiner. lib. 1.

*Proceſſu Pelagi jam ſe Capraria tollit,*
*Squallet lucifugis inſula plena viris:*
*Ipſi ſe monachos Grajo cognomine dicunt,*
*Quod ſoli, nullo vivere teſte volunt.*
*Munera Fortunæ metuunt, dum damna verentur:*
*Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat.*
*Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,*
*Dum mala formides, nec bona poſſe pati?*
*Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,*
*Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.*
*Sic nimiæ bilis morbum aſſignavit Homerus*
*Bellerophonteis ſollicitudinibus.*

De Gorgonia vero inſula, Capraria proxima, iiſdem referta Sanctis, hæc addit:

De monachis inſulæ Gorgoniæ.

*Aſſurgit Ponti medio circumflua Gorgon*
*Inter Piſanum, Cyniucumque latus.*
*Adverſus ſcopulos damni monumenta recentis*
*Perditus hic vivo funere civis erat.*
*Noſter enim nuper juvenis marmoribus amplis,*
*Nec cenſu inferior, conjugiove minor,*
*Impulſus furiis, homines divoſque reliquit,*
*Et turpem latebram credulus exul agit.*
*Infelix putat illuvie cœleſtia paſci,*
*Seque premit læſis ſævior ipſe diis.*
*Num, rogo, deterior Circæis ſecta venenis?*
*Tunc mutabantur corpora, nunc animi.*

Hæc Ethnicus poeta, & homo carnalis, qui ea, quæ Spiritus Dei ſunt capere non poterat.

Maſcezilis adverſus Gildonem victoria. Oroſ. lib. 7. cap. 36.

4. Ex Capraria inſula in Africam vela pandat oratio noſtra, victoriam ab Maſcezile adverſus Gildonem divinitus acceptam referens, de quibus hæc Oroſius: *Ardalio Fluminis nomen eſt, quod fluit inter Thebaſtem, & Metrideram civitates: ubi Maſcezil cum parva manu, hoc eſt, cum quinque millibus (ut ajunt) militum contra ſeptuaginta millia hoſtium caſtrametatus, cum interjecta mora excedere e loco, oppoſitaſque præjacentis vallis anguſtias tranſgredi vellet, incurrente nocte,* bea-

JESU CHR. AN. 398.

*beatum Ambroſium Epiſcopum Mediolani paulo ante defunctum per ſomnium ſibi videre viſus, ſignificantem, manu, & impacto ad humum ter baculo, dicentem: Hic, hic, hic. Quod ille prudenti conjectura intellexit, merito annunciantis fidem victoriæ verbo locum, numero diem ſignificari. Subſtitit, ac tertio demum die, poſt noctem orationibus hymniſque pervigilem, ab ipſis cæleſtium ſacramentorum myſteriis in hoſtem circumſurum proceſſit: & cum ad eos, qui primi occurrerunt, pia pacis verba jactaret, ſigniferum quemdam inſolenter obſiſtentem, & jam jamque pugnam excitantem, gladio percuſſit in brachio, eumque manu debilem ipſo vulnere coegit pronum inclinare vexillum. Quo viſo, reliquæ cohortes deditionem jam fieri priorum exiſtimantes, certatim ſeſe ad Maſcezilem ſignis tradidere converſis.* Gildo autem fugam molitus, cum in navem aſcendiſſet, ac itineris aliquantulum peregiſſet, ad Africæ littora jactatus, poſt aliquot dies ſtrangulatus interiit. *Periclitaremur ſub tantorum miraculorum relatu, quaſi præſumpta mentienti impudentia, niſi adhuc vocem noſtram conſcientia eorum, qui interfuere, præcurreret &c.* ait Oroſius, eademque Paulinus in vita S. Ambroſii, ac ab ipſo Maſcezile eadem ſe accepiſſe teſtatur. Gildonis interitum ſuis quoque verſibus celebravit Claudianus, inter cetera:

*Ambr. vita in fine tom. 4. p. 14.*
*Clau. de laud. Stilic. lib. 1.*

*Prædonem lembo profugum, ventiſque repulſum,*
*Suſcepit merito fatalis Tabraca portu*
*Expertum, quod nulla tuis elementa paterent*
*Hoſtibus &c.*

Tebraca, ad cujus portum Gildo confugerat, urbs eſt Numidiæ, de qua Plinius: *Oppidum Tebraca civium Romanorum.*

*Plin. lib. 5. 3.*

De Salvina Gildonis filia & Nebridio ejus marito.

5. Filiam poſt ſe reliquit Gildo, Salvinam nomine, quæ a patre diſſimilis omnino fuit, nam ex Ethnico genita, inſignis tamen ipſa religione, & pietate fuit, ſuiſque ſcriptis commendarunt Paulinus, Hieronymus, Palladius. Nebridio autem clariſſimo viro, & Arcadii & Honorii conſobrino nupta, poſt viri obitum ad viduitatem ſervandamHieronymus eam hortatus eſt, cui etiam vivendi rationem in viduitate ſervandam tradidit, quo loco de Nebridii mariti nobilitate, & moribus multa adnotat; ad Ageruntiam vero eo de argumento ſcribens, ut epiſtolam a ſe ad Salvinam olim ſcriptam legat, hortatur, ac eam Gildonis Africæ tyranni filiam fuiſſe teſtatur. *Quomodo*

*Hier. epiſt. 79. & 123.*

*tibi*

*tibi in viduitate ſervanda vivendum ſit, legito librum ad Euſtochium de virginitate ſervanda, & alios ad Furiam, atque Salvinam, quarum altera Probi quondum conſulis nurus, altera Gildonis, qui Africam tenuit, filia eſt*; hæc autem marito mortuo, etſi ætate & opibus floreret, nihilominus Hieronymi monita ſequens, piis operibus intenta, in viduitate perſeveravit, Conſtantinopolim deinde profecta, S. Joannis Chryſoſtomi ſtudioſiſſima fuit, de qua Palladius: *Ingreſſus autem baptiſterium, Olympiadem vocat, quæ ab eccleſia non diſcedebat, una & Pentadiam, & Proculam Diaconiſſas, Salvinamque beati Nebridii conjugem, quæ viduitatem ſuam præcipua virtute, & honeſtate decorabat*. Sed de Salvina Gildonis filia hactenus. Poſt victoriam de Gildone fratre latam, diu ſuperſtes non fuit Miſcezel, nam cum in Italiam rediiſſet, Stiliconis perfidia paulo poſt periit, in flumen a Stiliconis ſatellitibus præcipitatus, dum quadam die una cum eo pontem tranſiret, ut narrat Zoſimus, ac ob violatum Eccleſiarum aſylum cito eum periiſſe narrat Oroſius: *Idem Maſcezil elatus rerum ſecundarum inſolentia, poſthabito Sanctorum conſortio, cum quibus antea militans vicerat, etiam Eccleſiam temerare auſus eſt, atque ex ea quoſdam non dubitavit extrahere; ſecuta eſt pœna ſacrilegum, nam iiſdem ſuperſtitibus, atque inſultantibus, quos ab eccleſia ad pœnam protraxerat, poſt aliquantum tempus ſolus & ipſe punitus eſt. Probavit in ſe uno ad utrumque ſemper divinum vigilare Numen, quando in eo ſperavit, adjutus, & cum contempſit, occiſus eſt.*

*Pallad. vita Chryſoſt.*

Maſcezilis interitus.

*Zoſim. lib. 5.*

6. Gildonis interitu Africam Rom. Imperium recuperavit, Africana vero eccleſia a vexatione liberata eſt; Optatus etenim Donatiſtarum Epiſcopus cum Gildone & amicitia, & moribus eouſque junctus erat, ut Optatus Gildonianus etiam diceretur, atque Gildonis ſatellitio ſtipatus, Catholicos dire diuque vexavit, ut pluribus narrat Auguſtinus in libris contra litteras Petiliani, quos hoc tempore ſcripſit, cum Anaſtaſius Romanam ſedem teneret, hoc quippe anno Siricio ſuccedens, uſque ad annum 401. Romanam rexit eccleſiam, de quo Auguſtinus: *Si omnes per totum Orbem tales eſſent, quales vaniſſime criminaris, cathedra quid tibi fecit Rom. Eccleſiæ, in qua Petrus ſedit &c.... & in qua hodie Anaſtaſius ſedet*? De ſceleribus vero Optati Gildoniani, ejuſque in Catholicos perſecutione addit: *Veſtros autem fructus ſi conſideremus, omit-*

Eccleſia Africana Gildonis interitu, ab ejuſdem tyrannide liberatur.

*Auguſt. contra litt. Petil. lib. 2. 51.*

JESU CHR. AN. 398.

Optati Gildoniani ſcelera, & adverſus catholicos geſta.

*Auguſt. contra litt. Petil. lib. 1. 24.*

*omitto tyrannicas in civitatibus, & maxime in fundis alienis dominationes, omitto furorem Circumcellionum, & præcipitatorum ultro cadaverum cultus ſacrilegos & profanos, bacchationes ebrietatum, & ſub uno Optato Gildoniano decennalem totius Africæ gemitum*; & iterum contra epiſtolam Parmeniani: *Hoc ergo*, inquit, *modo, quod juſtum eſt, injuſtum judicarunt, cum Optatum Gildonianum decennalem totius Africæ gemitum, tamquam ſacerdotem atque collegam* (Donatiſtæ ſcilicet) *honorantes in communione tenuerunt*. Quod enim Epiſcopus eſſet, in ipſo procinctu expeditionis tyrannicæ baptizare, pariterque conferre chriſma conſuevit, nam inferius: *Non habent*, inquit, *Spiritum Sanctum videlicet, quos baptizavit manifeſtus ſatelles Gildonis Optatus*; ac contra Petilianum: *Numquid forte Joannes & Optatus æquales ſunt? Ridiculum videtur. Et tamen puto, quod non eos æquales, ſed majorem credatis Optatum. Poſt Joannem quippe Apoſtolus baptizavit, vos baptizare poſt Optatum neminem audetis*. Hæc ipſe, pluribus convincens Optatum fuiſſe in eorum communione: quod quidam Donatiſtæ diſſimulabant, cum adeo abominanda facinora hujus hominis eſſent, ut vel inviti erubeſcerent; hinc iterum Auguſtinus: *Poſſem & ego dicere: Vos veſtro contagio Optatum induitis proditorem, oppreſſorem, ſeparatorem*; & adverſus Petilianum ſcribens: *Ad te non pertinet, qui recentioribus temporibus, cum intolerabili potentatu, etiam militibus ibi comitantibus, non quia timebat aliquem, ſed ut ab omnibus timeretur, viduas oppreſſit, pupillos evertit, aliena patrimonia prodidit, aliena matrimonia ſeparavit, res vendendas innocentium procuravit, venditarum pretia cum Dominis plangentibus diviſit*. Hæc de Optato Gildoniano, tacito nomine, atque ſubdit: *Illum commemoro, qui vobiſcum vixit, cujus natalitia tanta celebratione frequentabatis, cui pacis oſculum inter ſacramenta copulabatis, in cujus manibus Euchariſtiam ponebatis, cui viciſſim danti manus porrigebatis* (erant hæc ſymbola mutuæ communicationis), *cujus aures inter tantos Africæ gemitus ſurdas libera voce offendere timebatis: quem neſcio quis veſtrum, quia vel ex obliquo, urbaniſſime tetigit, ut ei diceret, quod comitem haberet Deum, ingenti laude ferebatur*. Alludens nimirum ad Comitem Gildonem, quem ſequebatur, in quo Deum comitem, pro Gildone comite mira adulatione ludendo mutavit. In quam rem multa alia addit Auguſtinus, quæ

*Auguſt. contra litt. Petil. lib. 2. 82.*

quæ proſequi longum eſſet. Tam multa quippe, tamque atrocia in Catholicos eo tempore admiſere Donatiſtæ, ut ad ea enarranda imparem ſe eſſe Auguſtinus fateatur; inter alia: *Nonne apud Hipponem, ubi ego ſum, non deſunt qui meminerint, Fauſtinum veſtrum regni ſui tempore præcepiſſe, quoniam Catholicorum ibi paucitas erat, ut nullus eis panem coqueret? itaut cujuſdam diaconi noſtri furnarius inquilinus domini ſui panem incoctum abjecerit, eique nulla exilii lege damnato, communicationem non ſolum in civitate Romana, ſed etiam in patria ſua, nec ſolum in patria ſua, ſed etiam in domo ſua negaverit? Quid nuper (quod adhuc lugeo) nonne Criſpinus veſter Calamenſis cum emiſſet poſſeſſionem, & hanc emphyteuticam, non dubitavit in fundo Catholicorum Imperatorum, quorum legibus, nec in civitatibus eſſe juſſi eſtis, uno terroris impetu octoginta ferme animas miſerabili gemitu muſſitantes, rebaptizando ſubmergere? &c.* Hæc de Catholicorum vexatione temporibus Firmianæ, & Gildonianæ tyrannidis Auguſtinus, quam decennalem fuiſſe tradit. Optatus autem, Gildone extincto, meritas ſcelerum pœnas dedit, nam ut ait Auguſtinus: *Optatus de ſatellitio Gildonis accuſatus, tali genere mortis extinctus eſt.*

Fauſtini & Criſpini Donat. Epiſc. facinora.

*Auguſt contra litt. Petil. lib. 2. 29.*

8. Neque unus Optatus Catholicos hoc tempore in Africa vexabat; cum eo Circumcellionum greges, undique excurſantes, catholicos immaniſſimis plagis afficiebant, laicos percutiebant, ignem domibus eccleſiiſque vaſtandis inferebant, inſidias etiam Epiſcopis per itinera ſtruentes; de quibus plurimæ extant Auguſtini querelæ, maxime in libro ſeu epiſtola ad Bonifacium Comitem. *Multa*, inquit, *catholici, & maxime Epiſcopi, & clerici horrenda, & dura perpeſſi ſunt, quæ commemorare longum eſt, quando quorumdam & oculi extincti ſunt, & cujuſdam Epiſcopi manus, & lingua preciſa eſt, nonnulli etiam trucidati ſunt. Taceo crudeliſſimas cædes, & domorum deprædationes per nocturnas aggreſſiones, & incendia non ſolum privatorum habitaculorum, verum etiam eccleſiarum, in quas flammas non defuerunt, qui & Codices Dominicos mitterent.* Hæc & alia plurima de Circumcellionum, & Donatiſtarum cœdibus, rapinis, direptionibus, incendiis Auguſtinus.

Circumcellionum furor in Africanam eccleſiam.

*Epiſt. 185. n. 30.*

9. Ad Marcellinum vero de Reſtituto Hipponenſi, & Innocentio catholicis presbyteris, quos Donatiſtæ occiderant, hæc habet, ac Marcellinum rogat, ut occiſoribus ignoſcat: *Circumcelliones illos*, inquit, *& clericos partis Donati, quos de Hippo-*

Auguſtinus pro Donatiſtis interceſſor fit.

*Auguſt. epiſt. 133.*

JESU CHR. AN. 398.

*Hipponenſi ad judicium pro factis eorum publicæ diſciplinæ cura deduxerat, a tua nobilitate comperi auditos, & plurimos eorum de homicidio, quod in Reſtitutum Catholicum presbyterum commiſerunt, & de cæde Innocentii alterius Catholici presbyteri, atque de oculo ejus effoſſo, & digito præciſo fuiſſe confeſſos: unde mihi ſollicitudo maxima incuſſa eſt, ne forte ſublimitas tua cenſeat eos tanta legum ſeveritate plectendos, ut qualia fecerunt, talia patiantur. Ideoque his litteris obteſtor fidem tuam, quam habes in Chriſto, per ipſius Domini Chriſti miſericordiam, ut hoc nec facias, nec fieri omnino permittas, nolentes paſſiones ſervorum Dei, quaſi vice talionis paribus ſuppliciis vindicari*; in quam rem plurima ibidem addit pro occiſoribus deprecans. *Si non audis amicum petentem*, ſubdit, *audi Epiſcopum conſulentem, quamvis quoniam chriſtiano loquor, maxime in tali cauſa, non arroganter dixerim audire te Epiſcopum convenit jubentem*, cujus cauſa ad Proconſulem Africæ ſe epiſtolas dediſſe teſtatur. *Quia credo iſtam curam ad virum clariſſimum atque ſpectabilem Proconſulem pertinere, ad eum quoque litteras dedi*. Altera extat Auguſtini epiſtola ad Donatum Africæ Proconſulem, qua hæc inter cetera: *Quæſumus igitur, ut cum eccleſiæ cauſas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam, vel afflictam eſſe cognoveris; poteſtatem occidendi te habere obliviſcaris, & petitionem non obliviſcaris*. Eadem pietatis officia Auguſtinum, alioſque Epiſcopos ſæpius renovaſſe ſcimus, ut ſcilicet pro reis intercederent, ne extremo ſupplicio addicerentur.

*Auguſt. epiſt. 100.*

Auguſtini ſollicitudo pro converſione Donatiſtarum

10. Quantam hoc tempore Auguſtinus ſollicitudinem gereret pro Donatiſtarum converſione, quamque indefeſſam in iis navaverit operam, cum verbis tum ſcriptis, ut ad catholicæ Eccleſiæ unitatem eos perduceret, teſtes ſunt tum epiſtolæ plures ea de re hiſce annis ſcriptæ, tum libri ejuſdem adverſus Petiliani Donatiſtæ epiſtolas, cum libri adverſus Parmenianum, & alia opuſcula, ut in ejus vita a Maurinis edita videre eſt, de quibus Poſſidius rerum copia victus, paucis cuncta perſtrinxit: *Ita factum eſt*, inquit, *ut Auguſtinus Epiſcopus multo inſtantius & ferventius majori auctoritate, non adhuc in una tantum regione, ſed ubicumque rogatus veniſſet, verbum ſalutis æternæ alacriter ac ſuaviter, pullulante atque creſcente Domini Eccleſia, prædicaret, paratus ſemper poſcentibus reddere rationem de fide & ſpe, quæ in Deum eſt. Et ejus dicta*

*Auguſt. vita lib. 3. in fine & lib. 4. cap. 1. 2. 3. &c. Poſſid. Auguſt. vita cap. 9.*

Jesu Chr. an. 398.

*cta excepta maxime Donatiſtæ in eadem Hipponenſi vel vicina manentes, ad ſuos Epiſcopos deferebant. Quæ cum audiſſent, & contra forte aliquid dicerent, aut a ſuis refellebantur, aut eadem reſponſa ad S. Auguſtinum deferebantur, eiſque compertis patienter ac leniter ( ut ſcriptum eſt ) cum timore & tremore ſalutem omnium operabatur, oſtendens quam nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque verum manifeſtumque ſit quod Eccleſiæ Dei fides tenet, & docet. Et hæc diebus ac noctibus ab eodem jugiter agebantur: nam & epiſtolas privatas ad quoſque ejuſdem erroris Epiſcopos, & eminentes ſcilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa ſe pravitate corrigerent, vel certe ad diſputationes venirent.*

Donatiſtarum calumniæ, & inſidiæ in Auguſtinum. *Poſſid. ut ſup. cap. 12.*

11. De inſidiis vero in ſanctum Epiſcopum a Donatiſtis paratis ſubdit: *Illi vero*, ideſt Donatiſtæ, *cauſa diffidentiæ, ne quidem unquam reſcribere voluerunt, ſed irati furioſa loquebantur, atque ſeductorem, deceptoremque animarum Auguſtinum eſse, & privatim & publice condemnabant: & ut lupum, occidendum eſse, in defenſionem gregis ſui dicebant, & tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter eſſe credendum poſse dimitti iis, qui hoc facere ac perficere potuiſset, nec Deum timentes, nec homines erubeſcentes*. Hæc Poſſidius. Idemque poſt pauca de iis, quæ Donatiſtæ in Auguſtinum machinati ſunt: *Aliquoties vero etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Auguſtinum obſederunt, dum forte iret rogatus ad viſitandas, inſtruendas, & cohortandas Catholicas plebes, quod ipſe frequentiſſime faciebat. Et aliquando contigit, ut illi ſuccenturiati hactenus perderent captionem. Evenit quidem Dei providentia, ut ductoris hominis errore, per aliam viam cum ſuis comitibus ſacerdos quo tendebat veniſset; atque per hunc, quem poſtea cognovit, errorem manus impias evaſiſset: & cum in omnibus liberatori Deo gratias egiſset, illi omnino ſuo more, nec laicis, nec clericis pepercerunt, ſicut publica conteſtantur geſta*. Hactenus de his Poſſidius.

Ethnicorum falſa præditio de chriſtianæ religionis interitu. *Auguſt. de civit. Dei lib. 18. 53.*

12. Hoc etiam tempore eo dementiæ Ethnicorum nonnulli devenerant, ut etſi chriſtianam Religionem in dies floreſcere, latiuſque propagari cernerent, cito tamen eam deperituram dicerent, quædam Dæmonum reſponſa fingentes, quibus ajebant, definitum eſſe quanto tempore ea manſura eſſet; cum etenim viderent, eam nec perſecutionibus potuiſſe extingui, ſed potius incrementa ſumpſiſſe, neſcio quos verſus Græcos ( ut

refert

Jesu Chr. an. 398. refert Auguſtinus ) tamquam conſulenti cuidam divino oraculo effuſos, ubi Chriſtum quidem ab ſacrilegii crimine faciunt innoxium, Petrum autem maleficia feciſſe, ut coleretur Chriſti nomen fabulabantur per tercentos ſexaginta quinque annos: quibus expletis, chriſtiana Religio ſine mora finem habitura erat. In quam rem hæc appoſite adnotavit Auguſtinus: *O ingenia litteratorum digna credere iſta de Chriſto, quæ credere non vultis in Chriſtum*; atque poſt nonnulla de Petro, de his iterum: *Per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipſe ſumpſit initium, ſcilicet quando miſſus eſt Spiritus Sanctus, id eſt, per idus Majas: numeratis proinde Conſulibus, trecenti ſexaginta quinque anni reperiuntur impleti per eaſdem Idus Majas Conſulatus Honorii, & Eutychiani*; præſenti ſcilicet anno. Quam quidam Auguſtini ſupputationem noſtræ chronographiæ optime convenire patet. Siquidem ſi annis 365. annos 33. addas, quo æræ vulgaris Chriſti paſſionem alligavimus, ad labentem æræ vulgaris 398. pervenies. Stultæ tamen prædictioni contraria omnino contigerunt; nam hoc tempore, quo ethnici chriſtianæ Religionis terminum adfuturum eſſe ſperabant, Dei plane nutu factum eſt, ut quæ hactenus intacta remanſerant deorum delubra, aut vero Deo dicarentur, aut diruerentur. De falſis prædictionibus hæc ad fideles ajebat Auguſtinus: *Sedent pagani, & computant ſibi annos, audiunt fanaticos ſuos dicentes, Aliquando chriſtiani non erunt, & ſola illa coli habent, quemadmodum antea colebantur. Adhuc dicunt: Quando morietur & peribit nomen ejus? & alibi iidem eadem repetentes verba. Quando*, inquiunt, *morietur, & peribit nomen ejus? Ideſt, ecce veniet tempus, ut finiantur, & non ſint Chriſtiani. Sicut cœperunt ex aliquo tempore, ita uſque ad certum tempus erunt. Sed cum ita dicunt, & ſine moriuntur, & permanet Eccleſia prædicans brachium Domini omni generationi ſuperventuræ*. Hæc de his Auguſtinus.

*Aug. in pſal. 40.*

*Pſal. 40.*

*Aug. ſe. u. 2. in pſ. 70.*

Honorii lex de eccleſiarum aſylo, & eccleſiaſticorum immunitate.

13. Ad reprimendam ſceleratorum audaciam, qui perſonis, locis, aut rebus ſacris vim inferebant, reſcriptum Theodoſio Præfecto prœt: Italiæ Honorius dedit, quo hæc inter alia ſtatuta ſunt. *Quid ſi multitudo violenta, civilis apparitionis executione, & adminiculo ordinum, poſſeſſorumque potuerit preſentari, quod ſe armis aut locorum difficultate tueatur, Judices Africani armatæ apparitionis præſidium, datis ad virum ſpectabilem Comitem Africæ litteris, perlato legis iſtius*

*iſtius tenore depoſcant, ut rei talium criminum non evadant. Dat. 7. Kal. Maii Mediolani Honorio IV. & Eutychiano Coſs.* Cum autem hæc Africanam eccleſiam ſpectent, ad comprimendam Donatiſtarum, & Circumcellionum temeritatem & ferociam eam legem editam fuiſſe ait Baronius, cujus conjecturas ſpernendas non eſſe adnotat Gothofredus, etſi multa his objiciat Pagius, quæ ad rem noſtram non faciunt; & ſane cum Honorius Africam divino adjutus præſidio, magis quam armis, ut vidimus, hoc anno recuperaſſet, Africanarum eccleſiarum incolumitati, & tranquillitati merito conſulendum cenſuit. Cum autem capitali pœna plectendos jubeat eos, qui injuriam perſonis, aut locis ſacris fecerint, mirum eſt cur Auguſtinus nullam capitalem legem contra Donatiſtas latam fuiſſe ſcribat. *Quærimus a vobis*, inquit, *quos veſtrum a noſtris probetis occiſos, nullam quidem legem ab Imperatoribus datam, ut occideremini recolo.* Quæ ſane aut ante vulgatam hanc legem ſcripſerat, aut dum hæc ſcriberet Honorii legem non recolebat, cum nunquam Donatiſtarum ſanguine injurias eccleſiis illatas vindicatas fuiſſe vidiſſet.

*Auguſt. cont. litt. Petil. lib. 2. 20.*

14. Lege altera, hoc eodem anno, Epiſcopis judicandi auctoritatem, a Conſtantino Imperatore conceſſam, ſed temporum injuria fortaſſe interceptam, iterum reſtituit ad Eutychianum hæc reſcribens Honorius Imp. *Si qui*, inquit, *ex conſenſu apud ſacræ legis Antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur, ſed experientur illius, in civili dumtaxat negotio more arbitri, ſponte reſidentis judicii. Quod his obeſſe non poterit, nec debebit, quos ad prædicti cognitoris examen conventos potius abfuiſſe, quam ſponte veniſſe conſtiterit, Dat. VI. Kal. Aug. Mediolani, Honorio Auguſto quartum, & Eutychiano.* Hinc factum, ut in his litibus audiendis, finiendiſque, diu multumque fatigarentur Epiſcopi, in quam rem de ſe ipſo hæc narrat Auguſtinus: *Dominum Jeſum, in cujus nomine ſecurus hæc ago, teſtem invoco ſuper animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis Litteris agendum liberas, quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſecularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: quibus nos moleſtiis idem affixit Apoſtolus, non utique*

*Honorius judicandi auctoritatem Epiſcopis confirmat.*

*Cod. Juſt. l. 7. de Epiſc. audientia.*

*Aug. de opere monachi c. 29.*

JESU CHR. AN. 398. *ſuo, ſed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio &c.* Quibus ſatis clare indicat, non tam Imperatorum indulgentia, quam Apoſtoli auctoritate, chriſtianorum litibus definiendis Epiſcopos præfectos fuiſſe; unde alio in loco tanquam de graviſſima ſarcina ſibi ab Apoſtolo impoſita, his verbis conqueritur: *Suis vitioſis, & negotioſis cupiditatibus adjuvandis, ut occupemur, & eis noſtra tempora impendamus, efflagitant; aut certe infirmos premunt, ut cauſas ſuas ad nos deferre compellant. Quibus dicere non audemus: Dic homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos? Conſtituit enim talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens jurgare Chriſtianos.* Quanta autem patientia, & diligentia his vacaret Auguſtinus, in ejus vita narrat Poſſidius: *Interpellatus a Chriſtianis, vel a cujuſcumque ſectæ hominibus, cauſas audiebat diligenter ac pie, cujuſdam ſententiam ante oculos habens, dicentis, ſe malle inter incognitos, quam inter amicos cauſas audire, eo quod de incognitis, pro quo arbitrata æquitate judicaretur, amicum poſſet acquirere: de amicis vero unum eſſet, contra quem ſententia proferretur, perditurus. Et eas* (lites ſcilicet) *aliquando uſque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, ſemper tamen noſcebat & dirimebat.*

Auguſt. ſollicitudo in cauſis judicandis *Aug. in pſal. 118.*

*Poſſid. in vit. S. Aug. c. 19.*

Eccleſiæ immunitas Arcadii lege violatur. *Cod. Theod. l. 9. de his qui confugiunt ad eccl.*

15. Dum vero Honorius Imperator Eccleſiæ jura, & privilegia ſarta tectaque ſervanda jubet; Arcadius in Oriente Eccleſiarum immunitatem lege lata labefactavit, iſta hoc eodem anno reſcribens: *Si quis in poſterum ſervus, ancilla, curialis, debitor, publicus procurator, murilegulus, quilibet poſtremo publicis privatiſve rationibus involutus, ad Eccleſiam confugiens, vel clericus ordinatus, vel quocumque modo a clericis fuerit defenſatus, nec ſtatim, conventione præmiſſa, priſtinæ conditioni reddatur; Decuriones quidem, & omnes quos ſola ad debitum munus functio vocat, vigore & ſolertia judicantium, ad priſtinam ſortem, velut manu mox injecta, revocentur. Quibus ulterius legem prodeſſe non patimur, quæ ceſſione patrimonii ſubſecuta, Decuriones eſſe clericos non vetabat. Sed etiam ii quos œconomos vocant, hoc eſt, eos qui Eccleſiaſticas conſueverunt tractare rationes, ad eam debiti vel publici, vel privati redhibitionem, remota dilatione, cogantur, in qua eos obnoxios eſſe conſtiterit, quos clerici defenſandos receperint, nec mox crediderint exhibendos. Dat. VI. Kal. Auguſti Mnizo, Honorio Auguſto quartum & Eutychiano Conſulibus.*

16. Hu-

16. Hujus autem legis auctorem Eutropium fuiſſe nulli dubium eſt, qui cum Imperii arbiter eſſet, ac ſub nomine Arcadii pro libitu cuncta in Imperio miſceret, ſacra quoque violare præſumpſit, ita ut Eccleſiæ immunitatem lege lata infringere conaretur, ſed Deo cuncta mirabiliter diſponente, factum eſt, ut idem Eutropius anno ſequenti Imperatoris gratia dejectus, ad eccleſiam confugere cogeretur, qua exceptus meritam ſceleribus pœnam evaſit, ut ſuo loco videbimus, ad quam Chryſoſtomus Epiſcopus de injuriis ab eodem eccleſiæ illatis, in oratione ad populum habita, cum Eutropius prope altare ſecuritatem quæreret, hæc ad ipſum habet: *Eccleſia a te hoſtiliter habita expanſo ſinu te ſuſcepit, theatra autem magnis obſequiis a te culta, quorum cauſa ſæpius nobis infenſus fuiſti, & prodiderunt te, & perdiderunt. Attamen nunquam deſtitimus his te verbis alloqui: Cur ita facis? In Eccleſiam debaccharis, & te ipſum in exitium præcipitem agis? Et tu hæc omnia monita neglectim prætercurrebas. Et Circenſis quidem multitudo, exhauſtis in ſe tuis facultatibus, gladium in te acuit. Eccleſia vero tuo furore exagitata ultro citroque curſitat, ſi quo pacto, te ex his caſibus implicitum extricare queat.* Et iterum: *Præcluſit hujus loci refugium, legibus ſcriptis, quibus hoc irritum facere conatus eſt. At nunc re ipſa didicit, quale ſit quod fecit, & ſuomet facto legem ſuam primus abrogavit, factus Orbis totius ſpectaculum: & ſileat licet, omnes tamen admonet: Nolite hæc facere, ne qualia ego, patiamini: ſua calamitate alios docet: & altare hoc ipſo illuſtrem ex ſe ſplendorem emittit, ac venerationem ſibi comparat, quod leonem vinctum continet.* Hæc & alia de miſerando Eutropii caſu Chryſoſtomus.

Jesu Chr. an. 398.

Eutropius legis auctor ad eccleſiam confugere cogitur.

*Chryſoſt. tom. 3.*

17. Eodemque anno, & die, qua Eccleſiæ immunitas Arcadii lege violata eſt, lege altera ſancitum eſt, ne damnati ad ſupplicium a clericis, vel monachis, vi adhibita abripentur: *Addictos ſupplicio, & pro criminum immanitate damnatos, nulli clericorum, vel monachorum, eorum etiam, quos cœnobitas vocant, per vim atque uſurpationem vindicare liceat, aut tenere. Quibus in cauſa criminali, humanitatis conſideratione, ſi tempora ſuffragantur, interponendæ provocationis copiam non negamus; ut ibi diligentius examinetur, ubi contra hominis ſalutem, vel errore vel gratia cognitoris oppreſſa putatur eſſe juſtitia: ea conditione, ut ſi Proconſul, Comes Orientis,*

Damnatos ad ſupplicium a clericis, vel monachis abripi Arcadius prohibet.

*Cod. Theod. l. 16. de pœnis*
*Cod. Juſtin. l. 16. de Epiſc. audientia.*

Jesu Chr. an. 398. *Præfectus Auguſtalis, Vicarii fuerint cognitores; non tam ad clementiam noſtram, quam ad ampliſſimas poteſtates ſciant eſſe referendum &c.* Quæ autem hujuſce legis ſanciendæ cauſa præceſſerit, ignoramus: id tamen ſcimus ſanctiſſimos viros pro reis non vi, aut armata manu, ſed precibus, & ſupplicationibus ſæpius interceſſiſſe apud Imperatores, & provinciarum Præſides, ut a capitali ſupplicio liberarentur. Sic Nazianzenum Gregorium pro Nazianzenis ſuis apud Cappadociæ Præfectum egiſſe ſcimus, ſic Martinum pro damnatis apud Avitum Galliarum Præfectum, ſic Flavianum Antiochenum apud Theodoſium, Ambroſium apud eumdem Imperatorem, & Auguſtinum apud Macedonium, Marcellinum, Donatum Africæ Præſides egiſſe conſtat, idque etiam multa confidentia a Præſidibus expoſtulaſſe conſtat ex Auguſtini epiſtola ad Marcellinum, ubi inter cetera: *Quoniam*, inquit, *chriſtiano loquor, maxime in tali cauſa, non arroganter dixerim, audire te Epiſcopum convenit jubentem, Domine eximie, & merito inſignis atque cariſſime fili*; & in epiſtola ad Macedonium Africæ Proconſulem non ita poſci ab Epiſcopis delinquentium veniam teſtatur, ut impuniti permaneant, ſed ut ad delictorum pœnitentiam reſerventur. *Nam quoſdam*, inquit, *quorum crimina manifeſta ſunt, a veſtra ſeveritate liberatos, a ſocietate tamen removemus altaris, ut pœnitendo placare poſſint, quem peccando contempſerant, ſeque ipſos puniendo. Nam nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, niſi id quod male fecerit, impunitum eſſe non ſinat.* Sed de his hactenus.

*August. epiſt. 154.* — *Auguſt. epiſt. 37.*

De ſynodo Carthag. 4. an ſuppoſititia ſit.

18. Inter Carthaginenſes ſynodos, omnium celeberrima tum Epiſcoporum, cum canonum numero ea eſt, quam hoc anno Aurelius Epiſcopus Carthagine congregavit, cui Auguſtinus cum ducentis & ultra Epiſcopis adſuit, canones vero centumquatuor eidem inſcripti recenſentur ad Eccleſiæ diſciplinam in integrum reſtituendam editi, cujus hæc eſt præfatio. *Honorio Aug. quartum, & Eutychiano Coſſ. ſexto idus Novemb. cum Aurelius Epiſcopus in concilio univerſali Carthagine in ſecretario cum omnibus Sacerdotibus conſediſſet, placuit cum eo cunctis, qui fuerunt in eadem ſancta ſynodo, conſtituere hæc, quæ ad ordines eccleſiaſticos canonicis ſunt neceſſaria diſciplinis &c.* Sequuntur deinde canones centumquatuor, quorum ſummam antequam exhibeamus, adnotandum eſt, hoc concilium, ex antiquiſſimis, probatæque fidei codicibus vulgatum, antiquioribus cano-

*Hard. concil. tom. 1. p. 978.*

canonum collectoribus ignotum fuiſſe, ut Ferrando, Dionyſio Exiguo, & auctori incerto, qui Codicem Africanæ eccleſiæ in Græcum tranſtulit; hinc fit, ut Juſtellus, aliique plures ex Proteſtantium numero, concilium illud aut commentitium, aut dubium habeant, quorum ſententiam multis argumentis confutarunt Demarcha, Schelestratus, Ferronius, Dupinius, aliique, ita ut alia his addere inutile ſit. Canone primo de Epiſcoporum ordinatione ſtatuitur, ut ſi litteratus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in Scripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus eccleſiaſticis exercitatus, ante omnia ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, *cum in his omnibus inventus fuerit plene inſtructus, tunc cum conſenſu clericorum, & laicorum, & conventu totius provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani, vel auctoritate vel præſentia ordinetur Epiſcopus &c.* Canone 2. 3. 4. de Epiſcoporum, presbyterorum, & Diaconorum ordinatione agitur; quos ſola manuum impoſitione, & oratione ordinandos eſſe docet. 5. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manus accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi urceolum aquimanile, & manutergium.* Canone ſexto uſque ad undecimum, de ordinatione Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum, Oſtiariorum, Pſalmiſtarum, ſeu cantorum agitur, quos iſtrumentorum traditione, vel librorum, aut clavium ordinandos eſſe docet. De conſecratione Sanctimonialium vel virginum, & de viduarum ſeu Diaconiſſarum, *quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum* eliguntur, canone 11. & 12. agitur. 13. Sponſos a paranymphis Sacerdoti offerendos eſſe jubet, qui accepta benedictione *eadem nocte, pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant.*

*Baſnag. ann. 398. n. 5. De March. diſſert. de vet. collect. canonum Schelest. diſſert. 3. cap. 8. de eccleſ. Afric. Perron. in reſp. ad Regem Angliæ c. 48. Dupin. biblioth. ſecul. 4. tom. 3. pag. 1443.*

Canonum ſumma.

19. 14. Ut *Epiſcopus non longe ab eccleſia hoſpitiolum habeat, hoſpitiolum*, ait Nat. Alexander, dicit, non Palatium. 15. *Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam, & victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.* 16. Ut Epiſcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate temporis. 17. Ut Epiſcopus gubernationem viduarum & pupillorum, ac peregrinorum non per ſe ipſum, ſed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat. 18. Ut Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat 19. neque pro rebus tranſitoriis litiget; 20. neque familiaris rei curam gerat. 21. Ut ad ſynodum ire non recuſet; 22. Sine concilio cle-

De Epiſcoporum vita & moribus.

*Hard. tom. 1. p. 982.*

JESU CHR. AN. 398. clericorum ſuorum clericos non ordinet, ac civium teſtimonium quærat. 23. Ut Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum 24. Sacerdote verbum faciente in ecclesia, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur. 25. Diſſidentes Epiſcopos ſynodus reconciliet. 26. Diſſidentes fratres, ſive clerici, ſive laici, ad pacem potius quam ad judicium Epiſcopi cohortentur. 27. Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat. Si id utilitas Eccleſiæ popoſcerit, ſynodi decreto id fiat, Inferioris gradus ſacerdotes, vel alii clerici, cum conſenſu epiſcoporum ad alias eccleſias tranſeant. 28. Injuſta epiſcoporum damnatio a ſynodo retractetur. 29. Epiſcopus, ſi clerico vel laico crimen impegerit, in ſynodo crimen probare cogetur. 30. Caveant judices eccleſiæ, ne abſente eo, cujus cauſa agitatur, ſententiam proferant, alioquin irrita erit. 31. Ut Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur. 32. Irrita ſit donatio epiſcoporum, vel venditio, vel commutatio rei eccleſiaſticæ, abſque conſenſu, & ſubſcriptione clericorum 33. Epiſcopi vel presbyteri, ſi cauſa viſitandæ Eccleſiæ ad alterius eccleſiam venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur: & tam ad verbum faciendum, quam ab oblationem conſecrandam invitentur. 34. Ut Epiſcopus quolibet loco ſedens, ſtare presbyterum non patiatur. 35. Ut Epiſcopus in eccleſia & in conſeſſu presbyterorum ſublimior ſedeat; intra domum vero collegam ſe presbyterorum eſſe cognoſcat. 36. Presbyteri, qui per diœceſes eccleſias regunt, a ſuis epiſcopis, aut per ſe ipſos, aut per illum qui ſacrarium tenet, ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petant.

Diaconorum & Clericorum officia, & mores.

20. 37. Diaconus ſe presbyteri, & epiſcopi, miniſtrum agnoſcat. 38. Diaconus, præſente presbytero, euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget. 39. Quolibet loco, jubente presbytero, ſedeat. 40. In conventu presbyterorum interrogatus loquatur. 41. Tempore oblationis tantum vel lectionis alba utatur. 42. Clericus officio ſuo diligenter intentus, ad gradus ſublimiores promoveatur. 43. Qui pro Catholica fide, & Chriſtiana religione tribulationes patitur, a ſacerdotibus foveatur, & per diaconum ei victus adminiſtretur. 44. Clericus nec comam nutriat, nec barbam. 45. Profeſſionem ſuam in habitu & in inceſſu probet, nec veſtibus & calceamentis decorem quærat. 46. Cum extraneis mulieribus non habi-

habitet. 47. Per plateas, niſi certa & maxima officii ſui neceſſitate, non ambulet. 48. Qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio ſuo amoveatur 49. Qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate a vigiliis abeſt, ſtipendiis privetur. 50. Ab officio ſuo declinans, vel negligentius agens, removeatur. 51. Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat. 52. Victum & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura abſque officii ſui detrimento, paret. 53. Omnes clerici, qui ad operandum validiores ſunt, & artificiola, & *litteras diſcant*. JESU CHR. AN. 398

21. Cur autem tam ſolliciti fuerint Carthaginenſes Patres, ut clerici opificiolo aliquo, & arte honeſta victum ſibi quærerent, Auguſtinus his verbis indicat, rationem reddens, cur commentarium de opere Monachorum ſcripſerit: *Ut de opere monachorum librum conſcriberem, illa me neceſſitas compulit: quod cum apud Carthaginem monaſteria eſſe cœpiſſent, alii ſe ſuis manibus tranſigebant, obtemperantes Apoſtolo: alii vero ita ex oblationibus religioſorum vivere volebant, ut nihil operantes, unde neceſſaria vel haberent, vel ſupplerent, ſe potius implere præceptum Evangelicum exiſtimarent, atque imitarentur, ubi Dominus ait: Reſpicite volatilia cœli, & lilia agri. Unde etiam inter laicos inferioris propoſiti, ſed tamen ſtudio ferventes, exiſtere cœperant tumultuoſa certamina, quibus Eccleſia turbaretur, aliis hoc, aliis aliud defendentibus. Huc accedebat, quod criniti erant quidam eorum, qui operandum non eſſe dicebant. Unde contentiones hinc reprehendentium, inde quaſi pugnantium pro partium ſtudiis augebantur. Propter hoc venerabilis ſenex Aurelius, Eccleſiæ ipſius civitatis Epiſcopus, ut hinc aliquid deſcriberem juſſit, & feci*. Hæc ipſe, qui iterum ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum in fine Operis ſubdit: *Hæc mihi cariſſime & in Chriſti viſceribus venerande frater Aureli, quantum donavit, ut poſſem, qui per te juſſit ut facerem, de opere monachorum non diſtuli ſcribere, id maxime curans, ne boni fratres Apoſtolicis præceptis obedientes a pigris & inobedientibus etiam prævaricatores Evangelii dicerentur; ut qui non operatur, ſaltem illos, qui operantur, ſibi anteponendos eſſe non dubitent. Cæterum quis ferat, homines contumaces, ſaluberrimis Apoſtoli monitis reſiſtentes, non ſicut infirmiores tolerari, ſed ſicut etiam ſanctiores prædicari, ut monaſteria doctrina ſaniore fundata, gemina illecebra corrumpantur*

Clerici cur labore manuum victum ſibi quærant. *Auguſt. de op. Monach. & retract. lib. 2. 21.*

*Auguſt. de op. monach. cap. 30.*

JESU CHR. 398. *tur, & diſſoluta licentia vacationis, & falſo nomine ſanctitatis? Sciant ergo etiam cæteri fratres & filii noſtri, qui favere talibus, & hujuſmodi præſumptionem per ignorantiam defendere conſueverunt, ſe potiſſimum corrigendos, ut illi corrigi poſſint &c.*

Monachorum hypocriſis detegitur. *Auguſt. de op. Monach. cap. 28.*

22. Quales autem otioſi clerici, vel monachi eſſent, his iterum verbis Auguſtinus exponit: *O ſervi Dei, milites Chriſti, ita ne diſſimulatis calidiſſimi hoſtis inſidias? qui bonam famam veſtram, tam bonum Chriſti odorem, ne dicant animæ bonæ: Poſt odorem unguentorum tuorum curremus, & ſic laqueos ejus evadant: omni modo cupiens obſcurare putoribus ſuis, tam multos hypocritas ſub habitu monachorum uſquequaque diſperſit, circumeuntes provincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alii membra Martyrum (ſi tamen Martyrum) venditant: alii fimbrias & philacteria ſua magnificant: alii parentes, vel conſanguineos ſuos in illa, vel in illa regione ſe audiſſe vivere, & ad eos pergere mentiuntur, & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis: cum interea ubicumque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, vel quoquomodo innotuerint, ſub generali nomine monachorum veſtrum propoſitum blaſphematur, tam bonum, tam ſanctum, quod in Chriſti nomine cupimus, ſicut per alias terras, ſic per totam Africam pullulare.* Hactenus de his Auguſtinus. Cur autem monachos tantum ad exercendum opus Auguſtinus excitaverit, in ſuo de opere monachorum commentario, carthaginenſis vero ſynodus clericos ad opificiolum hortata ſit, non monachos, id fortaſſe in cauſa fuit, quod in eccleſia Africana, iidem ſæpe eſſent & clerici, & monachi; cum ex monachis in clerum ſæpiſſime cooptarentur, de quibus extat etiam reſcriptum Honorii Auguſti his verbis: *Si quos forte Epiſcopi deeſſe ſibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectius ordinabunt, non obnoxios publicis privatiſque rationibus, cum invidia teneant, ſi habeant jam probatos dat. VII. Kal. Aug. Honorio IV. & Eutychiano Coſſ.* ideſt hoc anno.

*Cod. Theod. l. 32. de Epiſc. & cler.*

Ceteri canones ſynodi Carthag.

23. Nunc reliquos Carthaginenſis ſynodi canones ſubjicimus, quorum 54. hæc ſtatuit: *Clericus invidens fratrum profectibus, donec in vitio eſt, non promoveatur*, 55. *Epiſcopus accuſatores fratrum excommunicet, etſi emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad clerum.* 56. ad 68, qui in clerum admitti poſſint, aut gradu etiam dejici debeant

expo-

exponitur : a clero etiam arceantur adulationibus , & jurgiis dediti , maledici , litigioſi , diffidentes , ſcurrilitatibus , vel turpibus verbis jocantes , jurantes per creaturas , inter epulas cantantes , violatores jejunii , dominico die ſtudioſe jejunantes , ſeditioſi , uſurarii , aut injuriarum ultores . 68. Pœnitentes in clerum admitti vetat ; ſi per ignorantiam ordinati fuerint , deponantur ; ſi ſciens Epiſcopus tales ordinaverit , ipſe Epiſcopus ordinandi poteſtate privetur. Simili ſententiæ ſubjacere Epiſcopum , ſi eum ordinaverit , qui viduam , repudiatam , vel ſecundam uxorem habuerit , canone 69. decernitur . 70. Clericus hæreticorum & ſchiſmaticorum convivia , & ſodalitates vitet . 71. Cum iis ſi quis communicaverit , vel oraverit , ſive clericus , ſive laicus excommunicetur , ut canone 72. & 73. legitur.

Canones circa pœnitentiam.

24. De pœnitentia vero lapſis imponenda , eorumque reconciliatione , ſive cum ſani erant , vel infirmi , hæc leguntur , ſequentibus canon. 74. ad 83. *Ut Sacerdos pœnitentiam* imploranti , abſque perſonarum acceptione , pœnitentiæ leges injungat . 75. Ut negligentes pœnitentes tardius recipiantur . 76. Qui pœnitentiam in infirmitate petit , ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit , oppreſſus infirmitate obmutuerit , vel in phreneſim inciderit , dent teſtimonium , qui eum audierunt , & accipiat pœnitentiam . Et ſi continuo creditur moriturus , reconcilietur per manus impoſitionem , & infundatur ori ejus Euchariſtia . Si ſupervixerit , admoneatur a ſupradictis teſtibus petitionis ſuæ , & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus , quandiu ſacerdos , qui pœnitentiam dedit , probaverit . 77. Pœnitentes qui in infirmitate ſunt , viaticum accipiant . 78. Qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint , non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione , ſi ſupervixerint . 79. Qui attente leges pœnitentiæ exſequuntur , ſi caſu in itinere , vel in mari mortui fuerint , ubi eis ſubveniri non poſſit , memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur . 80. Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a ſacerdotibus imponantur . 81. Mortuos eccleſiæ pœnitentes afferant , & ſepeliant . 82. *Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant* . 83. *Pauperes & ſenes eccleſiæ plus ceteris honorandi ſunt* 84. Uſque ad miſſam catechumenorum eccleſia omnibus pateat , ſive Gentili , ſive Judæo , aut hæretico . 85. Baptizandi nomen ſuum dent ; & ante baptiſmum abſtinentia vini , & carnium



Digitized by Google

*Jesu Chr. an. 398.*

exerceantur cum manuum frequenti impoſitione. 86. Neophyti vero aliquandiu a lautioribus epulis, & ſpectaculis, & conjugibus abſtineant. 87. Catholicus qui ad judicem alterius fidei, pro cauſa ſua, provocaverit, excommunicetur. 88. *Qui die ſolemni, prætermiſſo eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit excommunicetur*. 89. *Auguriis* vel incantationibus ſerviens a conventu eccleſiæ ſeparetur, vel qui ſuperſtitionibus Judaicis vel feriis famulatur. 90. Omni die Exorciſtæ energumenis manus imponant. 91. Pavimenta domorum Dei energumeni verrant. 92. Energumenis, in domo Dei aſſidentibus, victus quotidianus per Exorciſtas opportuno tempore miniſtretur. 93. Oblationes diſſidentium fratrum neque in ſacrario, neque in gazophilacio recipiantur. 94. Eorum, qui pauperes opprimunt, dona a ſacerdotibus non recipiantur. 95. Qui oblationes defunctorum, aut negant eccleſiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur. 96. Quærendum in judicio, cujus ſit converſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur. 97. Qui religioſis feminis præponendus eſt, ab epiſcopo loci probetur. 98. Laicus, præſentibus clericis, niſi ipſis jubentibus, docere non audeat. 99. Mulier, quamvis docta & ſancta, viros in conventu docere non præſumat. 100. Mulier baptizare non præſumat. 101. Viduæ adoleſcentes, quæ corpore debiles ſunt, ſumptibus Eccleſiæ, ſuſtententur. 102. Ad reatum epiſcopi pertinet, vel presbyteri qui parochiæ præeſt, ſi ſuſtentandæ vitæ præſentis cauſa, adoleſcentiores viduæ vel ſanctimoniales clericorum familiaritatibus ſubjiciantur. 103. Viduæ, quæ ſtipendio eccleſiæ ſuſtentantur, tam aſſiduæ in Dei opere eſſe debent, ut & meritis, & orationibus ſuis eccleſiam *adjuvent*. Tandem canone 104, & ultimo, juniores viduæ, quæ veſte laicali depoſita, Deo ſe devoverant, ſi poſtea ad ſecundas nuptias tranſierint, excommunicatione plectuntur. Hactenus ſynodi Carthaginenſis canones, quibus tres tantum Epiſcopi ſubſcripti leguntur, Aurelius ſcilicet Carthaginenſis, & ſynodi Præſes, Donatianus Teleptenſis, & Auguſtinus Hipponenſis, deinde, *ſimiliter omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt*, quorum numerum ducentorum decem & ſeptem fuiſſe tradit auctor Micrologi, ut apud Harduinum videre eſt, qui de ejuſdem ſynodi inſcriptione multa adnotat.

*Hard. tom. 1. concil. p. 975.*

Ruffinus librum Origenis de Principiis, ſeu Periarchon Romæ in latinum vertit, & vulgat.

25. Anno elapſo Romam redierat Ruffinus cum Melania, ut ſuo loco adnotavimus, quo cum eſſet Origenis libros de prin-

de Principiis, ſeu Periarchon, e Græco in Latinum tranſtulit, atque Macario dicavit. Unde diſſidia iterum Hieronymo exorta ſunt; atque inde de Origenis fama, libris, & erroribus, graves acrioreſque quæſtiones excitatæ, dum abſurdæ Origenis opiniones, ſeu portenta inter Latinos cum maximo fidelium ſcandalo, aut animarum periculo vulgata ſunt. In quam rem Hieronymus: *O triremem locupletiſſimam*, ait, *quæ Orientalibus, & Ægyptiis mercibus Romanæ urbis ditare venerat paupertatem! Tu maximus ille et unus, qui nobis ſcribendo reſtituit rem. Ergo niſi de Oriente veniſſes, eruditiſſimus vir hæreret adhuc inter mathematicos?* & paulo poſt: *Te multo tempore Pharus docuit, quod Roma neſcivit, inſtruxit Ægyptus, quod Italia huc uſque non habuit*. Hieronymi tamen exemplo, ſe Origenis libros in Latinum vertiſſe Ruffinus in præfatione dixerat, qua in Hieronymi, & Origenis laudem hæc addiderat: *Scio quam plurimos fratrum ſcientiæ Scripturarum deſiderio provocatos, popoſciſſe ab aliquantis eruditis viris, & Græcarum litterarum peritis, ut Origenem Romanum facerent, & Latinis auribus condonarent: inter quos etiam frater & collega noſter Hieronymus ab Epiſcopo Damaſo deprecatus, cum homilias duas de Cantico Canticorum in Latinum tranſtuliſſet ex Græco, ita in illo opere ornate magnificeque præfatus eſt, ut cuivis legendi Origenem, & avidiſſime perquirendi deſiderium commoveret*; & paulo poſt: *Nos ergo rem ab illo quidem cœptam ſequemur & probatam: ſed non æquis eloquentiæ viribus tanti viri ornare poſſumus dicta. Unde vereor ne vitio meo illud accidat, ut is vir, quem ille* (nempe Hieronymus) *alterum poſt Apoſtolos Eccleſiæ doctorem ſcientia & ſapientiæ merito comprobavit, inopia ſermonis noſtri longe inferior videatur*. Hæc quidem ipſe, & alia in commendationem Origenis, S. Hieronymi magnæ tunc in eccleſia auctoritatis exemplo abutens, cujus etiam veſtigiis in interpretando ſe inhæſiſſe teſtatus eſt Ruffinus: *Quantum fieri poteſt interpretando, ſequar regulam prædeceſſorum, & ejus præcipue viri* (nempe Hieronymi) *cujus ſuperius fecimus mentionem; qui cum ultra ſeptuaginta libellos Origenis, quos Homiliaticos appellavit, aliquantos etiam de tomis in Apoſtolum ſcriptis tranſtuliſſet in Latinum, in quibus cum aliquanta offendicula inveniantur in Græco, ita elimavit omnia interpretando, atque purgavit, ut nihil in illis, quod in fide noſtra diſcreparet, Latinus lector inveniat. Nunc ergo nos etiam*

Hieron. Apol. lib. 2.

Apud Hier. tom. 2. Ruffini præf. in libros Periarchon.

*licet non eloquentiæ viribus, diſciplinæ tamen regulis, in quantum poſſumus, ſequimur*, Hieronymi demum exemplo, ſe quoque ea, quæ contra fidem in Origenis libris erant, præteriiſſe teſtatur: *Sicubi ergo nos in libris ejus aliquid contra id invenimus, quod ab ipſo in ceteris locis pie de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermiſimus aut ſecundum ejus regulam protulimus, quam ab ipſo frequenter invenimus affirmatam*. Hæc & alia Ruffinus in Præfatione ad libros Origenis de Principiis, ut Hieronymi exemplo, Catholicorum invidiam, aut ſaltem cenſuram declinaret. Et ſane Hieronymum hactenus Origenis ſtudioſiſſimum fuiſſe, multiſque eum laudibus exornaſſe conſtat, de quo in præfatione ad librum de nominibus hebraicis: *Origenem*, ajebat, *poſt Apoſtolos eccleſiarum magiſtrum, nemo niſi imperitus negat*, hinc
*Ruff. invect. 1.* Ruffinus, ut ſuo Hieronymum gladio jugularet: *Hæc eſt tua*, inquit, *tanti magiſtri gravitas, ut eum, quem in aliis laudas, condemnes in aliis, & quem in præfationibus tuis alterum poſt Apoſtolos eccleſiarum magiſtrum dixiſti, nunc hæreticum dicas? Quis hæreticus eccleſiarum magiſter aliquando dici potuit*; & ſane non ſemel Hieronymus Origenis ſe diſcipulum fuiſſe
*Comment. in Michæam Prolog. ad lib. 2.* teſtatus eſt; hinc ajebat: *Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant, eandem laudem ego maximam duco, cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus, & vobis placere non dubito*; quo argumento, cum preſſius urgeretur, tandem faſſus eſt, ſe olim Origenis ſtudioſum fuiſſe, tunc vero deſiiſſe, unde:
*Hier. apol. 3. cap. 3.* *Erravimus*, inquit, *juvenes, emendemur ſenes*. Eaque de cauſa cum Origeni infenſiſſimus evaſiſſet, ob libros Origenis in latinum translatos, Ruffinum alioſque acriter ita inſectatus
*Huet. Origen. lib. 2. p. 220.* eſt, ut Huetio teſte: *Optabile foret ut ſanctiſſimus ille Doctor conſtantior animo fuiſſet, & moderatior, neque tam facile bili ſuæ fuiſſet morigeratus, ut in contraria pro rerum ac temporum ratione tr [illegible] ſe ac jactari ſiviſſet*.

*Ruffinus Roma excedit, quæ in eum geſta fuerint.* 26. Cum Ruffinus Origenis Periarchon vulgaſſet, acceptis a Siricio Papa communionis epiſtolis, Roma digreſſus Aquilejam redierat. At graves in Urbe eo abſente tumultus, in eumque querelæ exortæ ſunt, quaſi venenum in urbe diſſeminaſſet, ſubreptaſque ab eo communionis epiſtolas a Siricio Papa fuiſſe,
*Hieron. ep. 16.* his verbis Ruffino Hieronymus exprobrat: *Cernentes hæretici de parva ſcintilla maxima incendia concitari, & ſuppoſitam dudum flammam jam ad culmina perveniſſe, nec poſſe latere*
*quod*

Digitized by Google

*quod multos deceperat, petunt & impetrant eccleſiaſticas epiſtolas, ut communicantes Eccleſiæ deceſſiſſe viderentur.* Ruffinus econtra, ob acceptas a Siricio epiſtolas, quaſi triumphans adverſarios arguebat, ac Anaſtaſii Papæ, qui Siricio ſucceſſerat, monita ſpernebat; unde Hieronymus: *Siricii jam in Domino dormientis profers epiſtolam, & viventis Anaſtaſii dicta contemnis.* Siricio Pontifici illuſiſſe Ruffinum, qui ceteros ex ingenio ſuo æſtimabat, dum ab eo communionis epiſtolas accepit, ſcribit Hieronymus, eumque oſcitantiæ etiam arguit Baronius; ac eo quod *haud velociter periclitantis occaſione Origenis errorum, occurrit Eccleſiæ, quam citius, nempe anni ſequentis exordio, ex hac vita ſublatus eſt, erectuſque ſuper cathedram Petri acerrimus oppugnator Origeniſtarum hæreticorum Anaſtaſius Papa. Sæpe quidem, atque pavendis eſt demonſtratum exemplis, ut Pontifices illi, qui cauſam fidei paulo ſegnius tractaverunt, ac remiſſius curaverunt, a Chriſto primario omnium Paſtore fuerint quam celeriter ex hac vita ſubducti.* Immerito tamen ea de cauſa vapulaſſe Siricium Pontificem multa ſuadent, ac pluribus probat Florentinus in notis ad Hieronymi Martyrologium die 26. Novemb. qua Siricii memoria recolitur. Hinc quem Martyrologio Rom. excluſerat Baronius, eidem inſerendum juſſit Benedictus XIV. Rom. Pontifex, ac Siricii Papæ famam non ſolum auctoritate ſua, ſed invictis etiam argumentis vindicavit, uti in præfatione ad novam Martyrologii Rom. editionem videre eſt.

*Hieron. Apol. 2.*

Siricii Pontificis fama vindicatur.

*Hieron. epiſt. 16.*

*Bar. an. 397. n. 32.*

*Præfatio in edit. Martyr. Romæ typis Mainardi.*

27. Labenti anno Siricium vita exceſſiſſe certum eſt, quo autem die, aut menſe ignoratur. Liber Pontificalis *quinto Kal. Martii* ſepultum fuiſſe tradit. Martyrologium Bedæ aliaque a Bollando ad diem 22. Februarii, ſexto Kal. Decembris ſeu die 26. Novembris obiiſſe narrant; id unum ſcimus eum annos fere quindecim Pontificatum tenuiſſe, ab anno ſcilicet 384. ad labentem, ut ex ejus epitaphio conſtat, quo etiam in ejus laudem hæc leguntur:

Siricii Papæ obitus.

*Liberium lector, mox & Levita ſecutus,*
*Poſt Damaſum clarus, totos quos vixit in annos,*
*Fonte ſacro magnus meruit ſedere Sacerdos,*
*Cunctis ut populis pacem tunc ſolidam daret.*
*Hic pius, hic juſtus felicia tempora fecit,*
*Defenſor magnus, multos ut nobiles auſus*

Regi

Jesu Chr. an. 398.

*Regi ſubſtraheret eccleſiæ Aula defendens.*
*Miſericors largus meruit per ſecula nomen.*
*Ter quinos populum qui rexit in annos amore,*
*Nunc requiem ſentit Cæleſtia Regna potitus.*

Hactenus Siricii epitaphium, quo nil verius ad Siricii ſanctitatem vindicandam dici poteſt, cujus ſcripta, quæ adhuc ſuperſunt, ſummum catholicæ fidei, & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſervandæ ſtudium in eo fuiſſe demonſtrant; quod vero in eo epitaphio legitur ipſum annos quindecim, ſeu terquinos per annos rexiſſe eccleſiam, veriſſimum etiam eſt, ſi dies pauci anni 384. quo ſedere cœpit, & pars maxima labentis quo obiit numerentur, & utrique incompleti pro completis habeantur. De Siricii ſcriptis, & geſtis plura adhuc apud Coutantium videri poſſunt.

*Coutan. pag. 612.*

Anaſtaſius Siricio ſuccedit *Pag. not. ſed an. 398.*

28. Siricio defuncto ceſſavit Pontificatus dies 20. ait liber Pontificalis; breviori tamen tempore vacaſſe Romanam ſedem Pagius cenſet; ac quinta decembris die nona ab Siricii obitu Anaſtaſium ordinatum fuiſſe ſcribit. Porro Anaſtaſium Romanum fuiſſe, ex patre Maximo, idem auctor geſtorum Rom. Pontificum tradit, de cujus geſtis ſuo loco infra dicturi ſumus, nunc adnotare ſufficiet, eum Pontificatus ſui initia ſopiendis quæſtionibus, ob Origenis Periarchon Romæ vulgatum, conſecraſſe, ut anno ſequenti videbimus; eodemque tempore epiſtolas amoris, & benevolentiæ plenas ad Paulinum, & ad Epiſcopos Campaniæ dedit, quibus inter cetera Paulinum laudibus exornabat, ut ad Delphinum narrat Paulinus. *Sciet veneratio tua Sanctum fratrem tuum Papam urbis Anaſtaſium amantiſſimum eſſe humilitatis noſtræ. Nam ubi primum poteſtatem charitatis ſuæ nobis offerendæ habere cœpit; non ſolum ſuſcipere eam a nobis, ſed ingerere nobis, piiſſima affectione properavit. Nam brevi poſt ordinationem ſuam epiſtolas de nomine noſtro plenas, & religionis, & pietatis, & pacis ad Epiſcopos Campaniæ miſit, quibus & ſuum declararet affectum, & aliis benignitatis ſuæ præberet exemplum. Deinde nos ipſos Romæ, cum ſolemni conſuetudine ad beatorum Apoſtolorum natalem veniſſemus, tam blande, tam honorifice accepit.*

*Paulini epiſt. 16.*

De concilii Taurinenſis epocha, & geſtis.

29. Taurinenſis concilii epocha adeo obſcura eſt, ut de ea multæ ſint eruditorum opiniones. Poſt obitum tamen S. Martini, & Ambroſii, quos anno proximo e vivis exceſſiſſe narravimus, illud

Jesu Chr. an. 398.

illud celebratum fuiſſe patet. Nil itaque obſtat, quin hoc anno illud habitum fuiſſe dicamus, cum adhuc Siricius Papa viveret, ut iidem Patres indicant, dum canone ſexto de Epiſtolis a Beato Ambroſio, & Siricio paulo ante acceptis, ac in concilio recitatis, hæc habent, *juxta litteras venerabilis memoriæ Ambroſii Epiſcopi*, qui hoc anno ante diem decimam Kal. octobris, qua ſynodus habita eſt, obierat, deinde *vel Romanæ eccleſiæ Sacerdotis*, ideſt Siricii, qui inter vivos adhuc erat, *dudum latas, quæ in concilio legatis præſentibus recitatæ ſunt*. Poſt obitum S. Martini, cum Britius Turonenſem eccleſiam regeret, Taurinenſe concilium habitum fuiſſe teſtatur Zoſimus Pontifex in epiſtola ad Epiſcopos per Africam, Gallias, & Hiſpanias conſtitutos, qua Lazarum ob calumnias Britio illatas a Taurinenſi concilio condemnatum fuiſſe tradit. *Sed Lazarus dudum in Taurinenſi concilio graviſſimorum Epiſcoporum ſententiis pro calumniatore damnatus, cum Britii innocentis Epiſcopi vitam falſis objectionibus appetiſſet*, quod etiam epiſtola altera ad Africanos repetit. *Vetus Lazaro conſuetudo eſt innocentiam criminandi, per multa concilia in Sanctum Britium Epiſcopum noſtrum Turonicæ civitatis diabolicus accuſator inventus eſt, a Proculo Maſſilienſi in ſynodo Taurini oppidi ſententiam calumniatoris accepit*. Decimo itaque Kal. Octobris præſente Proculo Maſſilienſi Epiſcopo, aliiſque Galliarum, & Italiæ Epiſcopis, quorum numerus ignoratur, in urbe Taurinenſi, Pedemontanæ regionis nobiliſſima, & Regia, congregati patres, hanc ad Galliarum Epiſcopos epiſtolam dederunt.

*Pag. an. 401. not. 30. tom. 3. p. 1266. Coutan. pag. 700. Baſnag. ann. 398. n. 9. Hard. concil. to. 1. pag. 960.*

*Coutan. pag. 956.*

*Zoſimus epiſt. 3. Coutan. p. 950.*

30. *Sancta ſynodus, quæ convenit in urbe Taurinatium die X. Kal. Octob. Fratribus dilectiſſimis per Gallias, & quinque provincias conſtitutis: Cum ad poſtulationem provinciarum Galliæ Sacerdotum, conveniſſemus ad Taurinatium civitatem, atque in ejuſdem urbis eccleſia, auctore, vel medio Domino ſederemus, auditis allegationibus Epiſcoporum, eorum videlicet qui ad judicium noſtrum fuerant congregati, de ſingulis negotiis hæc ſententiæ forma proceſſit, ita ut pacis bonum, & inſtituta canonum ſervarentur, & plurimorum intentionibus adhiberetur utilis medicina*. Poſt præfationem canones octo ſequuntur, quorum primo Proculi Maſſilienſis Epiſcopi cauſa exponitur, qui cum in Secunda provincia Narbonenſi jus Metropoliticum exercere contenderet, ac in ea Epiſcopos ordinare, Epiſcopi vero provinciæ Narbonenſis ſecundæ Maſſilienſi Epiſcopo ſubeſſe recu-

Synodica epiſtola concilii Taurinenſis ad Epiſcopos Galliarum.

*qui Spano presbytero non leve crimen intenderat*, ſententiam a Triferio Epiſcopo adverſus falſi criminis accuſatorem latam confirmavit, data eidem Triferio poteſtate eam pro arbitrio relaxandi. Canone quinto cum idem Triferius Epiſcopus Exuberantium presbyterum ob injurias ſibi illatas a communione removiſſet, Triferii arbitrio relinquitur Exuberantium communioni reſtituere. Canone ſexto de iis agitur, qui relicta Felicis Treverenſis Epiſcopi communione ad Eccleſiæ catholicæ communionem redibant, quos ſuſcipiendos eſſe Patres his verbis jubent: *Illud præterea decrevit ſancta ſynodus, ut quoniam legatos Epiſcopi Galliarum, qui Felici communicant, deſtinarunt, ſi qui ab ejus communione ſe voluerint ſequeſtrare, in noſtræ pacis conſortium ſuſcipiantur, juxta litteras venerabilis memoriæ Ambroſii Epiſcopi, & Romani Sacerdotis*, ideſt Siricii, *dudum latas, quæ in concilio præſentibus legatis recitatæ ſunt*. Felix, cujus communione abdicata Galliarum Epiſcopi in communionem catholicæ Eccleſiæ redierant, vir erat, teſte Sulpicio Severo, ſanctiſſimus, & dignus, qui meliori tempore ſacerdos fieret; ſed cum ab Ithacio ejuſque ſociis Trevirorum Epiſcopus ordinatus fuiſſet, catholica Eccleſia ejus communionem, æque ac Ithacii, ſociorumque averſabatur, eo quod Ithacius Oſſobenſis in Luſitania Epiſcopus, indiſcreto zelo abreptus, apud Maximum Imperatorem egerat, ut præcipui Priſcillianiſtarum duces extremo ſupplicio afficerentur, quod ab Eccleſiæ moribus abhorrebat, eo quod hæreticorum converſionem non ſanguinem expoſcebat Eccleſia. Canone ſeptimo cautum eſt, ut ſecundum ſtatuta canonum, alienum clericum nemo ſuſcipiat, neve ad alium ordinem promovere audeat, aut abjectum ad communionem recipiat. Tandem canone octavo, & ultimo: *Qui contra interdictum ſunt ordinati, vel in miniſterio filios genuerunt, ne ad majores gradus ordinum permittantur ſynodi decrevit auctoritas. Incolumes vos Dominus noſter ævo longiſſimo conſervare dignetur, Domini fratres dilectiſſimi*. Hactenus ſynodica epiſtola concilii Taurinenſis, ad Galliarum Epiſcopos, quorum cauſa congregati fuerant Patres, ut ex ſynodi geſtis conſtat.

31. Anno elapſo *Coſſ. Cæſario & Attico quarto Kal. octob. Nectarius CP. epiſcopus extremum diem obiit*, ait Socrates, poſt cujus obitum de ſucceſſore eligendo *contentio orta eſt, aliis alium poſtulantibus*; *cumque hac de re conſilium ſæpius initum fuiſ-*

JESU CHR. AN. 398.

*Sever. Sulp. vita S. Martini lib. 3.*

Nectarii Epiſcopi CP. obitus, cui ſuccedit Chryſoſtomus.
*Socrat. lib. 6. 2.*

JESU CHR. AN. 398.

*fuiſſet, placuit tandem, ut Joannes Antiochenſis eccleſiæ preſbyter Antiochia accerſeretur.* Præ ceteris Eutropius Præfectus cubiculi Joannem regiæ urbis Epiſcopum fieri optabat, *cujus illi virtus erat notiſſima*, ait Palladius; itaque ſuadet Imperatori, ut ad Antiochiæ Comitem ſcriberet, mandans, ut abſque ſtrepitu ac perturbatione Antiochenæ civitatis CPolim mitteret Joannem. Comes autem litteris acceptis, rogat Joannem ut ſecum extra urbem pergeret impoſitumque thedæ publicæ CPolim miſit. Adductus hoc modo CP. urbis ordinatur Epiſcopus, cujus ordinationi unus fere Theophilus Alex. Epiſcopus obſtitit, nam *ut ejus ordinationi plus accederet auctoritatis, ex Imperatoris mandato adfuerunt cum alii plures Epiſcopi, tum Theophilus Alex., qui quidem ſummo ſtudio laborabat, ut Joannis quidem gloriam deterreret, Iſidorum vero preſbyterum ſuum ad Epiſcopatum urbis regiæ promoveret; hunc enim præcipue diligebat, propterea quod periculoſum quoddam negotium ipſius cauſa ſuſcepiſſet*, ſubdolam ſcilicet ipſius Theophili legationem ad Maximum Imperatorem, ut ſuo loco adnotavimus; cumque res eo eſſent, ut Theophilus ordinationi Joannis reſiſteret, *multi Theophilum accuſabant, & libellos varia crimina continentes Epiſcopi, qui tum aderant, offerebant*, quos ut accepit Eutropius, eos Theophilo oſtendit, jubens utrum mallet, Joannem ne ordinare, an de criminibus ſibi objectis judicium coram ſynodo CP. ſubire, quare his territus Theophilus Joannem ordinavit quarto Kal. Martii. Cum autem dies 26 Februarii, ſeu quarto Kal. Martii, qua Joannem Epiſcopum ordinatum fuiſſe tradit Socrates, cum feria ſexta concurrerit, hinc Pagius ea die Chryſoſtomum inthronizatum quidem, non vero ordinatum fuiſſe ſcribit, ordinationes etenim Epiſcoporum die tantum dominica, aut alio ſolemniori feſto celebratas fuiſſe ait. An hæc vera ſint prorſus ignoramus, nec ſine teſte Joannis ordinationem ab adepta throni poſſeſſione ſejungere cum Pagio audemus.

*Pallad. vita Griſoſt.*

*Socrat. ut ſup. Sozom. lib. 8. 2.*

*Sozom. lib. 8. 2.*

*Pag. 2. 20. ad an. 398.*

De geſtis a Chryſoſtomo Epiſcopatus initio.

32. CPolitano throno evectus Joannes Chryſoſtomus, cum virtutum omnium genere ornatus eſſet; & Scripturarum ſcientia, & eloquentia excelleret, commiſſæ ſibi Eccleſiæ ſollicitudinem gerens, ut adverſus Eunomianos, & Montaniſtas leges Gratianus *quarto nonas Martii CP.* vulgaret, auctor fuit, quarum altera Eunomianæ ſuperſtitionis clericos, vel Montaniſticæ, civitatum, & urbium conſortio expelli juſſit, quod ſi in rure degen-

*Cod. Theod. l. 34. de hæret.*

Digitized by Google

degentes populum congregare præſumpſiſſent, perpetuo exilio damnandos jubet; ac fiſco addicendam eſſe domum, vel poſſeſſionem, in qua infauſtos, damnatoſque conventus celebratos fuiſſe probaretur: ſi vero poſt hanc legem, in urbibus *deprehenſi, aut aliquam celebrandæ ſuperſtitionis gratia, ingreſſi domum probabuntur, & ipſis bonis ademptis, ultima animadverſione plectantur*, & ipſa domus fiſco vindicetur: eorum etiam libros ſumma diligentia quæſitos, ignibus tradi juſſit. Nec ſine cauſa ſeveriori lege Eunomiani ab Arcadio repreſſi ſunt, cum apud ipſos in more eſſet ſe ipſos, ſuoſque libros abſcondere, ut facilius incautos fallerent, quos Chryſoſtomus ad populum verba faciens ſæpiſſime exagitat, & in hæreſi pertinaces fuiſſe ex Syneſio Chryſoſtomi ſucceſſore ſcimus, qui hæc ad Sacerdotes ſuos ſcribebat: *Eos audio, qui ex impia Eunomii ſecta ſint, rurſus adulterari eccleſiam, & falſos doctores ſimpliciorum animis laqueos prætendere*. Nota ſunt omnibus illorum perfugia, ſcitis quinam illos agri *ſuſcipiant, ſcitis quoniam ædes latronibus pateant, ſagaci fures odoratu perſcrutamini*. Hæc Sineſius ad Saderdotes ſuos de inquirendis, & fugandis Eunomianis, ſicuti Arcadii hoc anno lex data jubebat. *Sineſ. epiſt. 5.*

33. Legatos etiam cum ordinationis ſuæ decreto Romam Chryſoſtomus miſit, quorum Primus Acacius Beræenſis Epiſcopus fuit, de quo Palladius: *Quis magis canus, aut quis viſu modeſtior Acacio Beræenſi, cujus vel nares ipſæ canos habebant pilos longiſſimos, cum Romam venit, ferens ordinationis Joannis Epiſcopi decretum*. Eademque utens occaſione, diuturnum Antiochenæ eccleſiæ ſchiſma, quo ab Occidentalibus diſſidebat, extinguere curavit, ut narrat Sozomenus. *In ipſo Epiſcopatus ſui exordio, cum Occidentales, & Ægypti Sacerdotes Paulini gratia ab Orientalibus Epiſcopis adhuc diſſiderent, & publicum quoddam diſſidium ob eam rem totius Imperii Romani Eccleſias obtineret, ipſe Theophilum rogavit, ut ſuam ipſi operam commodaret, & Romanum Epiſcopum Flaviano reconciliaret. Quod cum placuiſſet, electi ſunt ad id negotium Acacius Epiſcopus Beræe, & Iſidorus is, cujus gratia Theophilus Joannis ordinationi adverſatus fuerat. Hi Romam delati, cum legatio ipſis ex animi ſententia ſucceſſiſſet, in Ægyptum navigarunt. Inde Acacius in Syriam reverſus, Ægyptiorum & Occidentalium Antiſtitum litteras paci ficas attulit Flaviano. Sero tandem hunc in modum Eccleſiæ ea diſſenſione liberatæ in priſtinam rurſus*

Chryſoſtom. legatos ad Roman. Pontifi. mittit. *Pallad. vita Chryſoſt. cap. 4.* *Sozom. lib. 8. 3.*

Jesu Chr. an. 398.
*Theodor. lib. 5. 23.*
*Valeſ. not. in Theod. loco ut ſup.*
*Pallad. dialog. vita Chryſoſt.*
*Sozom. lib. 7. 28.*
*Theod. lib. 5. 23.*

*concordiam redierunt*. Ejuſdemque legationis meminit Theodoretus: *Flavianus egregios quoſdam Epiſcopos Romam miſit, una cum aliquot presbyteris, ac diaconis Antiochenſis eccleſiæ. Horum omnium princeps erat Acacius Berææ urbis Syriæ Epiſcopus. Hic una cum reliquis Romam veniens, diuturnam ſimultatem, quæ ſeptemdecim annos duraverat*, a Flaviani ſcilicet ordinatione, quæ anno 381. peracta fuerat, ut obſervat Valeſius, *ſedavit, pacemque inter eccleſias compoſuit*: viginti tamen annos, eam ſimultatem perduraſſe narrat Palladius, dum de Iſidori legatione hæc narrat: *Tu vero noſti hominem*, ideſt Licorum, *quando cum Acacio veniens, Flaviani cum Theophilo communionem attulit, viginti annos abruptam Beati Evagri cauſa*. Acacium Beræenſem in Syria Epiſcopum, & legationis principem, multis virtutibus claruiſſe narrat Sozomenus, quem *terra marique celeberrimum* fuiſſe ait Theodoretus. At tota erravit via, dum hæc Innocentii Papæ tempore accidiſſe adnotat, quæ hoc eodem anno Anaſtaſii Papæ primo facta fuiſſe ſcimus, ut in eum Theodoreti locum pluribus perſequitur Valeſius.

Chryſoſtom. clericorum mores corrigit.
*Pallad. Chryſoſt. vita ut ſup.*
*Chryſ. ſ. to. 1.*

34. Epiſcopatus etiam initio ad clericorum mores corrigendos Chryſoſtomus animum intendit, ac pravas conſuetudines, ſeu potius corruptelas extirpare ſategit ut his verbis narrat Palladius: *Ordinatus Joannes, paſtoris officium diligenter exequitur, rationali fiſtula experimentum ovium facere aggreſſus. Raro autem, ſed tamen neceſſario, virga correctionis utens, ſermonem exacuit adverſus fictam & non fraternam, (ut eam appellant) ſed plane fœdam atque inhoneſtam vitam eorum ſacerdotum, qui mulieres, quas ſubintroductas vocant, ſecum habere vellent, aſſerens, comparatione mali, tolerabiliores eſſe lenones. Hinc jam pars impia cleri eo preſſa morbo, eaque febre correpta ægre ferebat*. Nec ſolum voce peſſimum Agapetarum malum evellere, ſed ſcriptis etiam exagitare curavit, hujuſmodi turpem vivendi morem duobus in eam rem editis libris, quorum primus hunc præfert titulum: *Quod regulares feminæ cum viris cohabitent*; alter vero *adverſus eos, qui apud ſe ſovent ſorores adoptivas*, ſic enim eas nominabant, quaſi pietatis intuitu domi eas tenerent, quas ſubintroductas Nicæna ſynodus dixerat, ac retinere prohibuerat; clerici autem, ut contra facerent, multas prætexebant cauſas. Unde *Si quis*, ait Chryſoſtomus primo libro, *ab eis cauſam rogaverit; dicant*

Jesu Chr. an. 398.

*cunt ſibi multas eſſe, ſed fingunt. Ego enim nullam eos habere crediderim, quæ vel honeſta vel idonea ſit*. Agapetarum abuſus, ſeu clericorum cum mulieribus extraneis cohabitatio, utpote incontinentiæ fomes, & libidinis incitamentum, ſemper vetita fuit, quam morum corruptelam ſancti Eccleſiæ Patres uno ore damnarunt; Hieronymus vero ad Euſtochium de virginitate ſervanda: *Unde in eccleſiaſticis Agapetarum peſtis introiit; unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? Immo unde novum concubinarum genus; plus inferam: unde meretrices univiræ? eadem domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur & lectulo, & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimemus &c.* Hæc aliaque Hieronymus, corruptos clericorum mores perſtringens. Atque utinam tanta corruptela ab Eccleſiæ miniſtris penitus extincta eſſet. At ſicuti de Aſtrologis urbe ſæpe ejectis, & in ea commorantibus ait Tacitus, *genus hominum, quod in civitate noſtra vetabitur ſemper, & ſemper retinebitur*; ita etiam clericorum cum feminis extraneis cohabitatio, etſi ab Eccleſiæ canonibus, ſanctiſque Patribus prohibita, a clericorum plurimis nihilominus retinebitur. At ſi Eccleſiam ſpernunt, Deum tamen nequaquam fallere poſſunt; ſed cetera Chryſoſtomi geſta proſequimur.

*Hier. epiſt. 22.*

*Tacit. lib. 17.*

35. *Poſt hæc*, inquit Palladius, *victum quoque caſtigat cleri, diligenter orans, & exhortans ut contenti ſtipendiis ſuis, nidores divitum non ſequerentur, ne fumum hujuſce inſequentis libidinis flammæ traderentur, aſſentatorum, & paraſitorum inſtituto viventes. Hinc lurcones plurimi pulſati atque irritati, auctoribus calumniæ ſe conjungunt*. Sed de calumniis in eum excitatis infra, nunc ejus geſta Epiſcopatus exordio proſequimur. *Poſt* hæc vero *diſpenſatoris eccleſiaſtici ſcripta relegens, inutileſque Eccleſiæ ſumptus deprehendens, amputari hos protinus jubet*. Ac immodicam expenſarum profuſionem, ad pauperum ac infirmorum ſublevandas neceſſitates tranſferri præcepit, ut eodem loco narrat Palladius. Sic agens Chryſoſtomus maluit ex prædeceſſoribus ſuis Gregorii Nazianzeni potius, quam Nectarii ſectari veſtigia, illius in victu revocans ſimplicitatem, hujus vero, qui ex Præfecto fuerat creatus Epiſcopus, luxum ablegans. Deinde viduarum advocat agmen, inveniensque nonnullas carni deditas, admonuit, ut jejuniis ſtuderent, balneiſque & exquiſitis abſtinerent veſtimentis, aut iterum nuberent; Fideles quoque laicos hortatus eſt, ut vigiliis nocturnis adeſ-

Chryſoſtom. clericorum commeſſationes vetat; & ſuperfluos ſumptus reſecat.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 398.

adeſſent, uxores autem eorum domi manerent. Poſt hæc autem adverſus divites linguæ exacuens gladium, animi puſtulas ſcindere aggreditur, faſtum eos turgidum ponere admonens, eaque dicendi libertate frequenter utens, magnatorum æque, ac clericorum odium incurrit. *His moribus præditus Joannes, & ad Epiſcopatus honorem provectus*, ait Socrates, *majori quam par erat ſeveritate in ſubditos uſus eſt, dum Clericorum ſuorum vitam, ſicut ſperabat, corrigere vellet*. Illi vero contra eum conſpirarunt, eumque apud populum calumniati ſunt; id etiam crimini tribuentes, quod cum nemine unquam veſceretur, nec vocatus ad convivium accederet: ut vero ſolus cibum caperet, duas præcipue cauſas habebat, quod ſcilicet imbecillioris ſtomachi eſſet, & ne auſtera ejus vivendi ratio cunctis pateret. Populus tamen ob conciones, quas ille in Eccleſia habebat, ei favebat, eumque ſingulari amore proſequebatur. Uſquedum vero ſolos clericos pulſabat Joannes, leves erant inſidiæ, quæ adverſus eum comparabantur; ſed poſt quam multos ex ipſis Proceribus acerbius reprehendere aggreſſus eſt, tum gravior contra illum invidia exarſit, & multa quidem adverſus eum dicebantur, pleraque deinceps pro veris ab audientibus accipiebantur. Porro calumniam non mediocri acceſſione auxit oratio, ab illo tunc temporis habita contra Eutropium, qui Arcadio auctor fuerat, ut legem ferret, cujus hoc anno ſupra meminimus, ut quicumque ad eccleſias confugiſſent, inde abſtraherentur, ut ibidem narrat Socrates, cui conſentit Sozomenus; ſed de calumniis adverſus Joannem Chryſoſtomum in vulgus ſparſis, & de perſecutione in eum excitata inferius

*Socr. lib. 6. 4.*

*Socrat. ut ſup. Sozom. lib. 8. 9.*

JESU CHRISTI An. 399. Anastasii Papæ 2.
Arcadii Imp. 17. et 5. Honorii Imp. 7. et 5.
Coss. Mallio Theodoro, et Eutropio
Olymp. 294. an. 4. Urbis an. 1152.

De Mallio Theodoro Conſule.

1. Duos quidem conſules hic annus habuit, Mallium ſcilicet Theodorum, & Eutropium. At unum tantum, ideſt Theodorum, vetera monumenta exhibent, nam alter Eutropius ex conſularibus tabulis expunctus fuit. Horum diverſa omnino conditio fuit, nam Eutropius non ſolum viliſſimæ conditionis, utpote ſervilis, ſed etiam moribus infamis fuit; Theodorus econtra

tra chriſtiana fide præclarus fuit, & ſacris profaniſque litteris eruditus, cujus non ſine elogio meminit Auguſtinus: *His temporibus, ut omittam ceteros, vir, & ingenio, & eloquentia, & ipſis inſignibus muneribus fortunæ, & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus, quem bene ipſe noſti, id agit, ut & nunc, & apud poſteros nullum genus hominum de litteris noſtrorum temporum jure conqueratur &c.* Ad eumdem, cum Mediolano eſſet, librum de vita beata inſcripſerat Auguſtinus, de quo in retractationibus addit: *Diſplicet autem illic*, ait, *quod Manlio Theodoro, ad quem librum ipſum ſcripſi, quamvis docto, & chriſtiano viro, plus tribui quam deberem* & in libro de Civitate Dei, conſulatus Theodori iterum meminit: Claudianus vero ob conſulatum ab eo adeptum, in ejus laudem orationem recitavit, qua inter cetera adnotat virtutum omnium laude adeo excelluiſſe, ut Conſulatum etſi ætate juvenis promeruerit:

*Auguſt. de ordin. lib. 1. 11.*

*Aug. retract. lib. 1. 2.*

*Auguſt. de civit. Dei li. 18. cap. ult.*

*Claud. orat. 17. de conſul. Theodori.*

*Nil jam Theodore relictum*
*Quo virtus animo creſcat, vel ſplendor honore.*
*Culmen utrumque tenes, talem te protinus anni*
*Formavere rudes, & dignum ſella curuli*
*Traxit iter, primæque ſenes ceſſere juventæ.*

De ejuſdem vero eloquentia hæc addit:

*Vel quis non ſitiens ſermonis mella politi,*
*Deſerat Orpheos blanda teſtudine cantus,*
*Qualem te legimus teneri primordia Mundi*
*Scribentem, aut partes animæ per ſingula talem*
*Cernimus, & ſimiles agnoſcit pagina mores?*

Hæc & alia plurima de Theodoro Claudianus.

2. Theodoro viro clariſſimo, ut diximus, ſocius in conſulatu Eutropius fuit conditionis ſervilis vir, & gynecæo deſtinatus, qui cum apud Arcadium tanta auctoritate polleret, ut Imperator Eutropii mancipium videretur, Præfecturam cubiculorum, Patriciatum, & Conſulatum obtinuerat, quod monſtro ſimile fuiſſe ſcriptores tradunt; hinc Claudianus:

De Eutropio Eunucho & conſule.

*Claud. In Eutrop. lib. 1. in princip.*

*Omnia ceſſerunt Eunucho conſule monſtra.*
*Heu terræ Celique pudor! Trabeata per urbes*
*Oſtentatur anus, titulumque effeminat anni.*

Cum

Jesu Chr. An. 399.

Cum autem in Oriente eam dignitatem obtinuiſſet, tantam faſtorum deturpationem non tulit Occidentale Imperium, atque ejus nomen faſtis nequaquam inſcriptum fuit, ut teſtis eſt Claudianus:

*Claud. in conſul. Theod.*

*Non hic* (ideſt in Occidente) *violata curulis*
*Turpia non latios inceſtant nomina faſtos,*
*Fortibus hæc conceſſa viris, ſoliſque gerenda*
*Patribus, & Romæ nunquam latura pudorem.*

Quamobrem Stiliconi gratulatur, quod Romanæ majeſtatis vindex, turpe nomen ab urbe relegarit:

*Claud. in Eutrop. lib. 2.*

*Ille dedit portum* (inquit) *quo ſe pulſata referret*
*Majeſtas Latii, deformataque ſecures:*
*Ille dedit faſtos, ad quos Oriente relicto*
*Confugeret, ſparſum maculis ſervilibus ævum.*

Eutropii ſuperbia, & mores improbi.

3. Improbis vero moribus adeo fuit Eutropius, ut Suida teſte: *Nullum non facinus prætermiſit, nam & magiſtratus publice vendidit, & aliquid valentes calumniatus eſt, & Summates exiliis ſubjecit, & omnem contumeliam Senatoriis viris intulit, neque etiam barbarorum ſocietate abſtinuit*; & iterum: *Genus Eunuchorum propter illius auctoritatem, & potentiam adeo crevit, atque auctum eſt, ut nonnulli jam barbati cum eunuchi fieri vellent, & ſe Eutropios fieri ſperarent, vita privati ſunt, unacum teſtibus etiam Eutropio amiſſo. Aureæ ſtatuæ ipſi paſſim collocabantur, & ædificia extruebantur, & ab eo illuſtrabantur illuſtriora tota urbe.*

Eutropii caſus, qui ad eccleſiam confugit.

4. Eum interea extulerat fortuna, ut lapſu graviore turpius rueret, nam tantæ celſitudinis ſuæ ferendæ impar, eo arrogantiæ devenerat, ut Eudoxiam Auguſtam contumelia affecerit, ac e palatio ejiciendam minitaverit. *Cum Eudoxia duorum liberorum parens jam eſſet*, ait Philoſtorgius, ideſt Pulcheriæ, & Arcadiæ, *ab Eutropio contumelia affecta, minatus enim ei fuerat Eutropius, ſe palatio eam propediem ejecturum eſſe, liberos ſuos ambabus ulnis complexa, ſicut erat, ad maritum acceſſit, & lamentans ſimul ac liberos prætendens, lacrymarum imbrem profudit. Alia item adjecit, quæ mulieres iratæ muliebri arte facere ſolent, quibus mariti animum ad miſera-*

*ſerationem vehementius concitent. Tum vero Arcadius, & miſeratione infantium commotus eſt, qui naturali quodam impulſu una cum matre ejulabant, & ira exarſit. Ac tam demum Arcadius, ira eum inflammante, & verborum vigorem ei ſuggerente, Imperator apparuit. Statim igitur Eutropium omni dignitate exuit, opeſque ei ademit. & in Cyprum inſulam eum relegavit*, ait Philoſtorgius, cui conſentit Sozomenus, qui addit: *Non multo poſt calumnia appetitus, quaſi Imperatoris conjugem contumelia affeciſſet, primus ipſe legem transgreſſus eſt, & ex Palatio ſe ſe proripiens, ſupplex ad eccleſiam confugit*. Socrates vero de Eutropii caſu agens: *Cum Eutropius*, inquit, *in offenſionem veniens Imperatoris, ipſe quoque ad eccleſiam confugit*; hinc & Claudianus fœminæ ira Eutropium palatio ejectum fuiſſe cecinit: Sozom. li. 8. 7.

*Mollis feminæ detruditur arte tyrannus;*
*Et thalamo pulſus, perdidit Imperium.* Claud. in Eutrop.

Aliam tamen cauſam calamitatis Eutropii memorat Zoſimus: *Poſtulata vero a Gaina*, qui adverſus Arcadium Imperatorem rebellaverat, ut anno ſequenti videbimus, *hæc continebant; ut malorum omnium auctor Eutropius ſibi dederetur, in quem ipſe ſtatueret, quidquid vellet. His auditis Arcadius, accerſit Eutropium, & abrogata dignitate dimittit. Eutropius curſu ad chriſtianorum eccleſiam pergit*. At ſive Eudoxiæ ira, ſive Gainæ odium, & invidia, ſive, ut probabile eſt, & Eudoxia, & Gainas in Eutropii ruinam conſpiraverint; certum eſt, honoribus omnibus primo ſpoliatum ad eccleſiam confugiſſe, ut Imperatoris iram, militumque furorem evaderet, quo cum eſſet Joannes Chryſoſtomus, infelicem Eutropium, altaris baſim amplectentem, ab Imperatoris, & militum ira protexit, & ne a ſatellitibus illuc miſſis abſtraheretur, ut juſſum fuerat, prohibuit. Extat adhuc ſanctiſſimi viri in eam rem oratio ad populum tunc habita, qua totam tragœdiam mirifice enarrat, & populum ad commiſerationem infelicis eunuchi provocat, eoſque de humanæ felicitatis inconſtantia admonet. Zoſim. lib. 5. Cryſoſth. oratio in Eutropium, tom. 3.

5. *Si unquam antea, nunc maxime licet dicere: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ubi nunc inclytus ille conſulatus ſplendor? ubi illuſtres illæ faces? ubi applauſus illi ac choreæ, epulæque & feſti conventus? ubi coronæ & aulæa? ubi* Chryſoſtomi oratio ad populum, cum Eutropius ad eccleſiam confugiſſet.

Jesu Chr. an. 399.

ubi ſtrepitus urbis, & illæ circenſium fauſtæ acclamationes, ſpectatorumque adulationes? Omnia illa perierunt. Procella vehemens folia dejecit, arborem ſpoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem: tantaque vis venti impacta eſt, ut cum nervos ejus univerſos concuſſerit, tum ipſam funditus proſternere minetur. Ubi nunc fucati illi amici? ubi compotationes & cœnæ? ubi paraſitorum examen, & merum per totam diem exhauſtum, variæque coquorum artes, & potentatus cultores illi, ad gratiam omnia dicere ac facere aſſueti? Omnia illa nonniſi nox & ſomnium fuerunt, & apparente die evanuerunt: flores fuerunt verni, & vere exorto emarcuerunt omnia: umbra erant, & præterierunt, fumus erant, & ſoluta ſunt: bullæ erant, & dirupta ſunt: araneæ erant, & lacerata ſunt. Quapropter ſpirituale hoc dictum occinimus, frequenter dicentes: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Hoc enim dictum in parietibus, in veſtibus, in foro, in ædibus, in januis, in atriis. Sed potiſſimum in ipſa cujuſque conſcientia continenter inſcriptum eſſe oportet, omnique tempore cogitationi obſervari: quandoquidem negotia fraudulenta & perſonata, ac mimica veritatis opinionem apud pleroſque ſibi paraverunt; hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum, quemque proximum ſuum compellare oportebat, idemque ab illo viciſſim audire, nempe vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Ad Eutropium allocutio.

Ad Eutropium vero orationem convertens: An non aſſidue tibi dicebam fugitivas eſſe divitias? tu vero nos non ferebas: annon dicebam eas ingratum domeſticum eſſe? tu vero credere nolebas. Ecce experientia docuit, non ſolum fugitivas & ingratas, ſed homicidas etiam eſſe, ut quæ in tremorem ac metum nunc te conjecerint. Nonne dicebam tibi, cum me indeſinenter objurgares vera monentem, me tibi potius amicum eſſe, quam adulatores; me qui arguerem, majorem tibi curam gerere, quam eos, qui tibi per omnia obſequerentur. Nonne & hoc addebam, fide digniora eſſe vulnera ab amicis, quam voluntaria oſcula inimicorum? Si mea vulnera tuliſſes, haudquaquam tibi illorum oſcula hoc exitium attuliſſent: mea enim vulnera ſanitatem afferunt, illorum oſcula morbum immedicabilem tibi conciliaverunt. Ubi nunc pocillatores tui? ubi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuaſque laudes paſſim apud omnes prædicabant? Tranſfugerunt, abnegarunt tuam amicitiam, ſuam ſecuritatem tuis periculis quærunt. At non tales nos, ſed & tunc quamvis ægre ferentem non deſtituimus, & nunc

Digitized by Google

*nunc collapſum protegimus ac curamus. Eccleſia a te hoſtiliter habita, expanſo ſinu te ſuſcepit: theatra autem magnis obſequiis a te culta, quorum cauſa ſæpius nobis infenſus fuiſti, & prodiderunt te & perdiderunt: attamen nunquam deſtitimus his te verbis alloqui: Cur iſta facis? in Eccleſiam debaccharis, & te ipſum in exitium præcipitem agis: & tu hæc omnia monita negligenter prætercurrebas. Et circenſis quidem multitudo exhauſtis in ſe tuis facultatibus gladium in te acuit. Eccleſia vero importuno tuo furore exagitata, ultro citroque curſitat, ſi quo pacto, te ex his caſibus implicitum extricare queat.* Hæc aliaque de Eutropii caſu Chryſoſtomus, quæ longum eſſet exſcribere, etſi fortaſſe ad probandam rerum humanarum inconſtantiam levitatemque non inutilia. Cumque nonnulli ægre ferrent improbum hominem, qui eccleſiæ jura violaverat, eccleſiæ aſylo tueri, ut eis ſatisfaceret hæc addit: *Præcluſit*, inquiebat, *hujus loci refugium legibus ſcriptis, quibus hoc irritum facere conatus eſt, at nunc reipſa didicit, quale ſit quod fecit, & ſuomet facto legem ſuam primus abrogavit, factus Orbis ſpectaculum, & ſileat licet, omnes tamen admonet, nolite hæc facere, ne qualia ego patiamini, ſua calamitate alios docet, & altare hoc ipſo illuſtrem ex ſe ſplendorem emittit, ac venerationem ſibi comparat, quod leonem vinctum contineat.* Multa autem frequentia CPol. populum ad id ſpectaculi in eccleſiam conveniſſe his verbis Chryſoſtomus teſtatur: *Præclarum hoc vobis ſpectaculum, & hilaris conventus contigit, nec minorem nunc video populi frequentiam, quam in proxima ſacrata Paſchæ celebritate &c.* Narrat deinde populum ſua oratione ad commiſerationem erga Eutropium excitatum fuiſſe, Imperatorem vero, ne eccleſia injuria afficeretur, precibus & lacrymis militum iram in Eutropium conceptam leniiſſe. Tandem fideles admonet, ut ira depoſita, orationibus apud Deum vacent. *Admoveamus igitur nos quoque, quæ a nobis adhiberi par eſt. Qua enim ipſi venia digni eſſetis, ſi Rege propriam injuriam condonante, & oblito, vos nihil tale paſſi, in ira obſtinate pergatis.*

6. Ea Oratione effecit Chryſoſtomus, ut qui paulo ante tum ab Imperatore, cum a militibus, & populo ad necem peteretur, aliquandiu vivere permiſſus ſit, & capitale ſupplicium in exilii pœnam converteretur, exacto ad id etiam ab Arcadii miniſtris jurejurando: *Urgente Gaina*, ait Zoſimus, *& ad cædem ejus*, ideſt Eutropii; *Arcadium impellentes, qui Prin-* — Eutropius in exilium mittitur; paulo poſt interficitur. *Zoſim. lib. 5.*

 *cipis*

Jesu Chr. an. 399.

*cipis negotia tractabant, juſjurandum Eutropio præſtitum, cum extraheretur ex eccleſia, per cavillationem eludentes, eum e Cypro revocant, quaſi qui juraſſent, non ſe morte mulctaturos ipſum, quandiu Conſtantinopoli foret, Chalcedonem miſſum interficiunt.* Hæc Zoſimus; Claudianus Cyprum primo miſſum fuiſſe Eutropium, atque inde revocatum capitali ſupplicio affectum narrat, eademque Socrates, & Sozomenus. De ejus exilio in inſulam Cyprum hæc canit Claudianus:

*Claud. proleg. lib. 2. in Eutrop. Socrat. lib. 6. 5. Sozom. lib. 8. 7.*

*Improbe, quid pulſas mulieribus aſtra querelis,*
*Quod tibi ſub Cypri littore parte quies?*

De ejuſdem etiam exilio, deque bonorum, honorumque omnium expoliatione, extat adhuc Arcadii lex a Sozomeno citata, qua ejus nomen e faſtis abradendum, omnemque memoriam, ſtatuas inſcriptioneſque dicatas everti juſſit. Sic fortunis, dignitateque omni everſus, vitaque ſpoliatus Eutropius, magnum fragilitatis humanæ exemplum præbuit; quo pertinent Claudiani verſus:

*Cod. Theod. tit. de pænit. l. 17.*

*Quiſquis adhuc ſimiles Eunuchus tendit ad actus,*
*Reſpiciens Cyprum, deſinat eſſe ferox.*

Sed de Eutropio ſatis.

Gainas a[d]-[ver]ſus Arca[diu]m rebellat. [Socr]at. lib. 6. [Soz]om. lib. 8. [Z]oſim. lib. 5. [Phi]loſt. lib. 11. 8.

7. Eutropii immenſæ opes, immoderata ſuperbia, ac conſulatus inſignia, ad invidiam excitaverant Gainam Gothum, qui etſi Eutropii opera ex gregali militia ad utriuſque militiæ præfecturam aſcendiſſet, indigne tamen ferebat, Eunuchum ſibi præponi; hinc ut Eutropium ab eo faſtigio dejiceret, adverſus Arcadium Imperatorem rebellavit, & ut ſecurius rem ageret, clandeſtina cum Tribigildo Gothorum Duce conſilia iniit, ac in Phrygiam miſit, ut omnia ibidem cædibus direptionibuſque miſceret, unde Claudianus:

*Claud. in Eutrop. lib. 2.*

*. . Securus Barbarus urbes*
*Irrupit, facileſque capit, ſpes nulla ſalutis*
*Nulla fuga &c.*

Dum hæc anno elapſo fierent, cum adhuc Eutropius viveret, ad leniendam barbari ducis feritatem, dona Tribigildo Eutropius miſit; at Barbarus teſte Claudiano:

Se

JESU CHR. AN. 399.

*Se famulo ſervire negat, nec grata timentum*
*Munera. militiam nullam, nec prima ſuperbus*
*Cingula dignari, nam qui non, conſule tali, vilis honor?*

Cumque ferocior in dies Tribigildus evaderet, gravioreſque clades inferret, Gainam, & Leonem adverſus eum cum exercitu Eutropius miſit, quorum alter perduellis erat, ideſt Gaina, alter vero nomine quidem Leo, cervus autem animo; unde Claudianus de eodem:

*Quem vix Cyclopea ſolum*
*Æquatura fames, quem non jejuna Celeno*
*Vinceret, hinc nomen fertur meruiſſe Leonis.*

Cum autem hiſce ducibus belli gerendi curam delegaſſet Arcadius, Tribigildo cuncta feliciter ceſſere, ac ut pluribus narrat Zoſimus, de clade Romanis illata iterum audiatur Claudianus: *Zoſim lib. 5. Claud. ut ſup.*

*Terbigilus ſimulare fugam, ſtatuſque Leonis*
*Spe nutrire leves; improviſuſque repente*
*Dum gravibus marcent epulis, hoſtique catenas*
*Inter vina crepant, largo ſopita Lyæo*
*Caſtra ſubit, pereunt alii, dum membra cubili*
*Tarda levant; alii leto junxere ſoporem.*
*Ipſe Leo, dama, cervoque fugacior ibat*
*Sudanti tremebundus equo, qui pondere poſtquam*
*Decidit implicitus limo, cunctantia pronus*
*Per vada reptabat; cæno ſubnixa tenaci*
*Mergitur.*

Leone itaque cum exercitu fugato, & interempto, tunc Gainas Tribigildo jungitur, & palam adverſus Arcadium arma movet, diviſiſque copiis Tribigildus in Helleſpontum, Gaiuas in Bithyniam tendit, Calcedonem uſque progreſſus. Quare Arcadius, ut extremum devitaret periculum, miſſis ad Gainam legatis, de ineunda concordia egit. Barbarus vero Saturninum inter Senatores præclariſſimum, & Aurelium, obſides ibi dari petiit, eoſque ſibi traditos in exilium Gainas miſit, deinde cum *Socrat. lib. 6. 6.*

ipſo

Jesu Chr. an. 399.

ipſo Imperatore de ineunda concordia actum eſt, & ſimulatione utens venit Chalcedonem, quo etiam Imperator Arcadius adfuit, cumque ambo in eccleſia eſſent, in qua corpus Euphemiæ Martyris reconditum erat, juramentis invicem præſtitis confirmarunt, neutrum ſcilicet alteri inſidias impoſterum ſtructurum; quod juramentum Arcadius quidem religioſe ſervavit, at Gainas perfida mente, & ore cum juraſſet, iterum ad bellum rediit, atque regiam urbem diripere tentavit, ut anno ſequenti videbimus.

Syneſii ad Arcadium legatio ejuſque de Regno oratio

8. In tanta provinciarum devaſtatione clades maximas Cyrenes paſſa eſt; quare ut ſolatium aliquod inveniret, legationem ad Arcadium miſit; cujus Princeps fuit Syneſius, ejus ætatis inter philoſophos celeberrimus, Tolemaidis poſtea Epiſcopus, qui eo tempore coronam auream Arcadio offerens, egregiam de Regno, ſeu de arte regnandi orationem recitavit, digna quidem ut Principum oculis, & mente obſervaretur: *Me ad te*, inquit, *cum auro caput, tum animum philoſophia coronaturum Cyrene mittit Græca civitas, antiquum & venerabile nomen; infinitis olim doctorum carminibus celebrata, nunc pauper, & humilis, ingentiaque ac deſerta rudera, cui regia munificentia opus eſt, ſi quid gerere velit, veteri illa ſua origine non indignum &c.* triennio continuata eſt Syneſii legatio, ut idem hynno tertio narrat:

Biblioth. PP. tom. 6.

*Votum debitum ex Thracia;*
*Ubi per triennium*
*Habitavi in vicinia.*

In oratione de Regno, cum de Principum officiis multa exponat, una tamen, aut altera ſententia contenti erimus, inter cetera *Recte omnino*, ait, *vetus ſententia, ſubjectorum multitudinem regem non potius facere, quam tyrannum, ſicut nec ovium multitudo paſtorem potius, quam coquum, qui illas abigat, ut mactatis non modo ipſe famem expleat, ſed & aliis epulandas oretio diſtrabat &c.* Docet etiam Principum inexpugnabile munimen, quod & experientia quoque conſtat, eſſe ſubditorum amorem. *Equid vero*, inquit, *tutius Imperium eſt, quam illud, quod amore, & charitate munitur? Quiſnam privatus, quantumvis mediocris conditione ſecurior, aut ab inſidiis tutior, quam Rex ille, quem non metuant, ſed cui metuunt ſubditi? &c.*

Quis

Quis vero Syneſius fuerit, pluribus inferius adnotabimus, cum de ejuſdem Epiſcopatu ſermo redibit. Jesu Chr. an. 399.

9. Ludrica ſpectacula populo ſemper gratiſſima fuere, ea etiam quæ cum honeſtate pugnabant. Inter cetera, quod Majuma dicebatur, quanto ceteris obſcœnius, tanto magis inſanæ plebi in deliciis erat; hinc ſæpe vetitum, ac ſæpe reſtitutum fuerat, ante triennium anno 396. ſic fuerat permiſſum, ut quæ turpia eſſent omitterentur, dato his verbis reſcripto: *Clementiæ noſtræ placuit, ut Majumæ provincialibus lætitia reddatur, ita tamen, ut ſervetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeveret, Dat. VII. Kal. Maji. CP. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Coſſ.* At ſicuti facilius eſt Augiæ ſtabulum, quam theatra, & ſpectacula, ab omni fœditatum genere expurgare, ita conceſſo Majumæ ſpectaculo, in eaſdem obſcœnitates prolabi facillimum fuit. Quare cum Joannes Chryſoſtomus adverſus tantam morum fœditatem iterum, iterumque declamaſſet, effecit tandem, ut eadem Arcadii lege prohiberentur: *Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum reſtrictione triſtitia generetur. Illud vero quod ſibi nomen procax licentia vindicavit, Majumam fœdum, atque indecorum ſpectaculum denegamus, Dat. VI. Non. octob. CP. Theodoro VC. Conſule.* Quam turpia ea ſpectacula fuerint, inde facile patet, quod vel ipſi ethnici ea damnaverint; ac Julianus Apoſtata in Miſopogone Antiochenis probro objicit, quod in Majumæ ferias pecuniam effunderent. Libanius etiam ethnicus philoſophus Majumæ feſta, & ſpectacula tribus orationibus deſcribit, & condemnat. Chryſoſtomus vero tum Antiochiæ, cum CPoli præcipue ſpectacula inſectatus eſt, de Majumæ obſcœnitatibus inter cetera adnotat: *Ex hac menſa ſpiritualium fons emanat bonorum, & hanc tu ſtatim relinquens curris ad theatrum, ut natantes fœminas, & ſexum illum publice oculis intuearis expoſitum. Ad diabolicum illum locum feſtinus accurris, ut ſcilicet ſpectes meretricem natantem, & naufragium animæ repente patiaris. Nam illa quidem in mediis aquis ludit natatu, tu vero de ſublimi ſpectans gradu, in libidinis profundo demergeris.* De Majumæ nomine, origine, & ritu, quo id feſtum celebrabatur, plurima ad eruditionem ſpectantia habet Gothofredus, ad legem ſecundam Cod. Theodoſiani de Majuma.

Spectaculum Majuma ſublatum

*Cod. Theod. lex 2. de Majuma*

*Cod. Theod ut ſup.*

*Chryſoſt. hom. 7. in Matt.*

10. Quo tempore obſcœna Majumæ ſpectacula celebrari prohi-

Porphyrius Gazenſis Epiſcopus Marnæ Templum deſtruit.

JESU CHR. AN. 399.

prohibuit Arcadius, Idolorum delubra deſtrui imperavit. Ut id juberet Arcadius, Gazenſes ſtimulum addiderunt, qui ethnicæ ſuperſtitionis eouſque tenaces erant, ut ejus cauſa chriſtianæ Religioni, chriſtianæque plebi infenſi, continuis vexarent perſecutionibus, quorum temeritatem ut reprimeret Porphyrius Gazenſis Epiſcopus, Marcum diaconum ad Arcadium miſit, ut ab eo licentiam obtineret claudendi, aut deſtruendi Templum Marnæ, quod ibidem celeberrimum habebatur. Quæ quantave ea de cauſa paſſus ſit Porphyrius, unde coactus fuerit legationem ad Arcadium mittere, narrat Marcus in ejus vita, ex qua ſcimus anno proximo vel labenti, cum Chryſoſtomus regiæ urbis Epiſcopus eſſet, & Eutropius adhuc viveret, hæc contigiſſe; inter alia narrat, Gazenſes primum adventui Porphyrii totis viribus obſtitiſſe, cumque *eo anno eſſet ſiccitas & defectus pluviæ, Cives vero omnes id adſcribebant ingreſſui beati Porphyrii, dicentes: Nobis reſponſum dedit Marna, fore ut Porphyrius eſſet auctor malorum civitati*, cumque ſiccitas in dies creſceret, *congregati Idolatræ in Marneo multa ſacrificia, & multas preces ea de cauſa faciebant*. Sed cum nihil obtinuiſſent, tandem chriſtianorum jejuniis, & precibus tanta aquarum copia e Cœlo deſcendit, ut & ipſi ethnici clamare cogerentur: *Chriſtus ſolus Deus, ipſe ſolus vicit*.

Bolland. 26. Febr.

Gazenſes ethnici chriſtianos vexant

11. Beneficio tamen ingrati Ethnicorum plurimi, Porphyrio inſidiari non ceſſabant, cumque Præſes ejus loci Gentilis eſſet, eum vel pecunia corruptum, vel etiam religionis cauſa effecerunt, ut vexaret Chriſtianos: Porphyrius vero noctu & diu Deum rogabat, ut eos ab errore converteret & ad veritatem adduceret. Interea accidit, ut Porphyrius famulum ſuum, Barocham nomine, in vicum quemdam propter canonem Eccleſiaſticum, non procul a civitate, mitteret. Is autem, qui canonem debebat, Idolatra erat; cum vero ab eo canon exigeretur, iſque vellet rem protrahere & differre, nata inter eos contentio eſt, itaut ethnicus debitor, agricolis vocatis, Barocham clavis graviter verberaverit; & quidam ejuſdem pagi, ejuſdemque ſuperſtitionis incolæ ſemimortuum extra pagum in ſolitudinem projecerunt. Alia autem die, cum per illum locum Cornelius diaconus cum aliis duobus Chriſtianis tranſiiſſet, & inveniſſet Barocham ſemimortuum, Gazam tranſtulerunt; at Gazenſes ethnici, arbitrantes eum eſſe mortuum, converſi ſunt in furorem, propterea quod abominandum, pu-

putarent mortuum ferri in civitatem: & cum eum vi eripuiſſent, Cornelium Diaconum, duoſque Chriſtianos verberibus, Barocham vero ligatis pedibus crudeliſſime tractarunt; uſque dum alii in auxilium advenientes Chriſtiani, ab eorum manibus ereptum in eccleſiam transtulerunt, ibique in priſtinam paulo poſt rediit Barochas ſanitatem, ut pluribus in vita S. Porphyrii narrat Marcus. At altera die: *Ecce defenſor populi*, ſequitur idem auctor, *cum Irenarchis, & duobus primoribus Timotheo, & Epiphanio, & aliis multis venientes*, ad Epiſcopum ſcilicet, *incipiunt clamare & tumultuari, dicentes: Cur intuliſti mortuum in civitatem, cum patriæ leges hoc prohibeant? putarant enim Barocham illatum fuiſſe mortuum*; eaque cauſa non ſolum Epiſcopum injuria affecerunt; ſed etiam Cornelium Diaconum & Marcum verberare cœperunt. Cum igitur impii pergerent tumultuari, Barochas divino zelo impletus in gentiles ſurgit, arreptaque fuſte eos percutere non deſinebat. Tantus porro illos invaſit metus, ut cuncti protinus in fugam ſe dederint.

*Quid Barochas in gentiles*

*Arcadii reſcriptum adverſus Idololatras*

12. Cum autem Chriſtianos inſectari non ceſſarent ethnici, Marcum diaconum ad Imperatorem Porphyrius miſit, deprecans, ut auctoritate ſua Idololatris frena injiceret, & ut Idolorum delubra, quæ Gazæ erant, deſtrui juberet, & præcipue illud, quod Marneum vocabatur; ſcriptiſque litteris, Chryſoſtomum Epiſcopum, ut ſibi opem ferret, precatus eſt. Joannes autem litteris lectis, Eutropio cubiculario, qui tunc erat aſſiduus apud Imperatorem Arcadium, rem ſignificavit, ac Porphyrii legatis dixit: *Spero in Dominum Chriſtum, quod ſuam, ſicuti ſolet, ſit facturus miſericordiam*, & ſane ſeptem poſt dies Imperatoris exiit edictum, ut clauderentur ſimulacra Gazæorum, quod cum Marcus accepiſſet, citiſſime Gazam rediit, ubi ſanctiſſimum Porphyrium ægrotantem invenit. At ubi Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani litteras legit, lætitia affectus convaluit. Interea poſt dies aliquot Gazam advenit Hilarius cum duobus Commentarienſibus & armata militia, quam ex Azoto & Aſcalone conſligerat, ac juxta Arcadii juſſionem Idolorum templa clauſit, everſis omnibus quæ erant in eis ſimulacris; Marnæ tamen ſimulacro, ingenti a Gazenſibus accepta pecunia, pepercit. Cum vero non multo poſt Chriſtianis iterum infenſi eſſent, Porphyrius ipſe altera ad Imperatorem legatione ſuſcepta, ut Marnæ Templum demoliretur, obtinuit, ut ſuo loco dicturi ſumus. Ceterum etſi Hilarii avaritia irrita fuerit Marci lega-

JESU CHR. AN. 399.

legatio, Dei tamen virtus evacuari non potuit, quin de Ethnicorum converſione trophæa referret, inter alia refert Marcus, eorum plurimos ad fidem converſos fuiſſe, ut viderunt, Porphyrii precibus, Æliam nobiliſſimam fœminam, in partu periclitantem repente feliciſſime enixam fuiſſe, ac periculo ereptam.

Arcadii lex de deſtruendis idolorum Templis

Cod. Theod. tit. de paganis l. 16.

13. Hoc etiam anno Idolorum templa, quæ in agris erant, ſine tumultu deſtrui juſſit Arcadius, dato ad Eutychianum hoc reſcripto: *Si qua in agris Templa ſunt, ſine turba, ac tumultu diruantur, omnis ſuperſtitionis materia conſumetur. Dat. III. Idus Julii Damaſco: Theodoro VC. Conſ.* Hujuſce ferendæ legis Chryſoſtomum auctorem fuiſſe non dubitamus, qui ad Idolatriæ reliquias evertendas novos ſemper Arcadio ſtimulos adjiciebat; atque ſequentibus annis tumultus in Phœnicia ea de cauſa excitaſſe ethnicos, ac monachorum plurimos interfeciſſe narrat:

Chryſoſt. epiſt. 123. 126.

*Phœniciæ mala rurſum exarſiſſe, ac Gentilium furorem auctum eſſe accepi*, inquit *compluresque monachos partim vulneribus affectos eſſe, partim etiam mortem obiiſſe.*

Honorii Imp. leges adverſus idololatriam.

Cod. Theod. de pag. l. 15. Cod. Juſtin. ibid. l. 3.

Feliciori exitu ad Idolatriæ everſionem Honorius incubuit, cujus tres extant leges, quarum prima ſacrificia fieri prohibuit, templa vero intacta ſervari juſſit ad Macrobium propræfectum Hiſpaniarum, & ad Proclianum Vicarium quinque provinciarum Galliæ hæc reſcribens: *Sicut ſacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta ſervari: ac ne ſibi aliqua auctoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, ſi quod ſcriptum, ſi qua lex forte prætenditur, erutæ hujuſmodi chartæ ex eorum manibus ad noſtram ſcientiam deferantur. Dat. IV. Kal. Febr. Ravv. Theodoro VC. Conſ.* Ad Apollodorum vero Africæ Proconſulem in eamdem rem:

Cod. Theod. de pag. l. 18.

*Ædes inclitis rebus vacuas, noſtrarum beneficio ſanctionum, ne quis conetur evertere. Decernimus enim, ut ædificiorum quidem ſit integer ſtatus. Si quis vero cum ſacrificio fuerit deprehenſus, in eum legibus vindicetur, depoſitis ſub officio idolis, diſceptatione habita, quibus etiam nunc patuerit cultum vanæ ſuperſtitionis impendi. dat. IV. Kal. ſeptemb. Patavio Theodoro VC. Coſſ.* Lege altera ad eumdem Africæ Proconſulem ludos, & ſpectacula ad populi lœtitiam celebrari permiſit.

Cod. Theod. eod. tit. l. 17. Cod. Juſt. l. 4.

*Ut profanos ritus*, inquit, *jam ſalubri lege ſubmovimus, ita feſtos conventus.* De Templis Carthagine deſtructis teſtis eſt Auguſtinus, hæc adnotans: *Conſule Manlio*, ſeu Mallio, *Theodoro, quando jam ſecundum illud oraculum Dæmonum, aut figmentum hominum, nulla eſſe debuit religio*

JESU CHR. AN. 399.

*ligio chriſtiana, quid per alias terrarum partes forſitan factum ſit, non fuit neceſſe perquirere. Interim quod ſcimus in civitate notiſſima, & eminentiſſima Carthagine Africæ Gaudentius, & Jovius Comites Imperatoris Honorii, decimoſexto Kal. Aprilis falſorum deorum templa everterunt, & ſimulacra fregerunt.* Celeberrimum autem Cæleſti deæ dicatum, in Chriſtianorum uſum ab Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo conſecratum fuit, ut narrat auctor libri de promiſſionibus Proſpero inſcripti: *Apud Carthaginem Cæleſtis ineſſe ferebant Templum nimis amplum, omnium Deorum ſuorum ædibus vallatum, cujus platea lithoſtrata pavimento ac pretioſis columnis & mœnibus decorata, prope in duobus fere millibus paſſuum protendebatur. Cum diutius clauſum incuria ſpinoſa virgulta circumſeptum obruerint, velletque populus Chriſtianus uſui veræ religionis vindicare, dracones, aſpideſque* illic ad cuſtodiam templi adeſſe Ethnici vulgaverant; at Chriſtiani fervore ſuccenſi, abſque impedimento omnia amoverunt, ac ſancto Paſchalis inſtante feſto cathedram illic ſuam Aurelius Epiſcopus collocavit, ac cum immenſa chriſtianæ plebis multitudine ſolemnitatem ibidem celebravit. Quo tempore ſubdit idem auctor: *Ipſe cum ſociis & amicis, atque (ut ſe adoleſcentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curioſi ſingula quæque pro magnitudine inſpicimus, mirum quoddam & incredibile noſtro ſe ingeſſit aſpectui, titulus æneis grandioribuſque litteris in frontiſpicio templi conſcriptus, Aurelius Pontifex dedicavit: hanc legentes populi, mirabantur, præſago tunc ſpiritu acta, quæ præſcius Dei ordo certo iſto fine concluſerat*; ut ſcilicet Templum, quod Aurelius ethnicæ religionis Pontifex Deæ Cœleſti olim dicaverat, poſt multa ſecula alter Aurelius chriſtianorum Pontifex, ſive Epiſcopus, Chriſto Deo dicaret. Rem ſimilem, dum Serapidis Templum Alexandriæ ſub Theodoſio Imp. everteretur, accidiſſe narrat Sozomenus, litteras ſcilicet quaſdam hieroglificas ſigno Crucis ſimiles inciſas apparuiſſe, quas cum viri earum rerum periti interpretarentur, vitam æternam ſignificare dixerunt: *Quas litteras*, inquit Socrates, *cum cernerent gentiles, & chriſtiani, ſuæ quiſque religionis eas adaptabant, ſiquidem Crucis effigies aliud apud Chriſtianos, aliud apud Gentiles ſignificat.* Chriſtiani ſignum eſſe dicebant ſalutaris Chriſti Paſſionis, ethnici vero id commune Chriſto & Serapidi fuiſſe affirmabant; ſed de his, quæ Carthagine in dedicatione Templi Deæ Cæleſtis tunc con-

*Auguſt. de civit. Dei lib. 18. 53.*

*Apud Auguſt. tom. in append. De prædict. lib. 3. 38.*

*Sozom. lib. 7. 2.*

*Socrat. lib. 5. 17.*



Digitized by Google

JESU CHR. AN. 399. *Lib. de promm. ut ſup.* tigerunt hactenus. Alibi quoque Templa everſa fuiſſe, & idola deſtructa, idem pſeudo-Proſper teſtatur his verbis: *Novi quoque ipſe in quadam parte Mauritaniæ provinciæ de ſpeleis, & cavernis ita antiqua producta ſimulacra, quæ fuerant abſconſa, ut omnis illa cum clericis in ſacrilegio perjurii civitas teneretur. Quid vero per ceteras provincias in re hac actum ſit, & omnibus notum eſt, & exitus ipſi demonſtrant. Doluit hæc futura Hermes Triſmegiſtus, & mœrens inter cetera ſcripſit dicens: Tunc terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque Templorum, mortuorum erit, cadaverumque pleniſſima futura*; ſic profanari Templa, atque in ſepulchra mortuorum converſa putabant, dum in eis Martyrum corpora, & reliquiæ a chriſtianis recondebantur.

Chriſtianorum modeſtia ab Auguſtino commendatur. *Deuteron. 7. 12.* *Auguſt. in Matth. ſerm. 6.* 15. Qua autem modeſtia in Idolatriæ everſione ſe chriſtiani gererent, Auguſtinus ad populum ſermonem habens, ac Deuteronomii verba exponens, indicat. *Cum data vobis fuerit terra in poteſtatem, aras eorum deſtruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis: cum acceperitis poteſtatem, hæc facite. Ubi nobis*, inquit, *non eſt data poteſtas, non facimus, ubi data eſt, non prætermittimus. Multi Pagani habent iſtas abominationes in fundis ſuis; numquid accedimus & confringimus? Prius enim agimus, ut idola in eorum cordibus confringamus. Quando Chriſtiani & ipſi facti fuerint, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos. Modo* *Aug. epiſt. 154* *orandum eſt pro illis, non iraſcendum illis*. Alibi vero chriſtianos admonet, ut in idololatriæ extirpatione ab omni avaritiæ ſuſpicione abſtinerent, unde addit: *Cum Templa, idola luci, & ſi quid hujuſmodi, data poteſtate evertuntur, quamvis manifeſtum eſt, cum id agimus, non ea nos honorare, ſed potius deteſtari: ideo tamen in uſus noſtros privatos duntaxat, & proprios non debemus inde aliquid uſurpare, ut appareat nos pietate iſta deſtruere, non avaritia. Cum vero in uſus communes, non proprios ac privatos, vel in honorem Dei veri convertuntur, hoc de illis fit, quod de illis hominibus, cum ex ſacrilegis, & impiis in veram religionem mutantur*. Hæc Auguſtinus modeſtiam ubique ſervandam exhortans.

Chriſtiani ab Ethnicis vexati. 16. Quantabilet moderatione in Templorum, aut Idolorum everſione uterentur chriſtiani, non ſemel tamen accidit, ut idololatræ in furorem acti, adverſus chriſtianos commoverentur, eorumque plurimos aut cæderent, vel occiderent. In Colonia ſuffectana hoc tempore ſexaginta Chriſtianorum ethnici

occi-

Aug. epiſt. 50.

occiderunt, quorum memoria martyrologio Rom. recolitur; eo quod Herculis Templum, & Idolum evertiſſent. Quorum immanitatem ad Suffectanos ſcribens Auguſtinus his verbis exprobrat: *Immanitatis veſtræ famoſiſſimum ſcelus, & inopinata crudelitas terram concutit, & percutit cœlum, ut in plateis ac delubris veſtris eluceat ſanguis, & reſonet homicidium. Apud vos Romanæ ſepultæ ſunt leges, judiciorum rectorum calcatus eſt tenor, Imperatorum certe nulla veneratio, nec timor. Apud vos ſexaginta numero fratrum innocens effuſus eſt ſanguis: & ſi quis plures occidit functus eſt laudibus, & in veſtram curiam tenuit principatum. Age nunc principalem veniamus ad cauſam. Si Herculem veſtrum dixeritis: porro reddemus. Adſunt metalla, ſaxa nec deſunt: accedant marmorum genera, ſuppeditat artificum copia. Cæterum Deus veſter cum diligentia ſculpitur, tornatur, & ornatur: addimus & rubicam, quæ pingit ruborem, quo poſſint vota veſtra ſacra ſonare. Nam ſi veſtrum Herculem dixeritis, collocatis ſingulis nummis ab artifice veſtro vobis emimus Deum. Reddite igitur animas, quas manus veſtra contorſit; & ſicuti a nobis veſter Hercules redhibetur, ſic etiam a vobis tantorum animæ reddantur.* Hactenus ad eos Auguſtinus, ironia iſta exprobrans immane facinus, ac Deorum inanem cultum ob oculos repræſentans; ſimulque oſtendens facilius eſſe, mille denuo Hercules, & Deos efformare, quam unum necatum hominem vitæ reſtituere.

Quid Calamenſes in chriſtianos egerint.

*Cod. Theod. tit. de paganis l. 19.*

*Auguſt. epiſt. 91.*

17. Eodem pene furore Calamenſes adverſus concives ſuos egerant paucis ab hinc annis, & ut videtur anno 408. poſt legem alteram ab Honorio Imp. contra Paganos latam. Unde ajebat Auguſtinus: *Contra recentiſſimas leges Kal. Juniis, feſto paganorum ſacrilega ſolemnitas agitata eſt, nemine prohibente tam inſolenti auſu, ut quod nec Juliani temporibus factum eſt, petulantiſſima turba ſaltantium in eodem prorſus vico ante fores tranſiret Eccleſiæ. Quam rem illicitiſſimam atque indigniſſimam clericis prohibere tentantibus, Eccleſia lapidata eſt. Deinde poſt dies ferme octo, cum leges notiſſimas Epiſcopus Ordini replicaſſet, & dum ea quæ juſſa ſunt velut implere diſponunt, iterum Eccleſia lapidata eſt. Poſtride noſtris ad imponendum perditis metum, quod videbatur, apud Acta dicere volentibus, publica jura negata ſunt. Eodemque ipſo die, ut vel divinitus terrerentur, grando lapidationibus reddita eſt: qua tranſacta, continuo tertiam lapidationem, & poſtremo ignem*

*Ec-*

JESU CHR. AN. 399. *Eccleſiaſticis tectis atque hominibus intulerunt; unum ſervorum Dei, qui oberrans occurrere potuit, occiderunt, cæteris partim ubi potuerunt latitantibus, partim quo potuerant fugientibus: cum interea contruſus atque coarctatus quodam loco ſe occultaret Epiſcopus, ubi ſe ad mortem quærentium vocem audiebat, ſibique increpantium, quod eo non invento, gratis tantum perpetraſſent ſcelus. Geſta ſunt hæc ab hora ferme decima uſque ad noctis partem non minimam. Nemo compeſcere, nemo ſubvenire tentavit illorum, quorum eſſe gravis poſſet auctoritas, præter unum peregrinum, per quem & plurimi ſervi Dei de manibus interficere conantium liberati ſunt, & multa extorta prædantibus: per quem clarum factum eſt, quam facile illa vel omnino non fierent, vel cæpta diſiſterent, ſi cives maximeque primates ea fieri perfici vetuiſſent.* Hæc Auguſtinus ad Nectarium Calamenſem ethnicum, ætate, & ſapientia ceteris præſtantiorem, qui his acceptis, litteras ad Auguſtinum dedit, in quibus inter cetera ſuorum factum excuſans ait: *Sed Epiſcopum fas non eſt*, inquit, *niſi ſalutem hominibus impertire, & pro ſtatu meliore cauſis adeſſe, & apud omnipotentem Deum veniam aliorum mereri delictis*. Auguſtinus vero ad ipſum reſcribens ſe acturum quidem, ut reſipiſcentibus parcatur, pollicetur; ita tamen attemperandam fore clementiam addit, ne veniæ facilitate graviora adhuc præſumat impiorum audacia. *Ad hoc nitendum, ſervata manſuetudine, & moderatione chriſtiana, ut aut ceteros deterreamus eorum imitari perverſitatem, aut ceteros optemus eorum imitari correctionem &c.* Ut Calamenſes in ea adverſitate conſolaretur, Calamam ſe Auguſtinus transtulit, ut in eadem epiſtola ad Nectarium teſtatur. Quem exitum hæc habuerint, ignoratur; Poſſidius tamen Calamenſis Epiſcopus, expoſtulaturus adverſus Ethnicos incendiarios, & homicidas navigavit ad Honorium Imperatorem, cujus iram cum timerent Calamenſes, rurſus Nectarius alteras ad Auguſtinum litteras dedit, quibus reſpondens Auguſtinus, Poſſidium apud Imperatorem cauſam agere adnotat.

*Inter Auguſt. epiſt. 90.*

*Auguſt epiſt. 91.*

Honorius collectas Judæorum vetat.

18. Una cum Ethnicorum ſuperſtitione, Judæorum quoque temeritatem hoc anno coercuit Honorius Imperator, ac pecuniarum collectas ab eorum Patriarcha fieri prohibuit, ad Meſſalam Præfectum prœtorio ſcribens: *Superſtitionis indignæ eſt, ut Archiſynagogi ſive presbyteri Judæorum, vel quos ipſi Apoſtolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo*

*certo tempore diriguntur, a ſingulis ſynagogis exactam ſummam atque ſuſceptam ad eumdem reportent*. Quidquid autem collectum fuerat, Ærario ſuo deponi jubebat Dat. III. Id. April. Mediolan. *Theodoro VC. Conſule*. Hanc legem Honorius poſt quinquennium revocavit, atque Judæorum Patriarchæ ut collectas exigeret, permiſit; in quam rem plura apud Gothofredum videri poſſunt, titulo de Judæis. Manichæos etiam Africanam Eccleſiam turbantes lege altera repreſſit Honorius, ad Dominatorem Africæ Vicarium ſcribens: *Noxios Manichæos, execrabileſque eorum conventus, dudum juſta animadverſione damnatos, etiam ſpeciali præceptione cohiberi decernimus. Quapropter quæſiti adducantur in publicum, ac deteſtati criminoſi congrua, & ſeveriſſima emendatione reſecentur. In eos etiam auctoritatis aculei dirigantur, qui eos domibus ſuis damnanda proviſione defenſant: Dat. XVI. Kal. Junii Mediolani; Theodoro VC. Coſſ.* Nefaria Manichæos in eorum cœtibus perpetraſſe teſtis eſt Auguſtinus his verbis: *Hoc ſe facere, quidam confeſſi eſſe in publico judicio perhibentur, non tantum in Paphlagonia, ſed etiam in Gallia, ſicut a quodam Romæ chriſtiano catholico audivi*.

JESU CHR. AN. 399.

Honorii lex adverſus Manichæos. *Cod. Theod. l. 35. de hæret.*

*Auguſt. de nat. bon.*

19. Hoc etiam anno Honorius Imperator, Eccleſiæ privilegia illœſa ſervari, lege altera juſſit, pœna in eos ſtatuta, qui ea violaverint, cujus reſcripti ad Sapidianum Vicarium Africæ dati hæc ſunt verba. *Si Eccleſiæ venerabilis privilegia cujuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta, commiſſum quinque librarum auri, ſicut etiam prius conſtitutum eſt, condemnatione plectatur; ſi quid igitur contra eccleſias, vel clericos per obreptionem, vel ab hæreticis, vel ab hujuſcemodi hominibus fuerit contra leges impetratum, hujus ſanctionis auctoritate vacuamus dat. VII. Kal. Julii Brixiæ Theodoro VC. Conſule*.

Eccleſiæ privilegia ab Honorio confirmantur. *Cod. Theod. de Epiſc. & cler. l. 34.*

20. Dum hæc de rebus ad Africam pertinentibus adnotamus, prætereunda non eſt Carthaginenſis ſynodus hoc anno habita, cujus hæc tantum ſuperſunt: *Poſt conſulatumglorioſiſſimi Imperatoris Honorii IV, & Eutychiani VC. quinto Kal. Majas Carthagine in ſecretario Baſilicæ Reſtitutæ, in hoc concilio legationem ſuſceperunt Epigonius, & Vincentius Epiſcopi, ut pro confugientibus ad eccleſiam, quocumque reatu involutis, legem de glorioſiſſimis mereantur, ne quis eos audeat abſtrahere*. Ad hujuſce ſynodi poſtulationem, ab Honorio datam fuiſſe legem ſupra relatam Sapidiano Africæ Vicario tradit Baronius,

Synodus Carthaginenſis. *Hard. tom. 1. p. 894. Labb. tom. 2. p. 1642.*

nius, quod tamen incertum eſt, ut pluribus adnotant Pagius, & Baſnagius.

*Pag. ad an. 399. n. 18. Baſnag. 399. n. 10.*

JESU CHRISTI an. 400. Anastasii Papæ 3. Arcadii Imp. 18. et 6. Honorii Imp. 8. et 6. Coss. Flavio Stilichone, et Aureliano

Gainas CPolim prædari tentat, ſed fruſtra.

1. Hoc Chriſti anno quadrigenteſimo, Conſulatu Stilichonis, & Aureliani, Orientale Imperium ob Gainæ perfidiam iterum turbatum ac in diſcrimen adductum eſt. Poſt clades etenim a Tribigildo Gainæ inſtinctu illatas, poſtque firmatam Gainam inter & Arcadium pacem, ut anno proximo diximus, CPolim prædari Gainas hoc anno tentavit; nam ut ait Socrates: *Gainas & fœdus initum violavit, & a propoſito ſuo nullatenus deſtitit: nam incendia, prædaſque, ac direptiones, tum Conſtantinopoli, tum per omnes, ſi poſſet, Provincias Imperii Romani facere meditabatur*. Graviſſimas Imperii clades ingentem Cometem e Cælo viſam prænunciaſſe, addit Socrates. At Cometes, quæ ſtatis temporibus apparent, nec bonos nec malos eventus prædicere poſſunt. Gainas tamen primum quidem argentariorum officinas diripere adortus eſt; ſed rumore ejus rei vulgato, cum argentarii pecuniam in menſis minime expoſuiſſent, ad aliud conſilium ſe ſe convertit; nam nocte intempeſta Barbaros ad incendendum palatium miſit: at hæc quoque in irritum ceſſerunt, nam ut narrat Socrates, Angelorum multitudo viſa eſt ab inſidiatoribus, qui militum ſpeciem referrent. Quare Barbari ingentem revera, ac fortem eſſe exercitum ſuſpicati, ſtatim diſceſſerunt. Quod cum Gainæ nuntiatum fuiſſet, incredibile ei videbatur, ſciebat quippe Romani exercitus partem per urbes Orientis diſperſam eſſe. Nocte igitur proxima alios miſit, quibus cum eadem Angelorum turba ſub militum ſpecie apparuiſſet, tandem ipſe Gainas cum ingenti multitudine progreſſus, ſpectator miraculi fuit; ſuſpicatus reipſa militum eſſe multitudinem, qui interdiu quidem deliteſcerent, noctu vero conatibus ſuis obſiſterent, conſilium cæpit, Romanis quidem, ut putabat, exitioſum, verum, ut exitus docuit, feliciſſimum. Nam Arrepticium ſe ſimulans, orationis cauſa pergit ad Eccleſiam Joannis Apoſtoli, quæ ſeptem millibus paſſuum ab urbe diſtat. Profecti ſunt una cum illo Barbari, clam arma

arma efferentes, quæ partim doliis occultaverant, partim aliis fraudibus, ac machinamentis obterebant. Sed cum portarum cuſtodes, deprehenſo dolo, tela exportari prohiberent, Barbari ſtrictis gladiis eos interfecerunt. Quamobrem cum gravis in civitate tumultus exortus eſſet, nil tamen civitas detrimenti paſſa eſt, portis ejus undique obfirmatis. Hæc aliaque Socrates, & Sozomenus; Zoſimus vero addit Gainam Romanos primum milites urbe abductos, per diverſa loca diſperſiſſe, relictis in ea Gothis, qui numerum Prætorianorum, qui ſoli remanſerant, longe ſuperabant; deinde valetudinis prætextu urbe egreſſum, juſſiſſe, ut uno eodemque tempore intus Barbari urbem vaſtarent, dum ipſe invadendæ urbis occaſionem haberet; & niſi, ut ſubdit Zoſimus, *barbarico fervore impulſus, idoneum tempus anticipaſſent, nihil impedimento fuiſſet, quominus urbem Barbari ſuam in poteſtatem redegiſſent.*

Jesu Chr. An. 400.

Zoſim. lib. 5.

2. At ne immane facinus exequeretur, divinum obſtitit conſilium; nam cum Gainas, non *expectata teſſera, ſuos ad murum adduxiſſet*, excitati urbis cuſtodes, concurſu facto, Barbaros qui in urbe erant aggreſſi, gladiis, lapidibus, & quibuſvis armis obviis interfecerunt; in muros deinde unacum præſidiariis advolantes, Gainæ milites, ne in urbem irrumperent, prohibuerunt. In hunc modum, urbe periculo liberata, intercepti ab urbanis Barbari, numero plures quam ſepties mille, Chriſtianorum eccleſiam aulæ proximam ingreſſi ſunt, aſylum hoc ſaluti ſuæ tuendæ quærentes. Hos quidem Imperator in ipſa eccleſia juſſit interfici, at ob loci reverentiam nemo eis inferre manum audebat, aut ex ea extrahere, quod vererentur, ne Barbari defenſionem pararent. *Quapropter viſum eſt demoliri tectum, quod menſæ ſacrarii (ſic enim vocant) impoſitum eſt, ut eo per diſpoſitos ad id homines occupato, tignis illi ſuccenſis barbaros peterent, idque continuo factitantes, ad internecionem omnes exurerent. Hoc ubi factum fuiſſet, Barbari quidem interempti ſunt; ſed viſum eſt iis, qui valde chriſtianizabant, magnum in urbe media piaculum eſſe commiſſum*, ait Zoſimus, eo quod ruinis & incendio eccleſiæ interempti eſſent. His Socrates, & Sozomenus addunt, exorto vix tumultu, occluſiſque urbis portis, Imperatorem prudenti conſilio Gainam publicum hoſtem declaraſſe, ac Barbaros in urbe ab eo relictos, interfici juſſiſſe, qui cum ad eccleſiam confugiſſent, una cum ipſa incenſi aut ferro interfecti ſunt; eademque narrant, tum

Gothi cum eccleſia ſuccenſi.

Zoſim. lib. 5. p. 95.

Socrat. Sozom. ut ſup.

Jesu Chr. an. 400.

Marcellinus in chronico ad annum proximum, conſulatu ſcilicet *Theodori, & Eutropii*, cum Auctor chronici Alex. ad hunc annum his verbis: *Eodem anno cæſi ſunt Gothi multi in Gamomacello* (ſeu Geomacellio, locus erat ubi jugulabantur, mactabanturque pecora) ut adnotat Ducangius. Maritimam quoque cladem Gainæ exercitus idem auctor narrat *decimo Kalendas Januarias*. De navali bello adverſus Gainam geſto audiatur Marcellinus ad hunc annum. *Bellum Navale*, ait, *contra Gainam tyrannum inter Cherſoneſum, & Helleſpontum geſtum eſt. Multa millia Gothorum cæſa, vel demerſa ſunt, Gajna comes de hoc bello fugiens evaſit, ipſo tamen anno occiſus eſt menſe Februario*: deinde ſub Coſſ. anni ſequentis addit: *Caput Gainæ baſlili præfixum CPolim allatum eſt*; & eodem anno auctor chronici Alex. *His Coſs.* inquit, *tranſmiſſa eſt cervix Gainæ Gothi menſe Audineo tertio nonas Januarii*.

*Ducang. CP. chriſt. lib. 1. parag. 24.*

Gainas ſuperatur, & occiditur. *Socrat. lib. 6. 6.*

3. Sed jam totius tragœdiæ exitum, & Gainæ interitum videamus, de quibus hæc Socrates. Ut Gainæ nunciatum eſt, Barbaros in urbe interfectos fuiſſe, ac fraudem ſuam infeliciter ſibi ceſſiſſe, *relicta Joannis baſilica in Thraciam contendit, & cum ad Cherſoneſum veniſſet, illinc trajicere, & Lampſacum occupare conatus eſt, ut ex eo loco Orientis partes invaderet.* Cumque Imperator ſtatim exercitum terra, marique miſiſſet, milites Gainæ ubique a Romanis victi, ad internecionem pene deleti ſunt, ut pluribus idem narrat hiſtoricus. Gaina vero inde regreſſus, cum per Thraciam fugeret, in alias Romanorum incidit copias, a quibus una cum Barbaris, qui cum ipſo erant, interemptus eſt. *Atque hæc quidem de Gaina obiter dicta ſufficiant. Quod ſi quis cuncta, quæ eo bello geſta ſunt, accurate ſcire deſiderat, is legat Gaineam Euſebii Scholaſtici; qui eo tempore Troili Sophiſtæ fuit auditor: cumque hujus belli ſpectator fuiſſet, res in eo geſtas quatuor libris heroico carmine ſcriptis complexus eſt*: idemque argumentum Ammonius Poeta verſibus proſecutus eſt Theodoſio juniore Auguſto ſexdecies, Fauſto Coſſ. *Ceterum hoc bellum finem accepit Conſulatu Stilichonis & Aureliani*, ait idem Socrates, cui conſentit Sozomenus, & Zoſimus, qui addit Gainam poſt acceptas terra marique clades, Iſtro ſuperato, cum ad ſuos revertere cogitaret, ab Hulde Hunnorum Principe interfectum fuiſſe, una cum militibus, quos ſecum ducebat.

4. Cum

Digitized by Google

4. Cum nonnulla inter Aſiæ Epiſcopos diſſidia vigerent, ut ea componeret Joannes Chryſoſtomus, CPoli ſynodum celebravit, ut narrat Palladius Helenopolis Epiſcopus, ac vitæ Chryſoſtomi ſcriptor: *Tertiadecima indictione, cum adventus Gainæ CPolim immineret venerunt CPolim Aſiani Epiſcopi neceſſitatum quarumdam gratia*. Inter eos ex Scythia Theotimus aderat, ex Thracia Ammonius Ægyptius, ex Galatia Arabianus, omnes ad viginti duorum Epiſcoporum numerum, qui cum in unum conveniſſent, Euſebius Epiſcopus Valentinopolitanus ad congregatam Synodum libellum tradidit contra Antoninum Epiſcopum Epheſi, ſeptem capitula objiciens. Primum quidem, quod conflatis ſacris vaſis argentum in uſum filii feciſſet. Secundum, quod ablata de ingreſſu baptiſterii marmora in balneum tranſtuliſſet; quod deinde erexiſſet columnas Eccleſiaſticas intra ſuum triclinium. Quartum, quod puer ejus cædem patraſſet, quem adhuc haberet in miniſterio irreprehenſum. Quintum, quod prædia Eccleſiæ relicta a Baſilina, Juliani Imperatoris matre, vendidiſſet, ſibique pretium vindicaſſet. Sextum, quod dimiſſa uxore ſua, cum ea rurſus congreſſus eſſet, filioſque ex ea procreaſſet. Septimum tandem accuſationis caput, *quod pro lege & conſtituto haberet ordinationes Epiſcoporum vendere, juxta rationem redditu*um, ac in promptu teſtes, ac probationes ſe habere accuſator addidit.

JESU CHR. AN. 400.
CP. ſynodus a Chryſoſtomo celebratur.
*Pallad dialog. Chryſoſth. vita cap. 13. p. 49.*
*Chryſoſt. tom. 13. p. 50.*

5. His auditis Chryſoſtomus, dixit Euſebio: *Frater, quoniam ſæpe fit, ut accuſationes, quæ fiunt ex perturbatione animi, faciles probationes non habeant, ſine te exorari, ut ceſſes Antoninum fratrem ſcripto accuſare*. At Euſebius ira accenſus, durioribus uſus eſt verbis, adverſus Antoninum in accuſatione perſiſtens. Joannes vero Paulum Epiſcopum Heracleæ hortatus eſt, ut Euſebium cum Antonino reconciliaret, ſurgenſque Eccleſiam ingreſſus eſt, una cum Epiſcopis. Clam autem ſubingreſſus Euſebius, coram omni populo, & Epiſcopis libellum alterum obtulit eadem continentem. Joannes vero, ut vidit inſtantiam hominis, libellum recepit, lectiſque divinis Scripturis, Panſophium Piſidiæ Epiſcopum oravit, ut divina dona offerret, ipſe cum reliquis Epiſcopis egreſſus eſt. *Nolebat enim animo turbido ſacrificium facere &c.* Cum itaque urgeret Euſebius in ſua accuſatione, dimiſſo poſt collectam populo, Joannes cum reliquis Epiſcopis in baptiſterio ſedit, ac iterum Euſebium admonuit,

Chryſoſtomus Epiſcopos ad pacem hortatur.

 ut

Jesu Chr. an. 400. Antonini Epheſini Epiſcopi cauſa, Euſebio urgente, agitatur.

ut antequam libellus legeretur eligeret, quod ſibi expedire videretur. *Poſtquam enim fuerit lectus, & in aures omnium venerit, confectis actis non jam licebit cum ſis Epiſcopus abolitionem petere.* Cumque in propoſito perſtaret Euſebius, juſſum eſt libellum recitari, quo lecto, ſeniores Epiſcopi Chryſoſtomo perſuadent, ut de ſimoniæ tantum crimine inquiſitio tunc fieret, nam eo probato, cetera minora, & probatu faciliora erant. Quare Joannes examen inchoans, Antoninum de ſimoniæ crimine interrogavit, at ille continuo negavit. Interrogati qui pecuniam ordinationis cauſa dederant, ſe quidquam dediſſe negaverunt. Quare teſtibus crimen probandum erat; cumque abeſſent teſtes, Chriſoſtomus, ut purgaret Eccleſiam, & teſtibus parceret, per ſe in Aſiam ire, & examen peragere, ſe ultro obtulit. At Antoninus viſa Joannis incorrupta integritate, utpote ſibi conſcius, teſtes ſe quamprimum exhibiturum promiſit, & ne in Aſiam pergeret, ſollicite curavit. Cui etiam per amicos ſuos e Palatio denuntiari fecit, abſurdum eſſe eum eo tempore CPoli excedere, quo Gainæ cauſa urbs in tumultu & periculo erat. Interim lucrum reo erat ſola teſtium dilatio, quos aut pecunia, aut potentia corrumpere ſperabat; at hæc prævidens Joannes ex Synodi ſententia quoſdam e preſentibus Epiſcopis in Aſiam mittere ſtatuit, in quam rem tres electi ſunt, Syncletius ſcilicet Metropolitanus Trajanopolis, Heſychius Epiſcopus Parii, & Palladius Helenopolis. Synodus vero ſtatuerat, ut qui intra duos menſes non occurriſſet Hypæpis, Aſiæ civitate, & jura ſua perſequutus non fuiſſet, excommunicationis ſententia plecteretur. Cum autem ibidem eſſent delegati judices, Euſebium rogarunt intra quot dies teſtes eſſet adducturus, ille vero, qui auro corruptus ſive alia de cauſa cum Antonino ſe reconciliaverat, ſperans ob æſtus vehementiam judices inde diſceſſuros eſſe, promiſit ſe intra 40. dies, aut teſtes producturum, aut pœnas ſecundum canones daturum, hic vero dimiſſus ad inquirendos teſtes, de adimplenda ſponſione nil ſollicitus, CPolim abiit, ibique delituit, cumque judices ad quadrageſimum uſque diem fruſtra Euſebium expectaſſent, omnibus Aſiæ Epiſcopis ſcripſere denunciantes Euſebium ſe excommunicaſſe, ſive ut cauſæ deſertorem, ſive detractorem; expectatiſque adhuc Hypœpis triginta diebus, CPolim redierunt, ubi cum Euſebio exprobraſſent, eo quod datam fidem feſelliſſet, infirmitatem corporis prætexens, teſtes ſe quamprimum adducturum pollicitus eſt.

6. Dum

JESU CHR. AN. 400.

Antoninus Epheſi Epiſc. obiit; Chryſoſtomus in Aſiam proficiſcitur.

*Pallad. ut ſup.*

6. Dum hæc agerentur, *Antoninus moritur, cum quo litem Euſebius habebat*, ſubdit Palladius. Quamobrem cum multi Epheſino throno inhiarent, Epheſini cleri pars ſanior, unacum Epiſcopis aliquot Aſiæ, Joannem Chryſoſtomum miſſa legatione enixe rogarunt, ut in Aſiam & Epheſum uſque tranſiret, tum ut Epiſcopum ibidem tanta ſede dignum ordinaret, cum ut quamplurima perperam ibidem geſta emendaret. Joannes vero etſi corpore infirmus eſſet, nihilominus, ut rebus totius Aſianæ Diœceſeos mederetur, alacritate animi roboratus, ingreſſus navem, urbe diſceſſit.

Chryſoſtomus cum 70. Epiſc. concilium Epheſi celebrat.

7. Irruente interim ſævo Aquilone, cum biduum jejuni perſtitiſſent in navicula agitati, tertia die Apameam devenere, ubi eum expectabant Paulus, Cyrinus & Palladius: quos itineris ſui comites Joannes aſſumpſerat, ac inde Epheſum contendit & congregatis Lydiæ Epiſcopis Aſiæ, atque Cariæ numero ſeptuaginta, in locum Antonini demortui, alterum Epheſi Epiſcopum ordinavit. His geſtis acceſſit ad eos, idest ad Epiſcopos Epheſo congregatos, Euſebius accuſator ſex aliorum Epiſcoporum, rogans ut ad communionem admitteretur. Audiri tamen primo non meruit, cum calumniator haberetur, eo quod paulo ante cum Antoninum Epheſinum Epiſcopum ſimoniæ accuſaſſet, in criminis probatione defecerat, nec teſtes exhibuerat. Quia tamen ut audiretur inſtabat, ac ſe teſtes in ea cauſa præſentes habere ajebat, placuit ſynodo ut audiretur; & admiſſis, auditiſque teſtibus, qui pecuniam dederant, etſi qui ordinati fuerant crimen negarent, convicti tamen evidentia criminis, ultro confeſſi ſunt, id tantum in delicti excuſationem addentes, quod putarent *eſſe conſuetudinem, ut videremur a Curia liberari. Et nunc oramus, ſi fas eſt, ſimus in miniſterio Eccleſiæ: ſin minus, aurum, quod dedimus, recipiamus. Quidam enim e nobis uxorum ſupellectilem dedimus.* Synodus autem ſtatuit, ut aurum ab hæredibus Antonini acciperent, & communicarent intra altare, nec ultra Sacerdotio tanquam ſimoniaci fungerentur. *Ne ſi iſta concederentur, mos fieret Judaicus, aut Ægyptius, vendendi atque emendi Sacerdotium*: deinde in locum eorum, qui depoſiti fuerant, *ſuffecti ſunt alii, non conjugati, vita & doctrina ornati.* In locum autem Antonini demortui Heraclides Epheſinæ eccleſiæ diaconus ordinatus eſt Epheſiorum Epiſcopus, ut Socrates, & Sozomenus narrant; hæc autem Chryſoſtomi geſta labenti anno cœpta, ſequenti tantum anno finem habuerunt.

*Socrat. lib. 6. 11.*

*Sozom. lib. 8. 6.*

8. Quæ.

JESU CHR. AN. 400. CPolitanus Epiſc. Thraciæ & Aſiæ Metropolita.

8. Quæ autem hactenus de Chryſoſtomo narravimus, ſatis teſtantur CPolitanum Antiſtitem, ex privilegio, & canone ſynodi CPolitanæ anni 381. Patriarchalem juriſdictionem in Thracias, Ponticas, & Aſianas diœceſes exercuiſſe, & Epiſcopos ordinaſſe, & exauctoraſſe; alioquin Antoninus Epheſius, aliique apud eum accuſati, aut ab eo depoſiti appellaſſent. Hinc Theodoretus: *Neque vero urbem duntaxat regiam hujuſcemodi cura ac ſollicitudine gubernabat* Joannes, *ſed & univerſam Thraciam, quæ in ſex provincias diviſa eſt, & Aſiam totam, quæ ab undecim Præſidibus regitur, Ponticam præterea iiſdem exornavit legibus, quæ totidem Rectores habet, quot Aſia.*

Theod. lib. 5. 28.

Chryſoſtomus Gerontium Nicomed. Epiſc. deponit, Panſophium ejus loco ordinat. Sozom. lib. 8. 6.

9. Non ſolum in Lycia, Phrygia, & Aſia Epiſcopos tredecim variis criminibus obnoxios exauctoravit hoc tempore Chryſoſtomus, ſed Gerontium etiam Nicomedienſem, cui Panſophium ſubrogavit. De Gerontii exauctoratione hæc narrat Sozomenus: *Gerontium Nicomedienſi eccleſia expulit. Hic enim cum Diaconus eſſet ſub Ambroſio Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopo, neſcio quid paſſus, utrum fucum facere volens, dæmonis arte, & vanis imaginibus deceptus, retulerat quibuſdam, ſe noctu Onoſcelidem comprehenſam, capite raſo, in piſtrinum conjeciſſe.* Eam ob cauſam Ambroſius eum, utpote qui indigna miniſtro Dei locutus eſſet, domi ad tempus manere, & pœnitentia expiari juſſerat. At Gerontius cum optimus eſſet medicus, ac diligentiſſimus, ac ad perſuadendum, parandoſque amicos aptiſſimus, quaſi Ambroſium deridens, Conſtantinopolim perrexit. Cumque illic in amicitiam quorumdam, qui in palatio plurimum poterant, ſe ſe inſinuaſſet, non multo poſt Nicomedienſis Eccleſiæ Epiſcopatum adeptus eſt. Eum autem ordinavit Helladius Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, hanc illi gratiam referens, eoquod ſuffragio ſuo ſplendidam in palatio militiam filio ipſius comparaſſet. Hæc cum didiciſſet Ambroſius, ſcripſit Nectario Epiſcopo CPolitano, ut Gerontio ſacerdotium adimeret, nec ſe, & Eccleſiaſticam diſciplinam contumelia affici pateretur. Verum Nectarius, quamvis omni ſtudio id perficere conatus fuiſſet, nunquam tamen obtinere potuit, univerſis ſimul Nicomedienſibus ei reſiſtentibus. De Panſophii autem ordinatione hæc addit: *Joannes cum illum depoſuiſſet, Panſophium ejus loco ordinavit. Hic uxoris Arcadii Imperatoris pedagogus fuerat*, vir quidem pius, ac placidis moribus, Nicomedienſibus tamen minime gratus, qui ægre admodum Gerontii

exau-

exauctorationem paſſi fuerant. Quamobrem tum Gerontius, cum alii Epiſcopi, qui depoſiti fuerant, & illorum neceſſarii, Joannem accuſare cœperunt, quod rerum novarum in Eccleſiis auctor fuiſſet, & contra morem, inſtitutumque majorum, ordinationum jura immutaſſet. Hæc aliaque ad concitandam adverſus Chryſoſtomum invidiam, ejus adverſarii vulgabant, cum invicto animo ipſe pro domo Dei, & eccleſiaſtica diſciplina tuenda certaret, atque hæreticos ubique exagitaret; hinc dum in Aſiam hoc anno tranſiiſſet, antequam CP. rediret, Novatianis, & Quartadecimanis multas ademit eccleſias, ut ait Socrates. Jesu Chr. an. 400. Socrat. lib. 6. 11.

10. Odium etiam adverſus Joannem vehementer auxit alia quædam hujuſmodi cauſa. *Duo Epiſcopi natione Syri eodem tempore florebant, Severianus, & Antiochus, quorum ille eccleſiæ Gabalorum, quæ urbs eſt Syriæ, hic eccleſiæ Ptolemaidis, quæ in Phœnice ſita eſt, curam gerebat*. Cum ambo ob eloquentiam celeberrimi haberentur; Antiochus primum CP. veniens *cum in eccleſiis urbis regiæ aliquandiu docuiſſet*, magnam pecuniæ ſummam ea de cauſa collegerat, quod ut Severianus audivit, quæſtum & ipſe exercere cupiens, cum diu ſe exercuiſſet, multaſque conciones elucubraſſet, CPolim poſtea perrexit, ibique libenter exceptus a Joanne, initio quidem eum palpabat, eique aſſentabatur, & ab eodem amabatur viciſſim & colebatur. Florebat interim in concionibus, eaque de cauſa multis Proceribus civitatis, ipſique adeo Imperatori familiaris effectus eſt, cui etiam Chryſoſtomus, dum Aſiaticum iter ſuſcepiſſet, *eccleſiam ſuam ei commendavit*, ait Sozomenus. At dum Chryſoſtomus Epheſo moram faceret, Severianus CPoli charior in dies auditoribus fiebat, hiſce quippe artibus quærebat Severianus populum, & Proceres, ipſumque Imperatorem, ejuſque uxorem Eudoxiam benevolos ſibi reddere, ut eam ſedem, Joanne exauctorato, invadere poſſet. *Neque ea res Joannem latuit, quippe cui cuncta celeriter nunciabantur. Cum itaque Serapio Joanni id ſuggeſſiſſet, & eccleſiam a Severiano perturbari retuliſſet, æmulatione accenſus eſt Joannes*, qui cum CPolim rediiſſet, poſtquam ultra centum dies a ſua eccleſia abfuiſſet, poſtridie oratione ad populum verba faciens, gratias CPolitanæ plebi egit, quod cum tanto gaudio redeuntem exceperit; cumque Severiani fraudes perſpectas haberet, atque eum impie loquutum fuiſſe ſciret, ut ait Socrates, Severianum urbe ejecit. At is cum Chalcedonem perveniſſet, *Eudoxia Auguſta Joannem*

Aliæ querelarum cauſa in Joannem excitatæ. Socrat. lib. 6. 11. Sozom. lib. 8. 10. Chryſ. op. tom. 3. p. 411. Ut ſup. p. 413.

JESU CHR. AN. 400. *nem quidem graviter reprehendit ; Severianum vero quamprimum revocari juſſit , & hic quidem ſtatim adfuit .* Joannes vero illius familiaritatem poſthac vitavit . At Eudoxia Auguſta importunitate ſua & precibus tandem effecit , ut Chryſoſtomus Severianum in amicitiam ſuam admitteret , ac palam quidem reconciliati ſunt : intus tamen alter adverſus alterum exulcerato animo permanſit , ait Socrates , eademque Sozomenus .

Socrat. lib. 6. 11.

Chryſoſtomus Arianorum temeritatem comprimit.

11. Cum maxima eloquentia polleret Chryſoſtomus , ac quotidianis ſermonibus vix populum exſatiaret , orationem ſuam eo ſæpe dirigebat , ut gregem ſuum ab hæreticorum fraudibus illæſum cuſtodiret . Cumque hoc tempore Ariani extra urbem collectas majori , quam decebat arrogantia celebrarent , ac catholicæ plebi inſultare non ceſſarent , eorum temeritatem reprimendam cenſuit , de quibus hæc narrat Socrates : *Ariani extra urbem conventus eccleſiaſticos agebant* , nam intra urbem hæreticorum conventicula celebrari Theodoſii legibus vetitum erat . Quoties ergo feſti dies occurrebant , quibus collectæ in Eccleſiis agi ſolebant , ipſi intra civitatis portas circa porticus publicas congregati , Hymnos apte ad Arianam hæreſim compoſitos alternatim ſibi reſpondentes canebant ; ſicque diluculo eaſdem Antiphonas per mediam urbem extra portas egreſſi , proficiſcebantur ad locum , in quo collectas celebrabant , contumelioſis etiam verbis Homouſianos ſive catholicos carpentes . Quare timens Joannes , ne quis ex ſimplicioribus hujuſmodi canticis ab Eccleſia abſtraheretur , quoſdam ex catholica plebe eis oppoſuit , qui nocturnos perinde Hymnos decantando , & Arianorum circa hæc ſtudium obſcurarent , & ſuos in profeſſione rectæ Fidei confirmarent . Cum maximo etiam apparatu precationes , ſupplicationeſque a catholicis fieri juſſit ; Cruces etenim argenteæ præferebantur cum cereis accenſis , Eudoxia Auguſta ſumtum ad id ſuppeditante : at Ariani æmulatione ſuccenſi , ulciſci ſe , & pugnare ſtatuerunt . Hinc nocte quadam prælio inito , Briſo quidam Eunuchus Auguſtæ , qui tum hymnorum cantoribus erudiendis præpoſitus erat , in fronte lapide percuſſus eſt ; utrinque vero nonnulli ex populo cæſi interierunt . Quibus rebus permotus Imperator interdixit Arianis , ne deinceps hymnos publice canerent . Ritum alternatim , ſeu antiphonatim canendi , ab Ignatio Antiocheno Epiſcopo ortum habuiſſe , ibidem adnotat Socrates , de quibus alias nonnulla adnotavimus , ac plura apud Cardinalem Bona tractatu de divina Pſalmodia videri poſſunt .

Socrat. lib. 6. 8. Sozom. lib. 8. 8.

12. Lo-

12. Eodem pietatis zelo motus Chryſoſtomus, Gothicam gentem ex Arianorum erroribus, Scythicam vero ex Deorum cultu, & Marcionitas ad catholicam Fidem revocare curavit. *Cum Scytharum gentem*, ideſt Gothorum, *Arianæ perfidiæ laqueis irretitam teneri cerneret, ipſe quoque machinas omnes, ut ab errore eos revocaret*, adhibuit; Presbyteros quippe ejuſdem linguæ, & Diaconos, ac Lectores, cum ordinaſſet, unam illis eccleſiam aſſignavit, eorumque opera multos a priſtino errore revocavit. Nam ipſe quoque ſæpius conveniens concionem habebat, utens interprete quopiam, qui linguam calleret; & eos, qui dicendi facultate præditi eſſent, ut idem facerent hortabatur. *Cum vero accepiſſet*, ſubdit Theodoretus, *Scythas quoſdam Nomadys, qui ad Iſtrum tentoria fixerant, ſalutem quidem ſitire, ſed qui latices ipſis præberet, neminem reperiri, viros conquiſivit, qui apoſtolicos labores æmularentur, eoſque Barbaris illis præfecit. Ego certe litteras ejus perlegi ad Leontium Ancyræ Epiſcopum ſcriptas, quibus & Scytharum converſionem ei ſignificat, & viros mitti poſtulat idoneos, qui ſalutis viam eis demonſtrarent. Sed & in regione noſtra, vicos quoſdam Marcionis hæreſi laborare cum didiciſſet, Epiſcopo qui tunc præſidebat litteras ſcripſit, hortans ut morbum illum repelleret, & Imperialium legum auxilium offerens.*

Chryſoſtomus Gothorum, Scytharum, & Marcionitarum ſalutem curat. *Theodor. lib. 5. 30. 31.*

13. Tanta porro Joannis Chryſoſtomi in animarum ſalute procuranda ſollicitudo erat, tantaque in dicendo vis, ut ethnicos, & hæreticos alliceret. Inter ceteros, cum virum quemdam ex ſecta Macedonianorum ad catholicam Fidem pertraxiſſet, ille uxorem ſuam hortari cœpit, ut idem ſecum ſentire vellet. At illa priori conſuetudine, & familiarium ſibi mulierum congreſſibus ſeducta, crebras mariti admonitiones ſpernebat, tandem ille: Niſi, inquit, in divinis Myſteriis mecum communicaveris, nec vitæ conſors mihi eris in poſterum. Tum mulier id ſe facturam pollicita, conſilium ſuum aperit ancillæ, quam ſibi fidam eſſe judicabat, eamque ſibi ſociam adjungit ad fallendum maritum. Adveniente autem tempore, quo cum catholicis Euchariſtiam ſumere debuit, mulier id quod acceperat, retinens, quaſi Deum oratura, caput ſubmiſit. Ancilla vero, quæ ei adſtabat, id, quod domo attulerat, clanculum ei tradidit; quod cum mulier dentibus admoviſſet, inſtar lapidis obduruit. Tum mulier verita, ne quid ſibi gravius eveniret, tanto erga ſe patrato miraculo, confeſtim ad

De muliere ex Macedoniana ſecta ad catholicam fidem miraculo converſa. *Sozom. lib. 8. 5.*

 Epiſcopum pergens, ſeipſam accuſavit. Simulque lapidem oſtendit, qui morſus veſtigia retinebat, materia quadam prorſus ignota, & colore inuſitato præditum, cumque effuſis lacrymis veniam poſtulaſſet, eamdem Fidem cum viro deinceps profeſſa eſt. *Quod ſi cui forte hæc minus credibilia videntur, teſtis eſt lapis ipſe, qui in theſauro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ etiamnum ſervatur*, ait Sozomenus.

Toletana ſynodus celebratur. *Labb. concil. tom. 2 p. 1222.*

14. Ad res in Occidente geſtas, & ad Toletanam ſynodum ſe transfert oratio. Synodi epocham ipſe titulus indicat his verbis: *Concilium Toletanum primum novemdecim Epiſcoporum tempore Anaſtaſii, Honorii, & Arcadii, Stilicone Coſſ. habitum Æra 438. anno Domini* 400. *Patrono Epiſcopo Præſidente ſub die ſeptimo idus ſeptembris*. Primo autem Styliconis conſulatu hoc anno geſto eam ſynodum celebratam fuiſſe, non

*Labb. ut ſup. p. 1231.* ſecundo anno 405, Acta ſynodi teſtantur, dum ſententiam ſuam Dictinio, & Anterio ſuſpendunt, uſquedum *illis per Papam*, id eſt per Anaſtaſium Pontificem, *vel per S. Simplicianum* Mediolanenſem Epiſcopum, *communio* reddatur. Anaſtaſius porro æque ac Simplicianus anno 405. vivere deſierant, quorum arbitrio communio Epiſcopis reſtituenda committi non poterat; tandem Idacius in faſtis ſynodum ſub primo Styliconis conſulatu alligat, qui de geſtis in ea addit: *Stylicone primum conſule in Provincia Carthaginenſi, in civitate Toleto ſynodus Epiſcoporum contrahitur, in qua quod geſtis continetur Sympoſius & Dictinius, & alii cum his Gallæciæ provinciæ Epiſcopi, Priſcilliani ſectatores hæreſim ejus blaſphemiſſimam cum adſertore eodem, profeſſionis ſuæ ſubſcriptione condemnat. Statuuntur etiam quædam ſervanda de Eccleſiæ diſciplina, communicante in eodem concilio Ortigio Epiſcopo, qui Celenis fuerat ordinatus, ſed agentibus Priſcillianiſtis pro fide catholica pulſus exulabat*. De extirpanda itaque Priſcilliani hæreſi ea in ſynodo actum eſt, qua non ſolum ex clero nonnulli, ſed etiam Epiſcopi aliquot eadem labe infecti, hæreſim abjurantes ad pœnitentiam, & communionem recepti ſunt.

Toletanæ ſynodi canones.

15. Canones deinde 20. ad eccleſiaſticam diſciplinam instaurandam Toletani Patres ediderunt; quorum ſumma hæc eſt. Primo cautum eſt, ut Diaconi ſi caſti ſint, & continentis vitæ, etiamſi uxores habeant in miniſterio conſtituantur, ſi autem incontinenter cum uxoribus ſuis vixerint, quod per Luſitanos Epiſcopos conſtitutum jam fuerat, presbyterii honore non exornen-

ornentur. Si quis vero ex presbyteris ante interdictum filios ſuſceperit, de presbyterio ad Epiſcopatus honorem non permittatur aſcendere. 2. Pœnitentes ad clerum, niſi neceſſitate urgente, admittere vetat, etiam poſt reconciliationem; Oſtiarii quidem aut Lectoris officio fungi poterunt, Evangelium tamen aut Apoſtolum non legant. 3. Lector qui viduam duxit, ad majores ordines non tranſeat, ſed ſemper Lector habeatur, aut forte Subdiaconus. 4. Subdiaconus qui defuncta uxore aliam duxerit, ab officio removeatur, & habeatur inter Oſtiarios vel Lectores, itaut Evangelium & Apoſtolum, ſeu epiſtolam non legat: ſi vero tertiam uxorem duxerit, abſtentus biennio, poſtea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam, communicet. 5. Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, aut quiſquis alius de clero ſi ad quotidianum ſacrificium non acceſſerit, clericus non habeatur. 6. Puella Deo dicata cum confeſſore, aut quolibet laico familiaritatem non habeat, nec ad convivium ſola adſit, in Lectorum domibus non introeat, niſi conſanguinea aut ſoror ſit. 7. Si quorumque clericorum uxores peccaverint, mariti earum poteſtatem habeant, præter necem, cuſtodiendi, ligandi in domo ſua, ad jejunia ſalutaria, non mortifera cogendi. Cum uxoribus autem quæ peccaverint, nec cibum ſumant, niſi forte ad timorem Dei acta pœnitentia revertantur. 8. Si quis poſt baptiſmum militaverit, & clamydem ſumpſerit, vel cingulum, etiamſi graviora non admiſerit, ſi ad clerum admiſſus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem. Nulla Profeſſa, vel vidua abſente Epiſcopo, vel presbytero, in domo ſua, cum confeſſore, vel ſervo ſuo, Antiphonas faciat. Lucernarium vero, ideſt veſpertinum officium, quod deficiente die accenſis lucernis in eccleſia recitabatur, præſente Epiſcopo aut presbytero, aut diacono legatur. 10. Qui aliis obligati ſunt, clerici non ordinentur ſine conſenſu patronorum. 11. Quicumque ex potentioribus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religioſum expoliaverit, ſi ab Epiſcopo admonitus, res ablatas reſtituere nolit, excommunicetur & in tota provincia excommunicatus denuncietur, donec aliena reddat. 12. Clerici a proprio Epiſcopo niſi ob ſchiſma, aut hæreſim, non recedant. 13. Qui intrant eccleſiam, & nunquam communicant, ſi admoniti non reſipiſcant, in pœnitentium ordinem ablegentur. 14. Qui acceptam a Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, tamquam ſacrilegus ab eccleſia ejicia-

Jesu Chr. an. 400.

Jesu Chr. An. 400. ciatur. 15. Qui cum excommunicato ſive clerico, ſive laico communicaverit, aut ad colloquium, aut convivium exceperit, excommunicetur. 16. Virginem, aut ſanctimonialem lapſam poſt decennalem pœnitentiam recipiendam jubet, parique pœna corruptor ejus ſubjicitur; ſi vero nupſerit, non recipiatur, niſi aut vivente viro caſte vivere inceperit, aut poſt ejus obitum. 17. Conjugati concubinam habentes a communione repellantur. Si quis vero pro uxoris loco concubinam habuerit, dummodo unius uxoris, ſive concubinæ contentus ſit, a communione non repellatur. Concubinæ autem nomine hoc canone uxor minus ſolemniter ducta venit, de quibus vide inter alios Nat. Alex. diſſert. 29. in hiſt. eccleſ. ſeculi primi 18. Vidua Epiſcopi, presbyteri, aut diaconi, ſi maritum accipiat, uſque ad mortem non communicet. 19. Epiſcopi, presbyteri, aut diaconi filia Deo dicata, ſi nupſerit, a communione repellatur, ſi pœnitentiam egerit, in extremo vitæ communionem accipiat; ſi pater earum aliter egerit, eadem pœna ſubjicitur. 29. Chriſma nemo impoſterum præter Epiſcopum conficere præſumat. Ante diem Paſchæ Diaconi, aut Subdiaconi ab Epiſcopo accipiant chriſma. Abſente Epiſcopo, vel eo jubente presbyter chriſmate ungat; non vero diaconus, quod de chriſmate in Baptiſmate, non vero de chriſmate in Confirmationis ſacramento adhibendo intelligendum eſſe cenſet Nat. Alexander hiſt. eccle. ſec. 5. cap. 5. tom. 5. p. 175. Hactenus canonum ſumma Toletanæ ſynodi, quæ prima inſcribitur, cujus in præfatione, conſidentibus Epiſcopis n. 19, adſtantibus & presbyteris & diaconibus, ſtatutum primo fuerat, ut conſtituta concilii Nicæni perpetuo ſervarentur. Alia etiam eadem ſynodo notatu digna geſta ſunt, & ut fidei profeſſionem prætereamus, quam ad aliam poſteriorem Toletanam ſynodum pertinere conſtat ex S. Leonis nomine, quod in præfatione legitur; actum in ſynodo eſt de reconciliatione Epiſcoporum, aliorumque, qui abdicata Priſcillianiſtarum hæreſi, cum Eccleſia catholica reconciliari petierant.

*Bar. an. 405. n. 44. Nat. Alex. ut ſup.*

Dictinius, & Simphoſius Epiſc. abjurata Priſcilliani hæreſi reconciliantur.

16. Itaque ut in Actis legitur: *Poſt habitum concilium tertio nonas ſeptemb. poſt diverſas cognitiones tunc habitas, ſub die octavo iduum ſeptemb. excerptæ ſunt de plenariis geſtis profeſſiones Domini Symphoſii, & Dictinii memoriæ Epiſcoporum, & Comatii tunc presbyteri, quas inter reliquos habuerunt, in concilio Toletano de damnatione Priſcilliani; tunc Dictinius Epi-*

*Epiſcopus dixit : Audite me optimi Sacerdotes .... Hæc ſi dignamini omnia ante oculos pono, hoc enim in me reprehendo, quod dixerim unam Dei, & hominis eſſe naturam. Ego non ſolum correctionem veſtram rogo, ſed & omnem præſumptionem meam de ſcriptis meis arguo atque condemno .. Omnia quæ inveniuntur contra fidem cum ipſo auctore condemno.* Hic eſt ille Dictinius, qui ſcriptis ſuis Priſcillianiſtarum ſectæ patrocinatus fuerat; cujus mentio in Leonis epiſtola ad Turribium his verbis extat: *Prodiit juſta querimonia, quod Dictinii tractatus, quos ſecundum Priſcilliani dogma conſcripſit, a multis cum veneratione legerentur, cum ſi aliquid memoriæ Dictinii tribuendum putant, reparationem ejus magis amare debeant, quam lapſum.* Dictinius itaque ea de cauſa non ſolum Priſcilliani hæreſim abdicavit, ſed etiam quæcumque pro ea ſcripſerat, condemnavit. Eidem Priſcillianæ hæreſis condemnationi ſubſcripſit Simphoſius. *Juxta quod*, ait, *paulo ante lectam eſt in membrana neſcio qua, in qua dicebatur Filius innaſcibilis, hanc ego doctrinam, quæ aut duo principia dicit, aut Filium innaſcibilem, cum ipſo auctore damno*, & iterum. *Cum accepiſſet chartulam de ſcripto recitavit. Omnes libros hæreticos, & maxime Priſcilliani doctrinam, juxta quod hodie lectum eſt, ubi innaſcibilem Filium ſcripſiſſe dicitur, cum ipſo auctore damno. Et Comaſius presbyter dixit: Nemo dubitet me cum domino meo Epiſcopo ſentire, & omnia damnare, quæ damnavit .... quidquid ille damnavit & ego damno, ſequor auctoritatem Epiſcopi mei Simphoſii, ſequor ſapientiam ſenis &c.* ac non ſolum Nicænam fidem ſe cum iis profiteri teſtatus eſt, ſed omnes hæreſes, & præcipue Priſcillianiſtarum ſe damnare addidit. Quid autem de his, aliiſque, qui hæreſim, edita catholicæ Fidei profeſſione, abjuraverant, decreverit ſynodus, ſynodi Acta teſtantur.

*S. Leo epiſt. 15. cap. 16. edit. Veron.*

17. Itaque Epiſcopi dixerunt: *Legatur ſcriptura ſententiæ, & legit: Etſi diu &c*; ac primo narrant Patres, quod poſt Cæſar-Auguſtanum concilium Hiſpaniæ Epiſcopis Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus ſcripſerat, ut clerici, qui Priſcillianiſtarum hæreſi ſubſcripſerant, *ſi condemnaſſent, quæ perperam egerant, & implaſſent conditiones, quas præſcriptæ litteræ continebant, reverterentur ad pacem*, eademque Siricius Papa confirmaverat; inter conditiones vero id exigebatur, ut a conſortio martyrum Priſcillianæ ſectæ recederent; & ii erant, quos Maxi-

Synodi Tolet. ſententia qua pœnitentes ſuis ſedibus, & communioni reſtituit. *Labb. ut ſup. p. 1230.*

Jesu Chr. An. 400. Maximus Imperator extremo ſupplicio addixerat . Dictinius autem & Simphoſius in Tolatano concilio admiſſi , Priſcilliani hæreſi abdicata , cum Eccleſia reconciliari poſtulaverant, quos Synodus recipiendos eſſe juſſit , expectato tamen conſenſu Anaſtaſii Pontificis Rom: , & Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi . Vegetinum autem , in quem nulla ſpecialiter prolata ſententia eſt, cum catholicam Fidei confeſſionem exhibuiſſet , communioni ſtatim reſtitutus eſt . Paterno etiam catholicam Fidem profeſſo eccleſiam , in qua epiſcopus fuerat conſtitutus , retenere permiſerunt,recepturi etiam in ſuam communionem,cum Sedes Apoſtolica reſcripſerit . Reliqui vero , qui ex provincia Gallæciæ ad concilium convenerant , & in Symphoſii ſemper communione perſeveraverant , accepta forma a concilio miſſa , ſi ſubſcripſerint , etiam ipſi admittantur , ait Synodus , *expectantes pari exemplo , quid Papa qui nunc eſt , quid Sanctus Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus , reliquique Eccleſiarum reſcribant Sacerdotes .* Hunc quippe honorem Romano Pontifici præcipue ſemper detulerunt Eccleſiæ catholicæ Epiſcopi , ut in gravioribus cauſis , cujuſmodi hæc erat de admittendis ad communionem Eccleſiæ hæreticis , ſuiſque etiam ſedibus reſtituendis Epiſcopis , nil inconſulto Romano Pontifice difinirent . Quare uſque dum reſponſa Romani Pontificis , & Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi redirent: *Conſtituimus,* inquiunt Toletani Patres , *non Epiſcopos , non Presbyteros , non Diaconos ab illis ordinandos ; ut ſciamus , ſi vel nunc ſciant ſub conditione remiſſi , tandem ſynodicæ ſententiæ præſtare reverentiam .* In eos vero,qui obſtinati in errore ſuo permanſerant , hanc ſententiam ſynodus tulit . *Herenas clericos ſuos ſequi maluerat , qui ſponte , nec interrogati Priſcillianum catholicum , ſanctumque martyrem clamaſſent , atque ipſe uſque ad finem catholicum hunc eſſe dixiſſet perſecutionem ab Epiſcopis paſſum . Hunc cum his omnibus , tam ſuis clericis , quam diverſis Epiſcopis , hoc eſt , Donato , Acurio , Emilio , qui ab eorum profeſſione recedentes , maluiſſent ſequi conſortium perditorum , decernimus ab Sacerdotio ſubmovendum &c.* tandem Epiſcopos monet Toletana ſynodus *enixe excubandum , ne quis communione depulſus , collectiones faciat per mulierum domos , & apocrypha , quæ damnata ſunt legatis ; ne communicantes his pari ſocietate teneantur . Quoniam quicumque has ſuſceperit , certum eſt eos etiam graviori ſententia retinendos eſſe . Fratri autem noſtro*

Labb. ut ſup.

*ſtro Ortygio eccleſias, de quibus pulſus fuerat, pronunciamus eſſe reddendas*. Hactenus Toletanæ ſynodi Acta.

Jesu Chr. an. 400.

18. Inter Toletanæ ſynodi Patres Olympius Epiſcopus ob eruditionem maxime eminebat, de quo Gennadius: *Olympius natione Hiſpanus Epiſcopus, ſcripſit librum fidei adverſus eos, qui naturam, & non arbitrium in culpam vocant, oſtendens, non creatione, ſed inobedientia inſertum naturæ malum*. Quod opus adverſus Manichæos præcipue ſcriptum fuiſſe patet, aſſerentes carnem a malo principe tenebrarum eſſe, ac proinde neceſſitate, non arbitrio homines ad malum impelli. Olympii Hiſpani Epiſcopi meminit Auguſtinus: *Olympius Hiſpanus Epiſcopus, vir magnæ in eccleſia, & in Chriſto gloriæ, in quodam ſermone eccleſiaſtico ſi fides &c.* & infra Olympii teſtimonio adverſus Pelagianos utens, eum inter illuſtriores Eccleſiæ patres recenſet: *Cyprianus, Rheticius, Olympius, Hilarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Joannes* Chryſoſtomus, *Baſilius, quibus adde presbyterum, velis nolis, Hieronymum*. Olympii tamen opus aut deperditum eſt, aut adhuc latet.

De Olympio Epiſc. ejuſque ſcriptis. *Genaad. de vir. Illuſt. cap.* 24.

*Auguſt. contra Julian. lib.* 1. 3. & 7.

*Dupin. bibliothec. ſecul.* 5. *tom.* 2. *p.* 511.

19. Hoc anno S. Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, quem cum Anaſtaſio conſulendum cenſuit Toletana ſynodus de recipiendis in Eccleſiam Priſcillianiſtis ad Eccleſiam reverſis, ut diximus, hoc anno vivere deſiit, ante diem 18. Kalend. Septemb. qua hæc Toletani Patres ad eumdem ſcripſerunt, quibus ejus obitus adhuc ignotus erat; in catalogo etenim Epiſcoporum Mediolanenſium a Mabillonio edito, de ejuſdem obitu hæc leguntur: *S. Simplicianus ſedit annos X.* ( legendum eſt annos III. ) *depoſitus XVIII. Kal. ſeptemb.* hoc vero anno ipſum obiiſſe conſtat ex ſynodo Carthaginenſi anno ſequenti habita, decimoquarto Kal. Julii, quæ de admittendis in clerum hæreticis ad Fidem catholicam redeuntibus, Venerium Mediolanenſem Epiſcopum, Simpliciani ſucceſſorem, una cum Anaſtaſio Rom. Pontifice conſulendos cenſuit, ut ibidem videbimus. Paulinus quoque in epiſtola ad Delphinum Burdigalenſem hoc anno ſcripta, Venerium in Epiſcopum Mediolanenſem ordinatum tum fuiſſe narrat his verbis: *Brevi poſt ordinationem ſuam*, Anaſtaſius ſcilicet Pontifex deſinente anno 398. ordinatus, *epiſtolas de nomine noſtro plenas & religionis, & pietatis, & pacis ad Epiſcopos Campaniæ miſit, &c.* deinde, *nos ipſos Romæ, cum ſolemni conſuetudine ad Beatorum Apoſtolorum natalem veniſſemus*, anno elapſo 399. *tam blande, quam bono-*

Simplicianus Mediol. Epiſc. obiit, cui ſuccedit Venerius.

*Bar. an.* 400. *n.* 3.

*Pag. ibid. n.* 5.

*Mabil. Muſ. Ital. tom.* 1.

*Papebroch. exeg. tom.* 7. *menſ. Maji.*

*Paul. epiſt.* 20.

Jesu Chr. An. 400. *honorifice excepit: poſtea quoque interpoſito tempore*, hoc nempe anno 400. *etiam ad Natalem ſuum, quod conſacerdotibus ſuis tantum deferre ſolet, invitare dignatus eſt ... Mediolanenſis quoque Epiſcopus novus filius veſter huc uſque, nunc frater Venerius, jam ſcripſerat nobis poſt ordinationem ſuam*. Paulinus itaque antequam hoc anno Romam ad natale Apoſtolorum Petri, & Pauli pergeret, epiſtolas a Venerio de ordinatione ſua acceperat.

JESU CHRISTI AN. 401. INNOCENTII PAPÆ I.
ARCADII IMP. 19. ET 7. HONORII IMP. 9. ET 7.
COSS. VINCENTIO ET FRAVITA

Præfatio ad quintum ſeculum, ejuſque conſpectus.

1. Exacto ſeculo quarto, quod diu nos implicatos detinuit, dum longa quodammodo peregrinatione fatigati, aut periculoſa navigatione territi portum aut quietem exoptamus, quintum continuo ingredimur, materiæ copia, quæſtionumque multitudine eouſque irretitum, ut præcedenti ſeculo æquari non ſolum poſſit, ſed etiam vincat. Sola Origeniſmi hiſtoria, quæ nobis pertractanda ſe ſe offert, quæque univerſum fere Orbem aut invaſit, aut implicavit, tot opinionum, & difficultatum varietate obvoluta eſt, ut ubi certo pedem figamus, vix, ac ne vix quidem inveniamus: nec feliciora aut faciliora ſunt, quæ ſubſequentur, de Pelagiana, Neſtoriana, & Eutychiana hæreſi, variiſque earum hæreſum ramunculis, deque conciliis ea de cauſa habitis, præcipue Epheſino, & Chalcedonenſi &c. His adde tot bella, Barbarorumque incurſiones, quæ ſeculo quinto Orienti, æque ac Occidenti vaſtitatem, luctumque attulerunt. Ipſa Roma Orbis olim domina in ſervitutem redacta, Barbarorum ludibrio, prædationibuſque expoſita fuit; unaque cum Urbe Orbis totus ad interitum quodammodo properare viſus eſt. In tanta itaque argumenti difficultate, tantiſque anguſtiis conſtituti, quo animum ſtylumque convertamus, operis magnitudine perterriti, arduitateque præpediti, vix invenimus. Ne tamen ab opere proſequendo ob ingruentes undique difficultates manum retrahamus, nos evangelica ſententia terret, ne fortaſſe illudant nobis homines dicentes: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſumare*. Scio itaque quid faciam. Auxilium a Domino petam, ut qui incipere dedit, det

Luc. 14. 30.

Digitized by Google

det etiam in perſeverando conſtantiam; utque facilius voti compos ſim, ad Deiparam Virginem confugiam, patrocinium ejus imploraturus, ut ipſa efficaciſſimas ad proſequendum vires apud Deum imploret, eaque fiducia innixus Origeniſmi hiſtoriam Baronii verbis auſpicabor.

Origenis cauſa gravis contentio in eccleſia exoritur.

Bar. an. 400. 51.

2. *Magnam ſane ac luctuoſam narrationem aggredimur*, ait Annalium Parens, *qua non Gentilium adverſus Chriſtianos, vel hæreticorum adverſus Catholicos, iniquorumque adverſus probos ac juſtos; ſed Sanctorum adverſus Sanctos (quod pro monſtro habitum eſt, atque portento) conflictatio, ac dira perſecutio deſcribatur*. Et ſane magnum, ſed triſte ſpectaculum fuit, quod viri alioquin & pietate, & doctrina celeberrimi, tanto cum animi ardore inter ſe certaverint ob Origenis libros, erroreſque, cum perpauci eſſent, qui erroribus Origenis ſubſcriberent, ac totius controverſiæ ſcopus in eo maxime eſſet, num errores, hæreſeſque, quæ in Origenis libris, & maxime in libris Periarchon inſertæ erant, Origeni adſcribendi, nec ne eſſent; eaque de cauſa non ſolum cum Ruffino Hieronymus, ſed cum Joanne etiam Hieroſolymorum Antiſtite, Theophilus vero Alex. Epiſcopus & Epiphanius cum monachis Ægypti & cum Joanne Chryſoſtomo certaverit. Quid vero tum Romæ ab Anaſtaſio Pontifice, cum Alexandriæ a Theophilo, aut Conſtantinopoli a Chryſoſtomo, aut Epiphanio in eam cauſam geſta ſint mox videbimus: nunc altius repetenda res eſt, ut uno ictu luctuoſa tragœdia exponatur; atque memoria ſunt repetenda, quæ anno 399. diximus, quod Ruffinus ſcilicet, acceptis Hieronymi epiſtolis ad Oceanum, & Pammachium datis, quibus Hieronymus Ruffinum ut hæreticum ſuggillaverat, dicens: *Tantum me diligunt, ut ſine me hæretici eſſe non poſſunt*; ea injuria excitatus ſuam in Hieronymum invectivam, ſeu Apologiam tribus libris vulgavit, qua Hieronymo teſte: *Nunc quoque, quia renui laudatorem, & verſo ſtylo docui me non eſſe quod meus neceſſarius prædicavit, dicitur furere, & tres contra me libros venuſtate Attica texuiſſe*; & infra: *Nec læſiſſe contentus, quaſi adverſus elinguem, ſemperque taciturum, tres elaboravit libros*; quibus limandis triennium inſumpſit: *Libris enim tuis*, ait Hieronymus, *quos limaſti per triennium*, ideſt ab anno 399. quo epiſtolam Hieronymi ad Pammachium acceperat, ad labentem, quo Apologiam ſuam vulgavit duobus libris diviſam, quam amicis ſuis Romam miſit; eoque tempore tertium

Hier. Apol. adverſ. Ruff. lib. 1.

Hier. Apol. 2. tom. 2. p. 240.

*Jeſu Chr. an. 401.*

librum ſeu Apologiam breviorem pro fide ſua ad Anaſtaſium Pontificem direxit, ut invidiam ſibi apud eum conflatam dilueret. Hinc patet eos erraſſe, ut a Fontanino, & ab editore Veronenſi operum S. Hieronymi adnotatum eſt, dum primam Ruffini invectivam, ſeu confutationem epiſtolæ Hieronymi ad Pammachium deperditam eſſe ſcripſerunt, nam tres libri a Ruffino ea de cauſa ſcripti, & a Hieronymo citati, in ejuſdem Apologia duobus libris diſtincta continentur, tertius vero eſt altera brevior Apologia ad Anaſtaſium Pontificem miſſa. Viros doctos fefellit varia hujuſce Apologiæ inſcriptio, nam quam Ruffinus Apologiam dixerat, Hieronymus Ruffinum imitatus, qui epiſtolam ſuam ad Pammachium invectionem, & invectivam paſſim appellaverat, Ruffini Apologiam invectivam dixit, hinc Ruffini Apologiam extare ajunt, invectivam autem periiſſe. *Prior vetuſtate intercidit*, ait Baſnagius, *poſterior ſupereſt duas in partes diviſa*. In primo Apologiæ ſuæ libro, in dogmaticis criminationibus repellendis totus eſt Ruffinus; quem a verbis Hieronymi in epiſtola ad Pammachium auſpicari placuit: *Omittam perſonas, rebus tantum, & criminibus reſpondebo, neque enim cauſæ prodeſt maledicentibus remaledicere, & adverſarios talione mordere*. Quare ſe omnes hæreſes averſari, ac Aquilejenſe ſymbolum hactenus a ſe cuſtoditum fuiſſe pluribus adſtruit, ea præcipue exponens, quæ Trinitatis myſterium, & carnis reſurrectionem ſpectabant, nec Origenis deliria probare, aut ſe Apologeticum pro eo ſcribere velle teſtatur: *Sive enim ſtat apud Deum, ſive lapſus eſt, ipſe viderit*. Altero vero libro plura in Hieronymum ipſum Ruffinus objicit, ſeque ab impactis criminibus vindicare ſatagit, in eo maxime quod Origenis Periarchon in latinum vertiſſet, quodque cum Pamphylo Martyre, qui Apologiam pro Origene ſcripſerat, & ipſe laudaſſet; tandem ſe adverſus Origenem catholicæ Eccleſiæ ſententiam prompto animo ſequi teſtatur: *Me enim*, inquit, *ſequi neceſſe eſt Eccleſiæ catholicæ ſententiam, ſive adverſus Origenis libros, ſive adverſus hos datam*.

3. Quo tempore duos ſuperiores libros Romam miſit Ruffinus, aliam breviorem Apologiam pro fide ſua ad Anaſtaſium Pontificem addidit, eaque fidei ſuæ profeſſionem inſeruit, ut ſe ab omni hæreſum ſuſpicione alienum eſſe probaret, aut quidquam in translatione librorum Origenis peccaſſe demonſtraret. Nam ait: *Origenis ego neque defenſor ſum, neque aſſer-*

*Huet. Origen. lib. 2. c. 55. 18. Caveus hiſt. litt. in Ruff. Baſnag. an. 399. 15. Dupin. bibliothec. tom. 3. Fontanini hiſt. litt. Aquilej. p. 236.*

*Hier. vita tom. 9. p. 178. Hier apol. adverſ Ruff lib. 3. Baſnag. ut ſup. Hier. ep. tom. 2.*

*Ruff Apol. lib. 2. in fine tom. 2. op. Hier. p. 674.*

Ruffini Apologia & fidei confeſſio ad Anaſtaſium Rom. Pontifi. *Tom. 2. ut ſup. p. 574.*

*aſſertor, neque primus interpres. Alii ante me hoc idem qui fecerant, feci & ego poſtremus rogatus a fratribus, ſi jubetur ne fiat, juſſio obſervari ſolet in poſterum. Si culpantur qui ante juſſionem fecerunt, culpa a primis incipiat. Ego enim præter hanc fidem, quam ſupra expoſui, quam eccleſia Romana, Alexandrina, & Aquilejenſis noſtra tenet, quæque Hieroſolymis prædicatur, aliam non habui unquam, nec habeo in Chriſti nomine, nec habebo, & ſi quis aliter credit, quiſquis ille eſt anathema eſt &c.* quam fidem ſuam *perſecutionis hæreticorum tempore, quum in ſancta Alexandrina eccleſia degeremus in carceribus, & exiliis, quæ pro fide inferebantur*, ab Arianis ſcilicet, probatam fuiſſe teſtatur, qua fidei expoſitione quantum Anaſtaſio Papæ ſatisfecerit, infra videbimus, nunc Hieronymi Apologiam adverſus Ruffinum ſcriptam ſubnectimus.

Jesu Chr. an. 401.

Hieronymus duos libros, ſeu primam Apologiam adverſus Ruffinum ſcribit.

4. Utramque Apologiam, ideſt duos libros adverſus Hieronymum, & epiſtolam, ſeu apologiam ad Anaſtaſium Pontificem datam ad amicos Romam miſerat Ruffinus, ea lege, ut eas nequaquam in vulgus ſpargerent, ne majus fortaſſe earum cauſa excitaretur incendium, ut revera contigit; nam Pammachius etſi integrum Ruffini opus præ manibus habere non potuiſſet, collectas tamen undequaque ex eiſdem libris ſententias, ad Hieronymum illico miſit, eaſque ut Hieronymus accepit, atque ſe ex amicorum litteris, & Pauliniani relatione male a Ruffino traductum accepit, continuo hoc eodem anno Apologiam pro ſe ipſo in duos libros diſtinctam elucubravit, quam Pammachio, & Marcellæ Romam direxit, quibus poſtea & tertium librum addidit, cum eaſdem Ruffini invectivas, ſeu Apologiam, una cum Ruffini epiſtola accepiſſet. In ea Apologia primum in nomine Ruffini ludit Hieronymus, qui cum paſſim Tyrannius Ruffinus diceretur, hæc habet: *Veſtris, & multorum litteris didici, objici mihi in ſchola Tyranni lingua canum meorum ex inimicis ab ipſo, cur Periarchon libros in latinum verterim. O impudentiam ſingularem, accuſant medicum, quod venena prodiderit, ut ſcilicet pharmacopolam ſuum non innocentiæ merito, ſed criminis communione tueantur, quaſi culpam numerus peccantium minuat, & in perſonis, non in rebus ſit accuſatio*; deinde Ruffino objicit, quod libros ſuos legendos traderet, & edere recuſaret: *Ut ſimplicium corda pervertant*, inquit, *& mihi facultatem pro me auferant reſpondendi*; nam *ſi ſunt vera quæ ſcribit, cur publicum timuit? ſi falſa*

*Hier. op. tom. 2. p. 458.*

Jesu Chr. An. 401. *ſa, cur ſcripſit?* Et iterum in eamdem rem: *Dicis te accuſationem meam ad eos tantum miſiſſe, qui meis verbis læſi fuerant, & non ad plures, quia non ad oſtentationem, ſed ad ædificationem, chriſtianis loquendum eſt. Et unde, oro te, librorum tuorum ad me fama pervenit? Quis eos Romæ, quis in Italia, quis in Dalmatia diſſeminavit? Si in ſcriniis tuis & amicorum tuorum latebant, ad me quomodo mea crimina pervenerant? Et audes dicere, te non ad oſtentationem, ſed ad ædificationem, quaſi Chriſtianum loqui, qui de ſene ſenex tanta confingis, quanta non diceret de latrone homicida, de ſcorto meretrix, ſcurra de mimo?* Tum ad omnes Ruffini criminationes reſpondet, quæ ſingulatim proſequi longum eſſet, multa inquit de Origenis Pamphyli Apologia, quam huic Martyri abjudicat, quamque revera Pamphylo Martyri adſcribendam eſſe pluribus contendit erudiriſſimus vir in Ruffini Apologia Fontaninus, aliique; deinde de Didymo, deque Euſebio Cæſarienſi, aliiſque ſcriptoribus agit, ac quo ipſe animo, & cautione adhibita illos tractaverit, demonſtrat. Libro altero Ruffini Apologiam ad Anaſtaſium Papam ſpeciatim refutat, ac adductis Ruffini verbis ex eadem Apologia, eumdem ſuſpectæ fidei, & falſitatis arguit, quin & ſermonis barbarie, quem etiam probris exagitat. In fine autem cum multa de ſua Scripturarum ex Hebræo translatione dixiſſet, expectare ſe ait: *Tria amici volumina, & ad congeriem criminum ejus tota mente ſuſpenſus, niſi quod levius eſt profeſſum inimicum cavere, quam hoſtem latentem ſub amici nomine.*

Hier. lib. 3. Apol. 2. p. 533.

Fontanini hiſt. litt. Aquil. pag. 255. ad 63. Georgius Bulluſecl. 2. cap. 9. 55. 20.

Hier. lib. 2. Apol. 1. tom. 2. p. 530.

Ruffini epiſtola ad Hieronymum.

5. Cum eos vix libros abſolviſſet Hieronymus, ex Oriente per negotiatorem quemdam eoſdem Aquilejæ Ruffinus accepit, eoſque, quantum per temporis anguſtias licuit, illico confutavit data ad Hieronymum epiſtola, quæ deperdita nunc eſt, at fulmineam fuiſſe & in Hieronymum injurioſam idem Sanctus in ſua ſecunda Apologia, qua eidem Ruffini epiſtolæ reſpondit, teſtatur, atque in primis Ruffini temeritatem ſugillat, qui bidui tantum ſpatium ſibi ad reſpondendum Hieronymi libris datum fuiſſe dixerat: *Ante biduum, quam ad nos epiſtolam ſcriberes, libellos meos in manus tuas veniſſe teſtaris, & idcirco non habuiſſe ſpatium ex otio reſpondendi; alioquin ſi meditatus in nos, paratuſque dixiſſes, fulmina jacere, non crimina videreris;* deinde Ruffini jactantiam de temporis anguſtia in reſpondendo, arguens: *Et quis tibi credet homini veraciſſimo, ut*

Hier. ep. tom. 2. Apol. 2. pag. 540.

*ut negotiator Orientalium mercium, qui & hinc deportata vendere neceſſe habebat, & ibi emere, quæ huc rurſus adveheret, biduum tantum Aquilejæ fuerit, ut raptim & ex tempore contra nos dictare epiſtolam cogereris.* Poſt aliqua: *Tam apertum*, inquit, *temporis mendacium eſt, ut non dicam reſpondere, ſed legere biduo mea ſcripta non potueris &c.* Hanc epiſtolam non ſibi ſolum miſſam, ſed per Orbem vulgatam fuiſſe, Hieronymus queritur, unde de eadem ad Auguſtinum ſcribens: *Miſit mihi temeritate ſolita ſua maledicta Calphurnius cognomento Lanarius, quæ ad Africam quoque ſtudio ejus didici perveniſſe, atque breviter ex parte reſpondi... in quo libello illud cavi, ne exiſtimationem læderem chriſtianam, ſed tantum ut delirantis, imperitique mendacium ac vecordiam confutarem.* (Hier. epiſt. 102. ad Auguſt.) Eo autem tertio libro, qui etiam Apologia ſecunda Hieronymi contra Ruffinum inſcribitur, eadem fere argumenta retractat, quæ jam duobus prioribus libris pertractaverat; ſed cum hoc tempore una cum Ruffini epiſtola, Ruffini quoque libros adverſum ſe ſcriptos accepiſſet, adverſarium ſuum acriori inſectatur ſtylo, tanquam ab eo minis, & injuriis provocatus; inter cetera Ruffino ſæpe exprobrat, quod mortem ſibi minatus ſit, unde: *Mortem minaris*, inquit, *quam & ſerpentes inferre poſſunt, mors omnium eſt, homicidium peſſimorum? Quid enim? niſi tu me occideris ego immortalis ero? ſi aliter creditis, quid vultis occidere? An qui a vobis diſſenſerit, occidendus eſt? Teſtem invoco Jeſum conſcientiæ meæ, qui & has litteras, & tuam epiſtolam judicaturus eſt, me ad commonitionem Sancti Papæ Chromatii voluiſſe reticere, & finem facere ſimultatum, & vincere in bono malum, ſed quia minaris interitum, niſi tacuero, reſpondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoſcere &c.* (Hier. ut ſup. p. 531.) deinde: *Terres me gladiis tuis, & accuſationem non jam eccleſiaſticam, ſed tribunalium comminaris.* Quid Ruffinus Hieronymo ſcripſerit, cum ejus epiſtola perierit, ignoramus, ceterum explicari vix poteſt, quomodo Ruffinus Aquilejæ ſubſiſtens, interitum, & necem Hieronymo minitaverit, qui in Oriente erat; fortaſſe, ut laudata mox verba indicant, Hieronymo Ruffinus intimaverat, ni taceret, ſe eum apud ſecularem judicem accuſaturum fore, ut debita pœna, quæ adverſus calumniatores capitalis erat, plecteretur, hinc ajebat Hieronymus: *Terres me gladiis tuis, & accuſationem non jam eccleſiaſticam, ſed tribunalium comminaris.* Hieronymus contra qui time-

timere neſciebat, ex Ruffini minis excitatus in Ruffini epiſtolam, ſi quam alias animoſe ſtylum acuit, eumque argumentis, rationibus, & conviciis etiam inſequitur, quæ longum eſſet exſcribere; hanc vero Apologiam hoc anno ſcripſiſſe, ex eo ſcimus, quod Anaſtaſii Pontificis tanquam ſuperſtitis meminit, qui hoc anno obiit, ut infra videbimus, de quo hæc habet: *Eſto præteriti anni ego epiſtolam finxerim*; *recentia ad Orientem ſcripta*: epiſtola ſcilicet Anaſtaſii Pontificis ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum de Ruffino: *quis miſit? in quibus Papa Anaſtaſius tantis te ornat floribus, ut cum ea legeris, magis te velle defendere incipias, quam nos accuſare*; & paulo ſupra: *Siricii jam in Domino dormientis profers epiſtolam, & viventis Anaſtaſii dicta contemnis*.

*Hier. ut ſup. n. 21. p. 550.*

Theophylus Origenis errores condemnat.

6. Dum Hieronymum inter & Ruffinum anno elapſo, & labenti ea contentio ferveret ob Origenis errores, Anaſtaſius Papa, Theophylus Alex., Epiphanius Salaminæ, & Joannes Hieroſolymorum, aliique Epiſcopi tum in Oriente, cum in Occidente, tanto rumore excitati, convocatis in eam rem ſynodis, aut datis epiſtolis, errores Origenis condemnarunt, de quibus ut ordine agamus, de geſtis a Theophylo Alex. Epiſcopo nonnulla ſunt prænotanda. Is quippe poſt Hieronymum primus adverſus Origenem, ejuſque Apologiſtas claſſicum cecinit, quos non ſolum communione privavit, ſed exiliis etiam cædibuſque vexavit. Itaque cum Theophylus aliquandiu Origeni impenſe faviſſet, derepente mutatus, anno proximo congregata ſynodo Alexandriæ Origenianam doctrinam, ejuſque aſſeclas diro anathemate perculit, cujus ſynodi meminit Proſper in chronico ad an. Honorii Imp. ſeptimum poſt obitum Patris, ubi ait: *Contentio ex doctrina Origenis ſynodum apud Alexandriam coegit, cujus extitit ſententia, ut extra eccleſiam fierent, quicumque ſupradicti viri opera probaviſſent*. Poſthumianus etiam, qui tunc in Ægypto erat, plures adverſus Origeniſtas ſynodus habitas fuiſſe commemorat his verbis: *Septimo die Alexandriam pervenimus, ubi fœda inter Epiſcopos, atque monachos certamina gerebantur, ex ea occaſione vel cauſa, quia congregati in unum ſæpius Sacerdotes frequentibus decreviſſe ſynodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet*; quos tamen alii plurimi legendos nihilominus eſſe putabant. At Epiſcoporum plurimi obſtinatius renitentes pro poteſtate cogebant Origenis libros cum ipſo auctore damnare, cum ſatis ſuperque fuiſſet hujuſcemo-

*Sulp. Sever. dial. lib. 1. cap. 6. p. 66. tom. 1. edit. Veron.*

Digitized by Google

modi librorum lectionem prohibuiſſe, inſipientibus magis nocituram, quam ſapientibus profuturam. Inter eos Theophylus Alex. Epiſcopus cum ſynodum anno proximo celebraſſet, ad Anaſtaſium Papam, qui Siricio ſucceſſerat, epiſtolam dedit, qua lectionem librorum Origenis Alexandrino clero & populo prohibuiſſe nunciabat, atque ut idem in Occidentali eccleſia imperaret, rogabat; alteras quoque ad Hieronymum epiſtolas dedit, quibus Nitriæ monachos quoſdam, qui Origenis hæreſim diſſeminare curabant, *prophetica falce ſuccíſos fuiſſe, quia recordati ſumus commonentis Apoſtoli: Argue eos ſevere. Feſtina igitur & tu, partem hujus premii recepturus, deceptos quoſque congruis Scripturarum emendare ſermonibus*. Hæc ad Hieronymum Theophilus, eum ad pugnam excitans, & currenti calcaria addens. *Theoph. epiſt. ad Hieronym. n. 87.* Hieronymus econtra ut Origeniſtas acrius inſectaretur, Theophilum his verbis excitavit: *Super nefaria hæreſi, quod multam patientiam geris, & putas eccleſiæ viſceribus incubantes tua poſſe lenitate corrigi, multis ſanctis diſplicet: nedum paucorum pœnitentiam præſtolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robuſtior fiat*. *Hier. epiſt. 63.* Poſtquam vero accepit, eum adverſus Origenis aſſeclas gladium eduxiſſe, alia epiſtola ſummis eum laudibus celebrat: *Nuper*, ait, *tuæ Beatitudinis percepi ſcripta, emendantia vetus ſilentium, & me ad ſolitum officium provocantia*; undè poſt plurima: *Macte virtute, macte zelo fidei: oſtendiſti, quod hucuſque taciturnitas diſpenſatio fuit, non conſenſus. Libere enim Reverentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimium eſſe patientem, & ignorantes magiſtri gubernacula, geſtiebamus in interitum perditorum. Sed, ut video, exaltaſti manum diu, & ſuſpendiſti plagam, ut ferires fortius &c.* *Hier. epiſt. 86.* Et epiſtola altera Theophylum laudat, quod ejuſdem zelo non ſolum Ægyptus, ſed Syria, & Italia ab Origeniſmi hæreſi liberata ſit, & ut in incepto opere perſiſteret, enixe hortatur. *Hier. epiſt. 88.*

7. Theophylus itaque cum alteram adverſus Origenem ejuſque libros & errores ſynodum Alexandriæ congregaſſet, ſectatores ejus aut defenſores iterato anathemate percuſſit, cujus ſynodi, & epiſtolæ ſynodicæ ad omnes Epiſcopos datæ, mentio fit in epiſtola ad Epiphanium Salaminæ in Cypro Epiſcopum, qua inter cetera narrat, ſe pauca ex his quæ geſta ſunt, in generali epiſtola, quam ad omnes in commune direxerat, referre, ac hortatur ut congregatis Inſulæ Epiſcopis, ſynodicas litteras ad Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum, alioſque mitte- *Theophylus adverſus Origenem aliam ſynodum congregat. Theoph. epiſt. ad Epiph. n. 90.*

mitteret, *ut conſenſu omnium, & ipſe Origenes nominatim, & hæreſis nefaria condemnetur*; & poſt aliqua, *curæ tuæ ſit*, ſubdit, *ut cunctis Epiſcopis per Iſauriam, atque Pamphyliam & ceterarum provinciarum, quæ in vicino ſunt, rei ordinem pandas, & noſtram, ſi dignum putas, epiſtolam ſubjicias*, ideſt ſynodicam, *ut omnes uno ſpiritu congregati cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti trademus eos Satanæ in interitum impietatis, quæ poſſidet eos &c.* Hæc aliaque in eamdem rem Theophylus ad Epiphanium, qui ut eam accepit, una cum ſynodali epiſtola, illico ad Hieronymum ſcribens, exemplar ſynodalis epiſtolæ ad eum miſit, nunciatque Origeniſtarum factionem Theophyli opera damnatam fuiſſe, eumque hortatur, ut ſi quos adverſus Origenem libros ſcripſiſſet, in vulgus edat, eique ſynodicam Theophyli epiſtolam miſit. Hæc quidem epiſtola ad omnes Epiſcopos a Theophilo adverſus Origenem directa hactenus delituerat, & deperdita putabatur. At eam Valarſius poſt Maurinos, noviſſimus Hieronymi editor, una cum pluribus aliis ex Mediolanenſi Codice, qui olim Bobienſis monaſterii erat, in lucem edidit; qua epiſtola, præter ea quæ uberius adverſus Origenis errores adnotat, quod exſcribere longum eſſet, ſe Monachos e Nitriæ monaſteriis, utpote Origenianæ hæreſis aſperſos ejeciſſe narrat, quorum aliqui eo dementiæ devenerant, ut eorum aliqui violentas ſibi manus injicerent, & *propria ferro membra truncarent, putantes ſtultæ cogitationis arbitrio, hinc religioſos, & humiles ſe probari, ſi mutilata fronte, & ſectis auribus incederent, e quibus unus linguæ partem ſibi amputavit &c.* quia vero Origenis ſectatores a Theophylo in Ægypto vexati, in varias ſe diffuderant regiones, poſt plurima ſubdit: *Obſecro itaque vos fratres cariſſimi, ut ſi iſtuc veniunt, præceptis evangelicis eos ad lacrymas provocetis, ſicubi ergo fratres, & plebem, quæ vobis credita eſt, turbare tentaverint, cuſtodite gregem Domini, & inſanos impetus eorum reprimite &c.* Hæc aliaque ad univerſos Epiſcopos Theophylus, ut Origeniſtas undique ejicerent, nominatim vero data eſt ad Palæſtinos Epiſcopos, & Cyprios, ut ex inſcriptione patet ad Palæſtinos in ſynodo in Encœniis Æliæ congregatis. Hæc eſt inſcriptio *Eulogio*, Cæſarienſi Epiſcopo, & totius Palæſtinæ metropolitano, Joanni Hieroſolymorum etiam præpoſito, deinde *Joanni Zebiano, Auxentio, Dionyſio, Gennadio, Zenoni, Theodoſio, Dicterio, Porphyrio, Saturnino, Alano, Paulo, Ammonio,*

*Epiph. epiſt. 91. ad Hieronym.*

*Theophyli ſynodi epiſt. apud Hier. n. 92.*

*nio*, *Heliano*, *Alteri Paulo*, *Euſebio*, *&* *omnibus*, *qui in Æliæ Encæniis congregati ſunt catholicis Epiſcopis*; ad Cyprios vero Epiſcopos hæc eſt inſcriptio: *Epiphanio* Salaminæ in Cypro Epiſcopo, & Metropolitano, *Marciano Agapeto*, *Bæthio*, *Helpidio*, *Euſtaſio*, *Norbano*, *Macedonio*, *Ariſtoni*, *Zenoni*, *Aſiaſtico*, *Heraclidi*, *alteri Zenoni*, *Kiriaco Aphrodito*. Ad hanc porro Theophili epiſtolam univerſis Epiſcopis inſcriptam duæ adhuc ſuperſunt reſponſoriæ epiſtolæ, prima Epiſcoporum ſynodi Hieroſolymitanæ, qua Palæſtinam ab Origenis hæreſi immunem eſſe teſtantur, atque perſonas a Theophylo damnatas, una cum Origenis erroribus ſe damnare profitentur; altera vero Dionyſii Liddæ, ſeu Dioſpolis Epiſcopi, eaque Theophylum laudat, quod ejuſdem opera Origeniana hæreſis damnata fuerit, atque ut in eodem opere perſiſtat, hortatur.

Epiſt. Hieroſolv ſynodi, & Dionyſii ad Theophilum. *Apud Hier. epiſt. 93.*

8. Ut facilius ſynodi ſententiam adverſus monachos Origeni, aut Origeniſmo faventes exequeretur, in Nitriam ipſe cum Epiſcopis aliquot tranſiit, ut ex monaſteriis, & cellulis, Origenianæ hæreſis ſuſpectos, aut convictos exturbaret, ut in ſua ſynodica epiſtola teſtatur; quod maximam eidem invidiam peperit, ut idem narrat, nam ut facilius meditata exequeretur, non ſolum ſynodali ſententia, & diro anathemate Origeniſtas monachos, ſeu Origeniſmo faventes percuſſit; ſed imperiali ſanctione, & militari manu eoſdem e monaſteriis ejiciendos curavit, ut Hieronymus teſtatur, qui Ruffini querelis reſpondens habet: *Imperatorum quoque ſcripta, quæ de Alexandria, & de Ægypto Origeniſtas pelli jubent, me ſuggerente dictata ſunt*, ut falſo aſſerebat Ruffinus, qui cuncta adverſus eos geſta Hieronymi invidiæ adſcribebat. Theophyli agendi rationem vix probavit Poſthumianus, qui eo tempore in Ægypto erat, unde in dialogo hæc adnotat: *Cum hæc, atque alia iſtiuſmodi ab Epiſcopis proderentur, ex ſtudiis partium orta eſt ſeditio, quæ cum reprimi Sacerdotum auctoritate non poſſet, ſævo exemplo, ad regendam Eccleſiæ diſciplinam Præfectus adſumitur, cujus terrore diſperſi fratres, ac per diverſas oras monachi ſunt fugati, ita ut præpoſitis edictis in nulla conſiſtere ſede ſinerentur. Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus vir maxime catholicus, & ſacræ legis peritiſſimus, Origenem ſecutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipue, vel omnia illius ſcripta damnaret, nec vero auſus ſum de quoquam temere judicare, præſtantiſſimi tamen viri, & doctiſſimi ferebun-*

Theophilus Nitriæ monachos Origeniſmi cauſa vexat; ac monaſteriis ejicit. *N. 1. & 4.*

*Hier. Apol. 2. cap. 3.*

*Sev. Sulp. Dialog. 1. cap. 7. tom. 1. p. 68.*

Jesu Chr. an. 401.

*bantur in hoc certamine diſſidere. Sed tamen ſive illud error eſt, ut ego ſentio, ſive hæreſis, ut putatur, non ſolum reprimi non potuit multis animadverſionibus Sacerdotum, ſed nequaquam tam late ſe potuiſſet effundere, niſi contentione creviſſet. Iſtiuſmodi ergo turbatione, cum veni Alexandriam, fluctuabat, me quidem Epiſcopus illius civitatis benigne admodum, & melius quam opinabar, excepit, & ſecum tenere tentavit: ſed non fuit animus ibidem conſiſtere, ubi recens fraternæ cladis fervebat invidia, nam etſi fortaſſe videantur Epiſcopis parere debuiſſe, non ob hanc tamen cauſam multitudinem tantam ſub Chriſti confeſſione viventem, præſertim ab Epiſcopis oportuiſſet affligi. Igitur inde digreſſus Bethleem oppidum petii &c.* Hactenus Poſthumianus, modeſtis verbis præpoſteram Theophyli agendi rationem coarguens.

Qua de cauſa Theophilus Nitriæ monachos vexaverit.

*Sulp. Sev. Dialog. 1. ut ſup. Socrat. lib. 6. 9. ad 14. Sozom. lib. 8. 11. ad 16. Pallad. Dialog. pag. 21. tom. 12.*

9. Sine cauſa tamen a Theophilo Alex. Epiſcopo tam acriter vexatos fuiſſe Nitriæ monachos aperte Poſthumianus his verbis teſtatur; non debuiſſe *multitudinem tantam ſub Chriſti confeſſione viventem ab Epiſcopis affligi*, ideſt a Theophilo, eumdemque manifeſtæ tyrannidis Socrates, & Sozomenus arguunt. Palladius vero in Chryſoſtomi vita, eum prætextu Origeniſmi propriis cupiditatibus, atque vindictæ tum in monachos, cum in Chryſoſtomum exercendæ inſerviiſſe ſcribit, cujus odii cauſa paulo altius ex iiſdem Scriptoribus repetenda eſt. *Per idem tempus*, ait Sozomenus, *quæſtio in Ægypti partibus agitata eſt, utrum Deum humana forma præditum credere oporteat*; cum in eam opinionem monachorum plerique ob ſcripturæ imperitiam deſcendiſſent, ab aliis qui recte ſentiebant reprehendebantur, quorum ſententiam Theophylus amplectendam eſſe publice in Eccleſia docuit, & in epiſtola quam ex more ſcripſit de feſto *Paſchali*, in qua Deum incorporeum eſſe docebat. Quod cum Ægyptii monachi didiciſſent, Alexandriam ingreſſi tumultuari cœperunt, ac Theophilum quaſi impia docuiſſet, interficere volebant. At ille ad eos progreſſus: Perinde, inquit, vos aſpexi, ac vultum Dei. Quo dicto homines rudes æque ac inſani tantiſper placati ſunt, ac addiderunt: Si ergo ex animo ita credis, Origenis libros condemna, cum illi lectores ſuos in eam ſententiam inducant. Theophilus vero: Iſtud, inquit, jampridem conſtitueram, faciamque, ſicut vobis videtur; nam & ego ipſe iis ſuccenſeo, qui Origenis opiniones ſequuntur. Eaque ratione Theophilus, deluſis mona-

monachis, ſeditionem diſſolvit, tum ſynodum adverſus Origeniſtas congregavit, qua Origenis errores, libroſque condemnavit.

Jesu Chr. an. 401. Theophilus Monachos Longos divexat. Sev. Sulp. ut ſup. Sozom lib. 8. 11. Pallad. ut ſup.

10. Synodali ſententia, *error ut ego ſentio, ſive hæreſis ut putatur, non ſolum reprimi non potuit*, ait in Dialogo Poſthumianus, *ſed nequaquam tam late ſe potuiſſet effundere, niſi contentione creviſſet, ac fortaſſis*, ut ſubdit Sozomenus, *hæc quæſtio penitus extincta fuiſſet, niſi illam ſopitam Theophylus ob privatas inimicitias denuo excitaſſet*, dum inſidias ſtruxit Ammonio, Dioſcoro, Euſebio, atque Euthymio fratribus, qui *Longi* vulgo dicebantur. Hi enim præ cæteris Ægypti Monachis in deſerto Scethim ſolitariam vitam agentes, Theophilo adeo amici erant, ut eorum alterum, ideſt Dioſcorum Hermopolis Epiſcopum conſtitueret. Odium vero in eos concepit Theophilus ob inimicitias cum Iſidoro ſuſceptas, etſi eum, mortuo Nectario, ad Epiſcopatum urbis Conſtantinopolitanæ promovere ſtuduiſſet. Cur vero tam acriter cum Iſidoro ſuccenſeret Theophilus, hanc præceſſiſſe cauſam narrat Socrates. Ex Manichæorum ſecta cum ad Eccleſiam catholicam tranſiiſſet mulier quædam, Petrum Archipresbyterum, qui eam ad ſacra myſteria admiſerat, quaſi temere id feciſſet, objurgavit Theophilus. At Petrus, mulierem ex præſcripto legum Eccleſiæ, & ex conſenſu ipſius Theophili, admiſiſſe affirmabat; ejuſque rei Iſidorum teſtem eſſe dicebat. Hic vero Petrum vera dixiſſe teſtatus eſt; quare indignatus Theophilus, quaſi calumniam paſſus eſſet, utrumque Eccleſia ejecit. Aliam etiam cauſam affert Sozomenus irarum Theophili adverſus Iſidorum: *Ego vero ex quodam viro fide digno, qui cum ſupradictis monachis tunc verſatus fuerat, audivi, duas fuiſſe cauſas Theophilo odii, ac ſimultatis adverſus Iſidorum; alteram Iſidoro communem cum Petro Presbytero, eoquod ambo teſtificari recuſaſſent, ſororem Theophili a neſcio quo hæredem ſcriptam fuiſſe; privatam alteram, quod Iſidorus ex pecuniis, quæ ad ipſum tanquam ad curatorem pauperum multæ afferebantur, Theophilo aliquid accipere conanti, utpote aliis jam conſumptis in ſtructuras Eccleſiarum, concedere noluiſſet: præſtabilius eſſe dicens, ægrorum corpora convenienti cura reficere, atque inſtaurare, quæ Dei templa potius exiſtimanda ſunt, & quorum gratia præbitæ eſſent pecuniæ, quam parietes exſtruere. Verum ſive ob hanc, ſive ob aliam cauſam Iſidorus a Theophilo communione privatus, ad monachos Schetis, tanquam ad ſodales ſuos perrexit.*

Sozom. lib. 8. 12.

Jesu Chr. An. 401.

*rexit*. Tunc Ammonius ſemel & iterum ſolitudine relicta, Theophylum adiit deprecans una cum aliis monachis, ut Iſidorum in communionem reciperet; at Theophylus primo verbis monachos demulcere ſtuduit, poſtmodum in carcerem conjecit, atque inde dimiſſos, quoniam ex ſermonibus, quos cum illis habuerat, monachos inter ſe diffidere noverat, dum alii Deum humana forma præditum eſſe dicebant, alii econtra, *utpote Origenis ſectatores opinionem illorum*, reprehendebant, *commiſit eos cum multitudine monachorum, qui aliter ſentiebant. Hinc vero graviſſima contentio inter monachos exorta eſt. Neque enim compoſitis ad modeſtiam diſputationibus perſuadere ſibi invicem conabantur, ſed mutuis ſe conviciis inceſſebant.*

Fratres Longi, & monachi Hieroſolymam aufugiunt, inde fugantur.

II. Cum itaque Theophylus Nitriæ monachos ſynodali ſententia damnatos, militari præſidio e monaſteriis ejeciſſet, in varias regiones diſperſi ſunt. Ex iis Dioſcorus & Ammonius cum Iſidoro, aliiſque Hieroſolymam primo ſe contulerunt, deinde Scythopolim, ait Sozomenus: *Commodum ſibi ejus loci domicilium fore arbitrati, ob copiam palmarum, quarum foliis ad conſueta monachorum opera utebantur. Sequebantur enim illos viri circiter octoginta.* At eos Hieronymus ſtylo ſuo exagitavit, dum ait: *Hæreticorum factio nuper fugata de Ægypto, & Alexandria, ſe Hieroſolymam contulit.* Theophylus vero datis ad Joannem Hieroſolymitanum epiſtolis, & miſſis illuc presbyteris duobus Priſco, & Cubulo, ejiciendos curavit, ut ad Theophylum ſcribens adnotat Hieronymus: *Licet per Sanctos fratres Priſcum, & Cubulum, tuus ad nos ſermo ceſſaverit, tamen quia vidimus illos zelo fidei concitatos raptim Palæſtinæ luſtraſſe regiones, & diſperſos regulos, ſeu baſiliſcos*, ideſt monachos Origeniſtas, *uſque ad ſuas latebras perſecutos*; cumque *fugati monachi*, ut ait in Dialogo Poſthumianus, *propoſitis edictis in nulla conſiſtere ſede finerentur*, Conſtantinopolim tranſierunt, Joannis Chryſoſtomi, tum Imperatoris patrocinium imploraturi, quos ibidem etiam Hieronymus ſtylo ſuo perſecutus eſt; unde in epiſtola ad Pammachium & Marcellam, de iiſdem monachis qui CPolim tranſierant: *Quid neceſſe eſt*, ait, *obſidere Propontidem, mutare loca, diverſas luſtrare regiones, & clariſſimum Pontificem Chriſti*, ideſt Theophylum Alex. Epiſcopum, *ejuſque diſcipulos rabido ore diſcerpere?* Hæc Hieronymus anno 402. cum alteram paſchalem Theophyli epiſtolam, a ſe in Latinum tranſlatam, qua Origeni-

*Hier. Apol. ſeu lib. 3. 2. p. 547.*
*Socrat. Sozom. ut ſup.*
*Pallad. vita Chryſoſt. Dialog. p. 22.*
*Hier. epiſt. 86.*
*Sulp. Sever. Dialog. 1. n. 7. tom. 1. p. 68.*
*Hier. epiſt. 97.*

geniſtæ exagitabantur, Romam miſiſſet.

12. Expulſi monachi, & undique exagitati, *tandem in comitatum veniunt*, ait Palladius, *ubi Joannes erat Epiſcopus, atque ad ejus genua provoluti, orabant ſuccurreret animabus calumniam paſſis &c.* Joannes autem ut eos vidit, quinquaginta quippe numero erant, homines veneranda canitie præclari, ſciſcitatus ab eis, quid moleſti accidiſſet, ſe a Theophilo turpiter ejectos ac vulneratos fuiſſe dixerunt, ac addiderunt: *Si & ipſe nos negligis, Theophili ſeu reverentia, ſeu timore ductus, ut alii Epiſcopi, nihil jam reliqui nobis ſit a vobis, niſi ut Imperatorem adeamus, & prava illius facta in contumeliam Eccleſiæ exponamus. Si ergo eccleſiaſticæ tibi exiſtimationis cura eſt, nobis annue, ipſique perſuade, ut nobis noſtrum in Ægypto domicilium concedat: qui nihil peccavimus, neque contra legem Servatoris, neque in eum ipſum.* Chryſoſtomus vero his auditis, libenter ſe eorum patrocinium ſuſcepturum eſſe promiſit, eoſque admonuit, ut apud omnes religioſo ſilentio adventus ſui cauſam tegerent, donec ipſe cum Theophilo ageret; & dato eis in Eccleſia Anaſtaſiæ hoſpitio, ipſe quidem non ſuppeditabat quæ ad uſum illis neceſſaria erant, ſed religioſæ mulieres victum ipſis ſubminiſtrabant, & ipſi quoque nonnihil manuum ſuarum opere conferebant. Inter mulieres religioſas, quæ monachis victum præſtabant, Olympiadem præcipue nominat Palladius, quæ olim Nebridii uxor, nunc vero Diaconiſſa eccleſiæ CP. Sed tragædiæ ſeriem proſequimur, ex Palladio, cui Socrates, & Sozomenus conſentiunt.

Monachi Longi, cum ſociis a Chryſoſtomo excepti.

*Pallad. ut ſup. p.* 23.

*Socrat. lib.* 6. 9.

*Sozom. lib.* 8. 13.

13. *Contigerat autem ſub id tempus*, ſubdit Palladius, *ut clerici quidam Theophyli CPoli adeſſent, magiſtratuum qui regendæ Ægypto deſignabantur, promotiones præmercantes, & benevolentiam Theophilo conciliantes in perniciem eorum, qui illi minime placebant. Hos igitur ad ſe accitos Joannes percunctabatur, an præſentes monachos noviſſent.* At illi de ipſis teſtimonium perhibentes, dixerunt: Et novimus eos, & vim magnam perpeſſi ſunt. Ac ſi placet, Domine, ſpiritualem eis communionem impertire noli, ne offendas Theophilum: in ceteris benignum te præbe, hoc enim te ut Epiſcopum decet. Quare Joannes eos quidem ad communionem non admiſit, ſeu ut habent Socrates, & Sozomenus, *in eccleſia quidem orare permiſit, cum illis tamen communicandum haudquaquam ſibi eſſe exiſtimavit, propterea quod ante cauſam cognitam id fieri non lice-*

Quid CP. geſtum ſit a Joanne, & Theophilo in cauſa Monachorum.

JESU CHR. AN. 401. *liceret*. Joannes interea Theophilo ſcripſit, enixe rogans, ut conceptam adverſus Monachos iram deponeret, eoſque communioni, ſuiſque cellulis reſtitueret. At id negavit Theophilus, libellumque mendaciis plenum adverſus monachos legatis ſuis dedit, *fecitque ut in Palatio quaſi præſtigiatores digito monſtrarentur*. Deinde datis ad Epiphanium litteris, ut ipſe quoque adverſus Origeniſtas monachos, & ſycophantas, legatos ſuos ad comitatum CPolim mitteret hortatus eſt. *Di*-Hier. epiſt. 90. *dici*, inquit, *quod calumniatores veræ fidei Ammonius, Euſebius, & Euthymius, novo pro hæreſi furore bacchantes, CPolim navigarint; curæ igitur tuæ ſit, ut cunctis Epiſcopis per Iſauriam, atque Pamphyliam, & ceterarum provinciarum quæ in vicino ſunt, rei ordinem pandas, & noſtram ſi dignum putas epiſtolam ſubjicias*, ideſt Enciclicam, deinde, *& ut celerius noſtra CPolim ſcripta perveniant, mitte induſtrium virum, & aliquem de clericis, ſicut & nos de ipſis Nitriæ monaſteriis, patres monachorum cum aliis ſanctis, & continentiſſimis viris miſimus, qui poſſint cunctos in præſenti docere quæ geſta ſunt.*

Chryſoſtomus ad Theophilum ſcribit, cui Theophilus reſpondet. Pallad. ut ſup. p. 25.

14. Cum ob Theophili repulſam ſe nihil proficere viderunt Monachi exules; *ſupplices libellos Joanni offerunt, diverſa Theophili tyrannidis genera denotantes, adjunctis quibuſdam capitulis, quæ pudet coram ſimplicioribus dicere, ne eos a credendo deterream, fortaſſe etiam apud perfectiores fidem non inventurus. Rurſus & per ſe ipſum, & per alios Epiſcopos, hortatur eos Joannes, ut deſinant ipſum accuſare ob moleſtiam, quæ ex hujuſmodi judiciis naſci ſolet, & ſcribit Theophilo, eo deſperationis homines hujuſmodi devenere, ut ſcripto te accuſent. Ceterum quod tibi videtur reſcribe, non enim me audiunt, ut a Comitatu recedant. Ob hujuſmodi ſcripta totus ira incenſus Theophilus ab eccleſia excludit fratrem monachorum Dioſcorum Epiſcopum, qui in eccleſia ſenuerat*, quem antea Epiſcopatu dejecerat, ut ſupra diximus. Quæ autem ad Chryſoſtomum reſcripſerit idem Palladius narrat, his verbis: *Arbitror equidem non ignorare te canonum Nicænorum decretum, quo ſancitur, ne Epiſcopus litem extra fines ſuos judicet, ſi autem ignoras, diſce, & a libellis adverſum me abſtine, nam ſi judicari me oporteret, ab Ægyptiis Epiſcopis judicandus ſum, non a te, qui ſeptuaginta quinque dierum itinere hinc abes*. Hactenus Theophili epiſtola ad Joannem Chryſoſtomum, qua accepta cum Joannes Monachos ad pacem ſervandam hortatus eſſet,

eos

Digitized by Google

*eos a ſua cura, & cogitatione dimiſit*. Monachi vero repulſam paſſi, novis, gravioribuſque libellis adverſus Theophilum digeſtis Imperatricem adeunt in martyrio Sancti Joannis, orantque, ut Theophilus invitus etiam ad cauſam coram Joanne dicendam cogeretur. Quos cum benigne excepiſſet Theodoſius, ac ut bono animo eſſent, hortatus: *Ego*, inquit, *dabo operam, ut Synodus brevi convocetur, & Theophilus huc veniat*. Alexandriæ vero cum falſus rumor invaluiſſet, Joannem cum Dioſcoro, ac reliquis communicaſſe, eoſque in omnibus adjuvare paratum eſſe, cogitare cœpit Theophilus, qua ratione Joannem quoque ipſum Epiſcopatu *dejicere poſſet*. Quo autem modo id acciderit, ut conciliator pacis bellum in ſe converterit, & mutata ſcena, Joannes ex judice reus evenerit, & Theophili factione ſede pulſus, ſuo loco infra videbimus anno 403.

JESU CHR. AN. 401.

*Socrat. lib. 6. 9.*

*Sozom. lib. 8. 13.*

15. Dum Origenis cauſa tantis quateretur fluctibus Orientalis eccleſia, Occidentalis etiam eadem de cauſa aliquatenus turbata eſt, ob verſionem librorum Periarchon Origenis a Ruffino factam. *Totus Orbis*, ut ait Hieronymus, *expavit*: ſed Romæ præcipue ea tempeſtas viguit, ubi Hieronymi, & Ruffini amici, & apologiſtæ inter ſe certarunt, cum unuſquiſque amici ſui opiniones, & famam tueretur. At ea tempeſtas illico ſedata eſt, nam voce Petri excitatus Dominus *imperavit mari, & ventis, & facta eſt tranquillitas magna*. Anaſtaſius etenim Papa, ut Fidem periclitari audivit; Theophili ac Joannis Hieroſolymitani Epiſcopi epiſtolis excitatus, *vir ditiſſimæ paupertatis*, ut ait Hieronymus, *& Apoſtolicæ ſollicitudinis, ſtatim noxium percuſſit caput, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit*, cujus rei geſtæ duæ adhuc extant ejuſdem epiſtolæ, quarum prima anno 399, aut proximo 400. data eſt ad Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum, ut fert inſcriptio, licet alii Venerio potius Simpliciani ſucceſſori eam datam fuiſſe credant, quod fortaſſe veroſimilius eſt. Valarſius tamen, qui eam epiſtolam hactenus ineditam vulgavit, variis conjecturis Simpliciani inſcriptionem retinendam cenſuit, ut ibidem videre eſt. Ea autem epiſtola Anaſtaſius Simpliciano narrat, ſe a Theophilo admonitum fuiſſe, de condemnatione hæreſis Origenianæ, quam proinde a ſe damnatam fuiſſe tradit, atque ut idem faciat eumdem hortatur. *Vir ſanctus*, inquit, *& honorabilis Theophilus, frater & Coepiſcopus noſter, circa ſa-*

*lutis*

Anaſtaſii Papæ epiſt. ad Simplicianum Mediol. Epiſc.

*Matt. c. 8. 26.*

*Hier. epiſt. 130. n. 16.*

*Hier. epiſt. 95.*

*Orſi hiſt. eccleſ. lib. 21. n. 35.*

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 401.

*lutis commoda non deſinit vigilare, ne Dei populus per diverſas Eccleſias Origenem legendo, in magnas incurrat blaſphemias. Conventus litteris memorati, convenio Sanctitatem tuam, ut ſicuti nos in Urbe Roma poſiti, quam Princeps Apoſtolorum ſtatuit, & fide ſua confirmavit glorioſus Petrus, ne quis contra præceptum legat hæc quæ diximus, damnavimus &c. Igitur hoc præceptum tenentes, illud quidquid eſt Fidei noſtræ contrarium, ab Origene quondam ſcriptum, indicavimus, a nobis eſſe alienum atque punitum. Hæc Sanctitati tuæ ſcripſimus per Euſebium Presbyterum, qui calorem fidei geſtans, & amorem circa Dominum habens, quædam capitula blaſphemiæ obtulit, quæ nos non ſolum horruimus, & judicavimus, verum & ſi qua alia ſunt ab Origene expoſita, cum ſuo Auctore pariter a nobis ſcias eſſe damnata. Dominus te incolumem cuſtodiat, Domine frater merito honorabilis.*

Anaſtaſii Papæ epiſt. ad JoannemHieroſolym. Epiſc. *Apud Couſtan. p. 723. Hier. op. tom. 2. p. 578.*

16. Epiſtola altera ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum data eſt. Anaſtaſium rogaverat Joannes, quid de Ruffino ſentiendum eſſet; cum ipſe Ruffino magis, quam Hieronymo faveret, cui Anaſtaſius, Ruffini propoſitum in verſione librorum Origenis Periarchon examinandum eſſe ait, ſe tamen operam daturum ſubdit, ne Occidentales Eccleſiæ pravis hiſce dogmatibus corrumpantur; cumque epiſtolæ initio gratias egiſſet, quod multis eum laudibus cumulaverit, ad cauſam revertens, *Ruffinus*, inquit, *de quo me conſulere dignatus es, conſcientiæ ſuæ divinam habet arbitram Majeſtatem; apud quam ſe integro devotionis officio ipſe viderit, qualiter debeat approbare*; nam ut poſt aliqua ſubdit; *Si accuſat auctorem, execrandum facinus populis prodit, ut juſtis tandem odiis teneatur, quem jam dudum fama conſtrinxerat. Si vero interpres tantorum malorum conſenſum præſtat, & legenda prodit in populos, nihil aliud ſui opera laboris extruxit*, quam antiquam fidem convertere, quod ſane catholico viro indignum eſſet. Vix tamen de eadem quæſtione ſe ſollicitum eſſe teſtatur, cum Imperatorum etiam edictis Origenis libri, utpote diſſenſionum diſcordiarumque occaſones, condemnati eſſent. Principum autem ſententia, qua Origenis lectio damnata eſt, Arcadii & Honorii lex fuit, qua Origenis libri ejuſque defenſores proſcripti ſunt; cujus edicti meminit Hieronymus adverſus Ruffinum ſcribens: *Imperitorum ſcripta, quæ de Alexandria, & Ægypto Origeniſtas pelli jubet &c.* Poſtumianus vero *per diver-*

*Hier. Apol. 1. cap. 3.*

*ver-*

*verſas oras monachi ſunt fugati*, *itaut propoſitis edictis*, *in nulla conſiſtere ſede ſinerentur*. Tandem Joannem rogat, ne de Ruffini mente, aut fide ſollicitus ſit: *Illud tamen tenere te cupio*, inquit, *ita haberi a noſtris partibus alienum*, *ut quid agat*, *ubi ſit*, *nec ſcire cupiamus*; *ipſe denique viderit*, *ubi poſſit abſolvi*. Hactenus ad Joannem Anaſtaſii Papæ epiſtola hoc anno data; qua Origenis libros, hæreſeſque in eis contentas, atque Origenis ſectatores, & Principum edictis, & a ſe ipſo damnatos eſſe denunciat; quod in altera epiſtola ad Venerium Mediolanenſem Epiſcopum data, cujus ipſe ea epiſtola meminit, jam antea admonuerat, eamque ipſam eſſe, quam Valarſius edidit, ad Simplicianum inſcriptam, nonnulli ſcribunt. Hujuſce epiſtolæ ab Anaſtaſio ad Joannem de Origenis condemnatione datæ meminit ſæpe Hieronymus, eamque Ruffino objicit: *Si ideo interpretaris*, *ut eum hæreticum arguas*, *nihil de græco mutes*, *& hoc ipſum præfatione teſtare*, *quod prudentiſſime Papa Anaſtaſius in Epiſtola*, *quam contra te ſcribit ad Joannem ſuo ſermone complexus eſt*; & alibi: *In Epiſtola Sancti Papæ Anaſtaſii lubricus extitiſti*, *& turbatus*, *in quo figas gradum non reperis*; & paulo poſt: *Siricii jam in Domino dormientis profers epiſtolam*, *& viventis Anaſtaſii dicta contemnis*. *Eſto præteriti anni ego epiſtolam finxerim*; Anaſtaſii fortaſſe ad Simplicianum, aut ad Venerium datam; *Recentia ad Orientem ſcripta*, ideſt ad Joannem Jeroſolymorum Epiſcopum, *quis miſit? in quibus Papa Anaſtaſius tantis te ornat floribus*, *ut quum ea legeris*, *magis te velle defendere incipias*, *quam nos accuſare*. Hæc aliaque paſſim Hieronymus in Apologia ſecunda, ſeu libro tertio contra Ruffinum, ob damnatum ab Anaſtaſio Origenem, ejuſque hæreſim feſtive triumphans.

*Sever. Sulp. Dialog.* 1.

*Orſi ut ſup. Valarſ. not. in epiſt.* 95.

*Hier. Apol.* 1. *lib.* 1. *p.* 465. *& Apol.* 2. *p.* 546. *&* 549. 550.

16. An autem cum Origene Ruffinus quoque condemnatus fuerit, ut plerique tradunt, quæri poteſt, quem ſane non ſolum accuſatum, ſed etiam Romam vocatum, & condemnatum fuiſſe Hieronymus ſcribit. *Acciti frequentibus litteris*, inquit, *hæretici*, *ut ſe defenderent*, *venire non ſunt auſi*, *tantaque conſcientiæ vis fuit*, *ut magis abſentes damnari*, *quam præſentes coargui maluerint*, & alibi ad Ruffinum: *Si non vis audire fratrem monentem*, *audias Epiſcopum condemnantem*, ideſt Anaſtaſium Pontificem, qui Epiſtola ſua ad Joannem Origenem ejuſque errores condemnaverat, ac Ruffinum ob tranſla-

An Ruffinus una cum Origene ab Anaſtaſio damnatus fuerit.

*Hier. epiſt.* 127.

*Hier. contra Ruff. lib.* 2. *p.* 505.

JESU CHR. AN. 401. tionem librorum Origenis reprehenderat; exageraſſe tamen hæc Hieronymum dubitari vix poteſt. Nam eum ab Anaſtaſio Pontifice damnatum fuiſſe nullibi conſtat; neque in Anaſtaſii Epiſtolis, quæ adhuc ſuperſunt ad Simplicianum, aut Venerium, & ad Joannem Jeroſolymorum, in eam rem ſcriptis, damnationis Ruffini veſtigium, aut vola exſtat; quin ex utraque Epiſtola ſcimus, Anaſtaſium de integritate fidei ubique ſervanda, & ne Origenis erroribus Eccleſia turbaretur quammaxime ſollicitum fuiſſe, de Ruffino vero nullam geſſiſſe curam, quem in Epiſtola ad Simplicianum ſilentio premit; in Epiſtola vero ad Joanuem Dei judicio reſervat, de quo nil ſe ſollicitum fuiſſe teſtatur; unde ait: *Illud tamen tenere te cupio, ita haberi a noſtris partibus alienum, ut quid agat, ubi ſit, nec ſcire cupiamus. Ipſe denique viderit ubi poſſit abſolvi*: quem etiam ab Anaſtaſio Pontifice nulla cenſura, aut excommunicatione irretitum fuiſſe multa ſuadent; ut enim a viris doctiſſimis adnotatum eſt, & præcipue a Fontanino in Ruffini Apologia, qui fieri poteſt, inquiunt, ut Ruffinus a Romana Sede abſtentus, atque diro anathemate percuſſus, a præcipuis tamen Italiæ Epiſcopis, iiſque ſanctiſſimis, uſque ad finem vitæ, & amicitia, & communione junctus fuerit; quales fuerunt Paulinus Nolanus, Chromatius Aquilejenſis, Gaudentius Brixienſis, Petronius Bononienſis, Laurentius Concordienſis, aliique, quibus adde Finianum, Melaniam, Albinam, quibuſcum conjunctiſſime vixit, ut Joannem Jeroſolymitanum, & Auguſtinum prætercam, qui Ruffini amicitiam uſque ad obitum coluerunt? Hinc *miror*, inquit Fontanini, *duos longe doctiſſimos Cardinales, Baronium, & ex eo Perronium in reſponſo iterato ad Regem Britanniæ cap. 33. Pagium etiam, Tillemontium, Natalem Alexandrum, peremptoriam anathematis ſententiam Romæ ab Anaſtaſio Pontifice in Ruffinum latam arbitratos, nec tamen eos animadvertiſſe ex hac ſua credulitate Apoſtolicæ Sedi permagnam injuriam irrogari*, dum ſcilicet ex eo ſequeretur, quod Romanæ Sedis ſententia ab ipſis etiam Italiæ Epiſcopis, iiſque dignitate, & ſanctitate illuſtrioribus, ſpreta fuerit, qui Ruffinum in ſuam amicitiam, & communionem uſque ad obitum retinuerunt, ac poſt obitum etiam laudarunt. Et quod præcipuum eſt, Gelaſius Pontifex in Concilio Romano, de libris Ruffini agens, quorum aliquos utpote a Beato Hieronymo notatos, nullatenus recipere Romanam Eccle-

*ApudCoutan. p. 582.*

*Fontan. hiſt. Aquilej lib. 5. cap. 19.*
*Coutan. pag. 723.*
*Valarſ. not. in op. Hieronym. tom. 2. p. 582.*
*Orſi hiſt. eccleſ. lib. 22. n. 41. in fine.*

*Fontan. ut ſup. 421.*

*Pag. an. 401. n. 16.*
*Tillemont. 10. 12. p. 242.*
*Nat. Alex. ſec. 4. cap. 6. art. 32.*

Eccleſiam teſtatur; eumdem tamen Ruffinum *virum Religioſum* appellat. JESU CHR. AN. 401.

17. Quæ hactenus hoc anno narravimus de geſtis in Origeniſtarum cauſa ab Anaſtaſio Papa, a Theophilo Alex. ab Epiphanio, Joanne Jeroſolymitano, Hieronymo, & Ruffino, ad annum 400. æque ac ad labentem 401. pertinent, quibus ea quæſtio maxima animorum contentione agitata eſt, nunc reliqua proſequimur, ut præcipue in eam rem geſta in unum collecta ſub oculos lector habeat. Cum autem inter Hieronymum, & Ruffinum ea controverſia ferveret, Chromatius Aquilejenſis Epiſcopus, Hieronymo ac Ruffino amicitia junctus, Hieronymum rogavit, ut diſſidiis cum Ruffino tandem finem faceret, ut idem Hieronymus teſtatur: *Teſtem invoco Jeſum conſcientiæ meæ, qui & has litteras, & tuam epiſtolam judicaturus eſt, me ad commonitionem Sancti Papæ Chromatii voluiſſe reticere, & finem facere ſimultatum, & vincere in bono malum; ſed quia minaris interitum, niſi tacuero, reſpondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoſcere &c.* Auguſtinus etiam, cum Hieronymi libros adverſus Ruffinum ſcriptos ab ipſo Hieronymo accepiſſet, doluit vehementer inter tales amicos, tantam interceſſiſſe ſimultatem; unde ad Hieronymum reſcribens: *Neſcio quæ ſcripta maledica ſuper tuo nomine ad Africam pervenerunt*; ſcripſerat quippe Hieronymus Auguſtino, Ruffinum ſcripta maledica adverſum ſe in Africam miſiſſe, quæ ſibi ignota fuiſſe teſtatur Auguſtinus. De acceptis vero Hieronymi libris adverſus Ruffinum, ſubdit: *Accepimus tamen quod dignatus es mittere illis reſpondens maledictis. Quo perlecto fateor multum dolui inter tam caras, familiareſque perſonas, cunctis pene eccleſiis notiſſimo amicitiæ vinculo copulatas, tantum malum extitiſſe diſcordiæ. Et tu quidem quantum tibi modereris, quantumcumque teneas aculeos indignationis tuæ, ne reddas maledictum pro maledicto, ſatis in tuis litteris eminet. Verumtamen ſi eas ipſas cum legiſſem, contabui dolore, & obrigui timore, quid me illæ facerent, quæ in te ille ſcripſit, ſi in manus meas forte veniſſent?* & poſt aliqua: *Quis denique amicus non formidetur quaſi futurus inimicus, ſi potuit inter Hieronymum & Ruffinum hoc, quod plangimus, exoriri? Heu mihi!* poſt aliqua ſubdit, *qui vos ſimul alicubi invenire non poſſum: forte ut moveor, ut doleo, ut timeo, prociderem ad pedes veſtros, flerem quantum valerem, roga-*

Quid Chromatius Aquilejenſis, & Auguſtinus de exorta inter Hieronymum, & Ruffinum ſimultate ſenſerint.

*Hier. adverſ. Ruf. lib. 3. p. 533. tom. 2.*

*Hier. epiſt. 102.*

*Auguſt. epiſt. 73. inter Hieronym. epiſt. 90.*

Jesu Chr. an. 401.

*rogarem quantum amarem. Nunc unumquemque veſtrum pro ſe ipſo, nunc utrumque pro alterutro & pro aliis, ac maxime infirmis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, qui vos tanquam in theatro vitæ hujus cum magno ſui periculo ſpectant, ne de vobis ea conſcribendo ſpargatis, quæ quandoque concordantes delere non poteritis, qui nunc concordare nolitis, aut quæ concordes legere timeatis, ne iterum litigetis.* Hæc Auguſtinus ſibi timens, ne cum a Hieronymo diſſideret, eadem ferula caſtigaretur; unde ſubdit: *Rogo te ſi fieri poteſt, ut inter nos quæramus, & diſſeramus aliquid, quo ſine amaritudine diſcordiæ corda noſtra paſcantur, fiat. Si autem non poſſum dicere quid mihi emendandum videatur in ſcriptis tuis, nec tu in meis, niſi cum ſuſpicione invidiæ, aut læſione amicitiæ, quieſcamus ab his, & noſtræ vitæ ſalutique parcamus. Minus certe aſſequatur illa, quæ inflat, dum non offendatur illa, quæ ædificat &c.* Hactenus Auguſtinus ad Hieronymum, de ſententia Pauli Apoſtoli, qui ſe in faciem Cephæ reſtitiſſe narrat in Epiſtola ad Galatas, aliquatenus diſſidens, de quibus infra anno 403. ſermo fiet.

De reliquis Theophyli, & Hieronymi geſtis adverſus Origeniſtas. Inter Hier. Epiſt. n. 96. Epiſt. 98. Epiſt. 100.

18. Interea Theophylus Alex., qui adverſus Origeniſtas bellum indixerat, & in Paſchali epiſtola labentis anni, quæ prima nunc eſt ex iis, quæ ſuperſunt; cujus initium *Chriſtum Jeſum Dominum gloriæ &c.* idem argumentum pluribus pertractat, & in epiſtola ſequentis anni 402. cujus initium *Primum ſolemnitatis Auguſtæ ſermo &c.* eadem ingerit; & iterum in Paſchali epiſtola anni 404. Origenis errores execrandos eſſe pluribus docet, quod in aliis, quæ deperditæ ſunt feciſſe non dubitamus. Socium, & adjutorem in ea pugna habebat Hieronymum, qui Theophyli epiſtolas, aliaque in eam rem opuſcula, in latinum illico vertebat; atque ut in Occidentem vulgarentur curabat. Unde anno proximo 402. cum Theophyli Paſchalem epiſtolam accepiſſet, atque in latinum tranſtuliſſet, ad Pammachium, & Marcellam ſcribens hæc habet: *Rurſum Orientalibus vos mercibus locupleto, & Alexandrinas opes primo Romam vere tranſmitto*; & de Origenis, ejuſque hæreſis condemnatione paulo poſt: *Quem Demetrius Alexandri urbe pepulit*, ideſt Originem, *toto Orbe fugat Theophylus, ad quem Lucas ſcripſit actus Apoſtolorum, qui ex amore Dei nomen invenit. Ubi nunc eſt coluber tortuoſus, ubi venenatiſſima vipera. Prima hominis facies utero commiſſa luporum, ubi hæreſis, quæ ſibi-*

Hier. epiſt. 97.

Æneid. 3.

*ſibilabat in Mundo, & me, & Papam Theophylum ſui jacta-*
*bat erroris, latratuque impudentiſſimorum canum ad inducendos*
*ſimplices noſtrum mentiebatur aſſenſum?* & poſt multa ad Pam-
machium, & Marcellam: *Vos*, inquit, *Chriſtiani Senatus lu-*
*mina accipite, & Græcam, & Latinam etiam hoc anno epi-*
*ſtolam, ne rurſum hæretici mentiantur a nobis pleraque vel ad-*
*dita vel mutata*; & in epiſtola ad eumdem Theophylum anno *Hier epiſt.*
404. ſcripta, cum ejuſdem Paſchalem epiſtolam accepiſſet, *99.*
apud eum ſe excuſat, quod febre laborans, & Paulæ obitu con-
turbatus, tardius eam epiſtolam verterit; atque ut alios libros
ad ſe mittat hortatur: *Libros, quos dudum ſcripſiſſe te nuncia-*
*ſti, vel legendos nobis, vel vertendos tranſmitte.* Hactenus de
his Hieronymus, quibus alia addere, & ſupervacaneum, &
longum eſſet. Adnotare ſufficiet, adverſus Origenem, & Ori-
geniſtas Hieronymum multos ſuſcepiſſe labores, ac libros vul-
gaſſe; atque ex tempore, quo Origenis cauſa cum Ruſſino diſ-
ſidere cœpit, numquam uſque ad obitum arma depoſuit; ſed
quavis occaſione data in Ruſſinum tela convertit, quin poſt
ejus obitum, cineribus ejus inſultavit, quem variis ad contu-
meliam nominibus ſæpe deſcripſit, atque plautinis pluſquam
ſalibus exagitavit; hinc cum Tyrannius, ſeu Turannius etiam
diceretur Ruſſinus, in eo nomine ludens Hieronymus ajebat:
*Didici objici mihi in ſchola Tyrannice lingua canum meorum ex*
*inimicis ab ipſo*; Grunnius etiam, & Calpurnius, Lanarius,
& Scorpius dictus eſt, Grunnius ex corporis fortaſſe pinguedine; *Apol. 1. & 2.*
unde in epiſtola ad Minervium, Ruſſinum deſignans: *Cur me*, *Hier. præm. in Iſaj lib. 11.*
inquit, *lacerant amici mei, & adverſus ſilentem craſſæ ſues grun-* *Hier. epiſt.*
*niunt*; in epiſtola ad Ruſticum his coloribus pingit, cum jam *119. in fine.*
mortuus eſſet Ruſſinus: *Teſtudineo Grunnius incedebat ad lo-* *Hier. epiſt.*
*quendum gradu, & per intervalla quædam vix pauca verba* *125. n. 18.*
*carpebat, ut eum putares ſingultare, non proloqui. Et tamen,*
*cum menſa poſita, librorum expoſuiſſet ſtruem, adducto ſuper-*
*cilio, contractiſque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis*
*concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos provocans; tum*
*nugas meras fundere, & adverſum ſingulos declamare; criti-*
*cum diceres eſſe Longinum, Cenſoremque Romanæ facundiæ,*
*notare quem vellet, & de Senatu doctorum excludere. Hic*
*bene nummatus, plus placebat in prandiis. Nec mirum, ſi qui*
*multos inescare ſolitus erat, facto cuneo circumſtrepentium gar-*
*rulorum, procedebat in publicum: intus Nero, foris Cato. To-*

*tus*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 401. *tus ambiguus, ut ex contrariis diverſiſque naturis novum monſtrum, novamque beſtiam diceres eſſe compactam, juxta illud Poeticum: Prima Leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra.*

Hieronymi in Ruffinum invectivæ. *Huet. in Orig. lib. 2. p. 220.* 19. Hactenus in Ruffinum Hieronymus, quem vehementiori ingenio abreptum plus juſto adverſarios ſuos exagitaſſe viri docti adnotant: *Optabile foret*, inquit Huetius, *ut ſanctiſſimus ille Doctor conſtantior animi fuiſset, & moderatior, neque tam facili bili ſuæ fuiſset morigeratus, ut in contraria pro rerum, & temporum ratione trahi ſe, & jactari ſiviſset: nunquam etiam maximos viros amariſſimis conviciis perfudiſset. Fatendum quippe eſt, jure eum ſæpe a Ruffino fuiſse reprehenſum; ſæpe etiam Ruffinum ab eodem ſine cauſa fuiſse culpatum*; ſed tanti viri nevos, ut de Cipriano ajebat Auguſtinus, charitatis viſcera texerunt; unde ejuſdem ſanctitati, quæ ubique venerationi eſt, nullatenus detractum eſt, cum fidei tuendæ zelo tantos ſuſcepiſſet labores, totque libros ediderit. Ceterum Origeniana hæreſis Orientis, & Occidentis ſententia damnata, non ita extincta fuit, quin ſequenti ſeculo majores adhuc tumultus in Eccleſia excitaverit, ut ſuo loco dicturi ſumus; *Hier. epiſt. 130.* hinc Sanctus Hieronymus decem ab hinc, & ultra elapſis annis ad Demetriadem ſcribens anno ſcilicet 314. eam admonebat, ut ab Origeniana hæreſi, quæ clanculum ſerpebat, ſibi caveret.

Theodoſii junioris nativitas. *Socrat. lib. 6. 6. Sozom. lib. 8. 4.* 20. Lætiora nunc ſequantur, nam hoc anno ut auctor eſt Marcellinus in chronico, *tertio idus Aprilis* Theodoſius junior, Arcadio, & Eudoxia genitus, natus eſt, cui conſentiunt Socrates, & Sozomenus, qui, Fravita conſule, Theodoſium natum eſſe tradunt. *Per idem tempus*; ait Sozomenus, *ipſo quem diximus Fravita, & Vincentio Coſſ., Imperatori natus eſt filius avo cognominis. Qui ſub initium ſequentis conſulatus Auguſtus renunciatus eſt*; quem vero *tertio idus Aprilis* natum fuiſſe narrat Marcellinus, quarto idus in lucem veniſſe tradit Socrates: quæ unius diei differentia inde fortaſſe orta, *Murat. annal. 401.* ut adnotat Muratorius, quod nocte intermedia inter diem quartum, & quintum ortum habuerit; accidit autem tanti Principis nativitas, cum CPoli eſſet Porphyrius Gazæ Epiſcopus, una cum Joanne Cæſareæ in Palæſtina Metropolitano, illuc profecti, ut ab Imperatore peterent everſionem Templi Marnæ *Bolland. die 26. Feb.* Gazenſis, & ut ejuſdem regionis Ethnicos coerceret; ne ultra Chriſti fideles contumeliis, injuriiſque vexarent, ut pluribus narrat

narrat Marcus S. Porphyrii Diaconus legationis comes, & rerum geſtarum teſtis.

*Surius die dicta.*
*Baylet 26. Febr.*

Porphyrius, Gazæ Epiſc. & Joannes Cæſareæ CPolim proficiſcuntur.

21. *Quo magis videbant Idololatræ Gazenſes multiplicari Chriſtianos, eo magis efferebantur, & non ſinebant eos obire officia civilia, ſed eis utebantur tamquam malis famulis.* Hæc autem videns beatus Porphyrius, aſperamque Chriſtianorum ſortem ægre ferens, Cæſaream ad Joannem Archiepiſcopum profectus eſt, rogans eum ut auxilium ſibi ferret, aut Epiſcopatu cedere ſibi liceret. At Joannes Cæſarienſis Epiſcopus, ut bono animo eſſet, ac Epiſcopatum retineret, hortatus eſt, ait Porphyrius: *Rogo te*, inquit, *ut naviges ad urbem regiam, ut rogemus Imperatores, Rege cæleſti annuente, ut evertant templa idolorum. Reſpondens autem beatus Joannes dixit ei: Fili, juſta quidem eſt petitio, ſed non eſt aptum tempus: jam enim imminet converſio hiemalis. Reſpondit beatus Porphyrius: Si vult nos Deus eſſe, & Gazæ populum convertere, poteſt etiam ſervare in hieme; Tu vero Pater, ejus fidens clementiæ, & miſericordiæ, id velis, & iter nobis ſuccedet feliciter: Dicit ei beatus Joannes: Fiat voluntas Chriſti.* Cum autem Joannes Cæſareæ Epiſcopus Porphyrio promiſiſſet, ſe itineris ejus comitem futurum, Porphyrius ad Marcum Diaconum ſuum ſcripſit, ut quamprimum Cæſaream ſe conferret, ac afferret tres libros, & quadragintatres nummos, qui ei ex eccleſiæ redditibus remanſerant, quo adveniente biduo poſt, ſcilicet die 23. Februarii, Cæſarienſi portu ſolventes, decem dierum ſpatio Rhodum appulerunt, & in adverſa inſulæ parte pauliſper tranſgreſſi, a Procopio ſanctiſſimo monacho, ad quem inviſendum illuc diverterant, honorifice excepti ſunt; a quo etiam, utpote futurorum præſcio, ipſorum legationem felicem ſortituram exitum intellexerunt, ut pluribus ibidem narrat Marcus; unde lætiores etiam iter ſuum proſequuti ſunt.

Porphyrius & Joannes a Chryſoſtomo excipiuntur.

22. *Egreſſi, & ſolventes illo die*, ſubdit idem auctor, *navigavimus, & poſt alios decem dies pervenimus Bizantium, & accepto hoſpitio, ſequenti die ivimus ad ſanctiſſimum Archiepiſcopum Joannem.* Itineris cognita cauſa, eos Chryſoſtomus benigne complexus, in ſpem erexit; ſe quidem per ſeipſum ad Imperatorem loqui non poſſe teſtatus, quem ſibi Imperatrix infenſum reddiderat, at curaturum ſpopondit, ut per Amantium Eunuchum Imperatricis cubicularium, eique cariſſimum, ipſorum negotia curarentur, eoſque dimiſit. Et ſane die ſequenti

Jesu Chr. An. 401. ti ad Chryſoſtomum reverſi, cum eo Amantium invenerunt; cui cum Porphyrius narraſſet, quanta hactenus Gazæ ab Ethnicis Chriſtifideles perpeti cogerentur, ac libere confidenterque nefarios Idololatriæ ritus exercerent, Amantius divino repletus zelo: *Ne anxii ſitis Patres*, inquit, *Dominus enim Chriſtus defenſurus eſt ſuam religionem: orate ergo vos, & ego loquar cum Auguſta: & ſpero in Deum univerſorum, foreut conſuetam ſuam faciat miſericordiam. Die autem craſtino vos ad eam introducam, & ipſa ore veſtro a vobis docebitur quæ vultis: invenietis vero eam a me prius inſtructam*. Cum hæc autem dixiſſet, nobis valere juſſis receſſit. Nos quoque cum multa ſpiritalia locuti eſſemus cum ſanctiſſimo Archiepiſcopo Joanne, ipſeque nos Deo commendaſſet, receſſimus. Die vero ſequenti eos Amantius per duos Decanos vocavit, ut irent in Palatium, quo cum perveniſſent Sancti Epiſcopi Porphyrius & Joannes, eos cubicularius Amantius ad Auguſtam Eudoxiam introduxit; Auguſta vero iis ſalutatis: *Ignoſcite*, ait, *mihi, Sacerdotes Chriſti: propter ventris, quæ me premit, neceſſitatem, non occurri: debebam enim in veſtibulo occurrere veſtræ Sanctitati. Sed propter Dominum orate pro me, ut quod eſt in utero, in lucem edam cum Dei benignitate*. Epiſcopi autem admirati tantam ejus demiſſionem, dixerunt: *Qui benedixit uterum Saræ, Rebeccæ, & Eliſabeth, benedicat, & vivificet id, quod eſt in tuo ventre*. Deinde, Auguſta jubente, docuerunt, quam luctuoſa adhuc eſſet Chriſtianorum conditio, qui Gazæ habitabant, quos Ethnici miris opprimebant modis; cumque hæc audiſſet Imperatrix dixit: *Ne ſitis anxii, Patres: ſpero enim in Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, fore ut perſuadeam Imperatori ea facere, quæ decent veſtram ſanctam fidem, & vos hinc dimittat compotes deſiderii*, iiſque abeuntibus ad victus neceſſitatem pecuniam dedit, quam ipſi pro parte maxima decanis aliiſque Aulæ famulis diſtribuerunt. Paulo poſt Eudoxia ad Imperatorem locuta, petiit ab eo, ut everterentur templa Gazæ. Imperator autem cum hæc audiſſet, ægre tulit, addens: Si eorum templa repente diruamus, ſe in fugam conjicient, & perdemus tantum canonem, quantus ex Gazenſium vectigalibus pendebatur. Quare ſatius eſſe dixit, ſi Idololatris adimentes dignitates, & alia civilia officia, templa eorum claudi, & non amplius celebrari feſta juberentur. Cum enim afflicti fuerint, ad omnes redacti

dacti anguſtias, agnoſcent veritatem. Poſt hæc, cum ad Eudoxiam rediiſſent Epiſcopi, locuta ſum cum Imperatore, dixit, & aliquantum ægre tulit; ſed ne animo excidatis, Deo enim volente, non ſum ceſſatura, donec vobis ſatisfaciat. Quare Porphyrius Epiſcopus ad Auguſtam: Labora propter Chriſtum, & ipſe pro labore tuo tibi dabit filium, qui vivet, & imperabit, te vidente, & cum eo vives multos annos. Cum hæc Porphyrius dixiſſet, Imperatrix: repleta eſt lætitia, ac Epiſcopis dixit: *Orate Patres, ut quomodo dixiſtis, Deo volente, pariamus maſculum: & ſi hoc factum fuerit, polliceor vobis me facturam omnia, quæ petitis; quin etiam aliud quoque, quod non petiſtis, ſum factura, Chriſto annuente; ſanctam enim Eccleſiam ædificabo Gazæ in medio civitatis. Abite ergo in pace, & quieſcite, aſſidue pro me rogantes, ut cum Dei benignitate pariam, & paulo poſt id implebo.* Cum paucos poſt dies filium Eudoxia peperiſſet, ideſt Theodoſium, quem anno ſequenti Arcadius Auguſtum dixit, vix diebus ſeptem a puerperio elapſis, ad ſe iterum Eudoxia Porphyrium & Joannem vocavit, iiſque obviam facta, infantem portans, ut ſe ipſam ac natum ſuum benedicerent, rogavit, eorumque votis ſe mox ſatisfacturam promiſit.

Jesu Chr. an. 401.

23. Ad Epiſcopos autem converſa, qua ratione ſupplicationem offerre deberent, edocuit, dicens: Cum paucis elapſis diebus, infans ſacro Baptiſmate mundabitur, paratam ſupplicationem ei, qui infantem ex fonte redeuntem portabit, tradite; *ego autem docebo eum, quid facere oporteat, & ſpero in Dei Filium, rem totam eſſe diſpenſaturum e voluntate ſuæ clementiæ.* Fecerunt itaque viri ſancti ſupplicationem, petentes non ſolum everſionem templorum & ſimulacrorum, ſed etiam privilegia dari Eccleſiæ, & præberi redditum, pauperrima quippe erat Gazenſis eccleſia. Adveniente autem die, quo cum maxima civium frequentia, omniumque ordinum pompa, ad eccleſiam delatus eſt infans Theodoſius, ut ſacro baptiſmate ablueretur, Porphyrius in eccleſiæ veſtibulo poſitus, antequam egrederetur infans, ſeu is, qui eum portabat, ſupplicationem porrigens, dixit: *Rogamus tuam pietatem, chartam porrigentes. Cum autem aſpexiſſet is qui portabat puerum, juſſit chartam dari, & cum accepiſſet, conſtitit. Juſſit autem fieri ſilentium: & cum ſolviſſet, legit partem, & cum involuiſset, ſubjecit manum capiti infantis, & cum illud inclinaſſet, clamavit co-*

Qua ratione Porphyrius poſtulata obtinuerit.

vſ.

Jesu Chr. An. 401.

*ram omnibus*: *Juſſit ejus potentia ea fieri, quæ ſunt in libello ſupplici*. Ut autem in palatium cum puero rediit Arcadius Imp., ad eum Eudoxia, videamus, inquit, quid ſupplicatio contineat; Imperator vero juſſit legi chartam, & poſtquam lecta fuit, dixit: *Gravis quidem eſt petitio, ſed gravior eſt recuſatio, quoniam hæc eſt prima juſſio filii noſtri*, atque ut Porphyrii Epiſcopi vota adimplerentur, juſſit. Interea cum die altera Porphyrium & Joannem Epiſcopos ad ſe vocaſſet Eudoxia: *Craſtina die*, inquit, *accerſam Quæſtorem, & coram vobis jubebo, ut convenienter ei, quod continet ſupplicatio, fiat reſcriptum ex nomine duorum Imperatorum, & ut ſemel dicam, faciat omnia quæ conſequuntur*. Eoque facto, & ſubſcripto, Amantio juſſit Eudoxia, ut virum pium, & fidelem quæreret, cui ejuſdem reſcripti executionem mitteret.

Cynegius executioni reſcripti deſtinatur.

24. *Commiſſum vero fuit negotium*, ſubdit Marcus, *cuidam nomine Cynegio ex conſiſtorio, qui fuit vir admirabilis, & fide fervens. Eo autem accerſito, juſſit Auguſta, ut omnia idola uſque ad ſolum everteret & igni traderet. Porro ei quoque manu ſua dedit pecunias dicens: Accipe ad ſumptus, & nihil capias a ſanctiſſimis Epiſcopis. Cum talia autem mandata accepiſſet a Domina, egreſſus eſt promptior & alacrior*: erat plane Cynegius vir clariſſimus, ad quem poſtea creatum Præfectum Prætorio extant data reſcripta. Tranſactis autem Paſchalibus feſtis antequam CPoli excederent Epiſcopi ad ſuas eccleſias reverſuri, cum iterum Porphyrius & Joannes Eudoxiam adiiſſent, illa ingentem pecuniæ ſummam Porphyrio dedit, ut eccleſiam Gazæ ædificaret, ac eorum ſe, filiumque ſuum orationibus commendans, lætos hilareſque dimiſit. Utroſque vero Imperator etiam muneribus, & pecunia ditavit, ut longa oratione proſequitur Marcus; & navem ingreſſi vigeſimo tertio Xantici, qui eſt apud Romanos octavus decimus Aprilis dies, Rhodum quinta die pervenerunt. *Valde vero ſtudebamus ire ad S. Procopium*, ait Marcus, *Anachoretam. Cumque nos valde rogaſſemus nauclerum, ut nobis concederet tres horas, non conceſſit, dicens: Non poſſum ventum invenire tam ſecundum*.

Nauclerus exorta tempeſtate Arianam hæreſim abdicat.

25. Rhodum itaque ſolventes, fera maris tempeſtate exorta, cum in maximo diſcrimine eſſent, atque ad Deum preces funderent, Joannes, & Porphyrius Epiſcopi cum Marco Diacono, Procopii Anachoritæ precibus ſe commendabant, quem CPo-

CPolim properantes in inſula Rhodo inviſerant, ut ſupra diximus. Is vero, Epiſcopis aliquantulum quieſcentibus, cum ob tempeſtatis vim noctem inſomnem tranſegiſſent, apparens juſſit, ut Nauclerum Arianum Arianam perfidiam abdicare juberent, quo facto maris tempeſtatem ceſſaturam eſſe prædixit. Quare cum eum Porphyrius & Joannes interrogaſſent, num vellet navem ſuam eſſe ſalvam; ille vero dixiſſet, ſe id maxime cupere, ad eum Epiſcopi dixerunt: *Crede in rectam fidem, & ſalvus eris, & tu, & navis, & nos omnes.* Dicit ei Nauclerus: *Quoniam video vos habere præſcientiam, ( comprehendiſtis enim quæ erant in corde meo, cum nemo id vobis nunciaverit ) ecce dico vobis: Credo, ut creditis: Abnego hæreſim Arii. Rogo autem vos, ut per otium me ex ſanctis Scripturis illuminetis in recta fide. Sancti vero Epiſcopi eum acceperunt, & obſignarunt, ſuper eum fuſis precibus, & eum quoque impertierunt divinis Sacramentis*, nempe Euchariſtia: etenim navigantes fideles ſecum ferre ſolitos fuiſſe ſanctiſſimam Euchariſtiam, ex his quæ habet Sanctus Ambroſius in oratione funebri Satyri fratris, & Sanctus Gregorius, cum de Maximiano agit, atque alii, abſque aliqua dubitatione docemur. Sed ſubdit Marcus: *Interim autem ceſſarunt fluctus, & veſpere mutatus fuit ventus, & feliciter navigavimus: & cum fuiſſemus in pelago alios quatuor dies, quinto mane adnavigavimus in maritimam partem Gazæorum, quam vocant Majumam.*

Jesu Chr. an. 401.

26. Gazenſem itaque urbem ingreſſi, a fidelibus magna cum lætitia excepti ſunt, qui obviam ſanctis Epiſcopis Crucem ferentes, & pſallentes venerant; cumque locum pertranſirent, qui *Tetramphodos* dicebatur, ideſt *quadrivium*, *ſtabat ſtatua marmorea, & dicebant eam eſſe Veneris, quæ habebat aperta tota ſua pudenda; ſtatuam autem habebant in honore omnes cives, maxime vero mulieres, lucernas accendentes, & thure ſuffientes*, quam matrimoniis præeſſe credebant. *Cum ergo nos, ut dictum eſt, ad locum veniſſemus, in quo erat ſimulachrum Veneris, portarent autem Chriſtiani lignum Chriſti, hoc eſt, figuram Crucis, videns Dæmon qui habitabat in ſtatua, nec videre ſuſtinens ſignum quod ferebatur, turpiter egreſſus ex marmore, dejecit ipſam ſtatuam, & confregit eam in multa fragmenta. Accidit vero, ut duo idololatræ ſtarent prope aram, in qua ſtabat ſtatua; & corruens, unius quidem caput fregit in*

Crucis virtute Veneris idolum corruit.

Jesu Chr. an. 401. *in duas partes, alterius autem humerum & brachiale: ſtabant enim ambo ſanctum populum ſubſannantes*. Eoque miraculo factum eſt, ut Ethnicorum plurimi rem admirantes, in Chriſtum crederent, ac in eccleſiam ingrederentur, ut narrat Marcus.

Cynegius Gazæ Idolorum templa evertit.

27. Poſt decimum autem diem cum Gazam perveniſſet Cynegius, habens ſecum Conſularem, & Ducem, & magnam militum manum, die altera vocatis civibus, præſentibus Duce & Conſulari, aperuit eis litteras Imperatoris, quæ jubebant, ut everterentur ſimulacra & delubra, & igni traderentur. Cum vero id audiiſſent Idololatræ, ejularunt magna voce, adeo ut id ægre tulerint magiſtratus, & in eos cum minis emiſerint milites, qui eos virgis & clavis verberabant. Chriſtiani autem cum magno gaudio laudibus Imperatores & magiſtratus proſequebantur, & abſque mora impetu facto delubra everterunt. Erant autem Gazæ ſimulacrorum publica templa octo, nempe Solis, & Veneris, & Apollinis, & Proſerpinæ, & Hecates, & quod dicebatur Hierion, ſeu Sacerdotum, & Fortunæ civitatis, quod vocabant Tycheon, & Marnion, quod dicebant Critæ generis Jovis, quod exiſtimabant eſſe glorioſius omnibus templis, quæ ſunt ubique. Erant autem alia quoque plurima ſimulacra in ædibus, & pagis, quæ nemo numerare poterat. Juſſi ergo milites cum Chriſtianis civitatis impetum fecerunt in ſimulacra; & primum cum voluiſſent evertere ſimulacra, & Marnium, repulſi ſunt. Illius enim Idoli ſacerdotes, cum prius de eo audiſſent, portas interioris templi intrinſecus magnis lapidibus obſtruxerunt, & cum exportaſſent in ea, quæ dicuntur adyta, quæcumque erant vaſa in templo pretioſa, quin etiam ipſa Deorum ipſorum animalia illic occultaverunt, & per ipſa adyta fugerunt per alias vias. E Marnio repulſi ad alia Idolorum templa & ſimulacra converſi ſunt, & alia quidem everterunt, alia vero igni tradiderunt. Cum ergo rapuiſſent omnia, quæ in eis erant vaſa pretioſa; ſanctus Porphyrius anathemati ſubjecit in Eccleſia quemlibet Chriſtianum, qui ex delubris aliquid accepiſſet in proprium lucrum. His ſimilia juſſerat olim Auguſtinus in Africa, cum reſcripto Honorii Imperatoris illic etiam ſimulacra demolirentur: idque ea de cauſa, ne ſcilicet ardore avaritiæ potius, quam zelo pietatis viderentur Chriſtiani in idola inſurgere.

Marnæ Templum tandem deſtruitur.

28. Cum dies decem in everſione ſimulacrorum inſumpſiſ-

Digitized by Google

ſent, conſilium inierunt Gazenſes, quonam modo Marnæ templum deſtruerent, & alii quidem dicebant, debere effodi, alii autem comburi, alii locum purificari, & ſanctificari in Dei honorem, & erat de ea re magna deliberatio. Tandem ſanctus Epiſcopus edicit populo jejunium & orationem, ut eis revelaret Dominus, quidnam eos facere oporteret, cumque illo die jejunaſſent, & Deum de hac re precati eſsent, veſpere pergunt ad ſanctam Synaxim. Cum pergeretur autem, puer circiter ſeptem annos natus, ſtans cum matre propria, repente exclamavit dicens: *Comburite intus templum uſque ad ſolum: facta ſunt enim in eo multa gravia ſcelera, & maxime hominum ſacrificia. Id vero hoc modo comburite: Afferte picem humidam, ſulphur, & ſevum porcinum & hæc tria commiſcete, & ungite portas æneas, & ignem in eas injicite, & ſic totum templum comburetur, non poteſt enim aliter fieri. Id autem quod eſt exterius, ſinite cum ambitu: & poſtquam fuerit combuſtum, purgantes locum, ædificate illic ſanctam eccleſiam. Dicebat autem hoc quoque: Teſtificor vobis coram Deo, ne fiat aliter: neque enim ego ſum qui loquor, ſed Chriſtus, qui in me loquitur, Hæc autem dixit lingua Syriaca. Poſtquam vero audierunt, omnes admirabantur, & Deum glorificabant.* Epiſcopus tamen his auditis, matrem, & puerum ad ſe vocatos, ſeparatim interrogavit, an quiſpiam puero hæc ſuggeſſiſset; quod cum mater cum juramento negaſset, puerum iterum minis etiam adhibitis interrogavit, ut veritatem proderet; ſed puer cum primo nil reſponderet, tandem os aperiens, quæ prius Syriaca lingua dixerat, novo miraculo, Græco idiomate hactenus ſibi ignoto replicavit, non ſine maxima omnium admiratione, ut pluribus narrat Marcus in vita Porphyrii; cumque Epiſcopus tria numiſmata matri dare vellet, exclamans puer lingua Syriaca: *Ne accipias mater*, inquit, *ne tu quoque vendas donum Chriſti; mulier vero reddidit tria numiſmata dicens Epiſcopo: Ora pro me, & filio, & commenda nos Deo. Sanctus vero Epiſcopus dimiſit eos in pace.*

29. Die ſequenti cum in unum clerus & populus convenisſent, una cum magiſtratibus, ſicuti a puero ſuggeſtum fuerat, interiores Marni portas ſevo, ſulphure, & pice unxerunt, iiſque ignem admoverunt; & continuo magnum incendium factum eſt, ita ut momento pene temporis Templum conflagraverit. Cum vero ex Tribunis unus, qui foris apparebat Chriſtia-

Templum Marnium comburitur, tribunus ethnicus dat pœnas.

JESU CHR. AN. 401. ſtianus, in occulto autem erat idololatra, præſens adeſſet, & videret conflagrationem, & direptionem, quæ fiebat a militibus, diſsecabatur; & ſub prætextu quod curaret, ut ſervarent ordines, flagellis crudeliter cædebat, ſi quem inveniſſet ferentem aliquod ſpolium. *Cum hæc fierent, & ab igne corrupti eſſent parietes, repente lignum ardens cecidit in Tribunum, & ei duplicem affert mortem: perfracto enim capite ejus, uſſit reliquum corpus, & ſtatim Fideles milites, & Chriſtianus populus, ſcientes eum eſſe propenſum ad ſimulacra, Deum glorificarunt, & dixerunt illum Pſalmum, qui incipit: Quid gloriaris in malitia potentes in iniquitate*. Perquiſitio deinde in domibus facta eſt, ubi multa Deorum ſimulacra inventa, aut igni comſumpta, aut alio modo deſtructa, una cum libris, qui apud idololatras ſacri habebantur.

*Pſalm. 51.*

Nova eccleſia Gazæ edificatur.

30. Marnio exuſto, dum locus a ſordibus, & cinere purgaretur, ac de ædificauda ibidem eccleſia conſuleretur Eudoxia, Auguſtæ litteræ delatæ ſunt, quibus de ædificanda ibidem eccleſia agebatur, eamque ut in Crucis forma extrueretur, jubebat. Quare hortante Porphyrio Epiſcopo, vix ad opus appoſita eſt manus, cum clerus & populus mira alacritate, & fundamenta jecit, lapideſque, omnemque ad opus maceriem certatim detulit, ut longa oratione in vita Porphyrii deſcribit Marcus. Anno autem ſequenti miſit Eudoxia Imperatrix columnas, quas erat pollicita, quæ quidem erant magnæ, & admirabiles, numero triginta. Duæ vero vocabantur Caroſtiæ, quæ quidem ſunt in ſancta Eccleſia *lucentes tamquam ſmaragdi &c.* Ædificationem ipſius Eccleſiæ ad quinquennium prorogatam, & reliqua, quæ contigerunt anno ſequenti, ſuo loco deſcribemus. Interea ecce tandem confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo: confractum inquam eſt idolum Marna, Marniumque proſtratum; quod fieri per Hilarionem optavit olim clariſſima Ariſteneta Helpidii Præfecti prœtorio uxor, cum eum ſic invocabat dicens: *Ingrediatur ſervus Dei Gazam, & Marnas corruat*. Qui ergo quondam, ut S. Hieronymus ait, ſub Theodoſio lugebat incluſus everſionem templi jugiter pertimeſcens, jam extinctus penitus jacet, & Chriſti virtute factum eſt, quod idem Hieronymus prædicat: *Hoc noſtris temporibus videmus eſſe completum. Serapium Alexandriæ, & Marnæ Templum Gazæ in eccleſias Domini ſurrexerunt*.

*Iſai. 47.*

*Hier. vita Hilar.*

De ſynodo Carthag.

31. Frequentiores hac ætate fuiſſe Carthaginenſes ſynodos

nodos nemo ignorat; duas hoc anno ibidem celebratas fuiſſe, ex Codice eccleſiæ Africanæ ſcimus. Utriſque Aurelius Carthaginenſis præfuit, utriſque etiam Auguſtinus adfuit; & in ſecretario Baſilicæ Reſtitutæ celebratæ ſunt, prima 16. Junii, ſeu 14. Kal. Julii *poſt conſulatum Fluvii Stilichonis*, ideſt hoc anno, nam elapſo primum conſulatum iniit Stilicho. Eo autem concilio ſtatutum eſt, ut ad tranſmarinas Italiæ Eccleſias legatio deſtinaretur, ideſt ad Anaſtaſium Pontificem Rom: & ad Venerium Mediolanenſem Epiſcopum, quem adhuc vivere credebant; ut quoniam vetitum erat, hæreticos ad eccleſiam redeuntes in clerum recipere, aut in miniſterio, quo apud hæreticos functi fuerant, ſuſcipere, ob Africanarum eccleſiarum neceſſitatem, & clericorum penuriam, liceret ibidem Donatiſtas ad eccleſiam redeuntes in clericali ordine recipere, aut infantes apud Donatiſtas baptizatos, ac deinde catholicæ Eccleſiæ reconciliatos, ad ſacros ordines promovere poſſent, in quam rem hæc habet Aurelius. Poſt Coſſ. Flavii Stilichonis XVI. Kal. Julias *Carthagine in ſecretario Baſilicæ Reſtitutæ. Cum Aurelius Epiſcopus una cum Epiſcopis ſuis conſediſſet adſtantibus Diaconibus, Aurelius Epiſcopus dixit: Eccleſiarum Dei per Africam conſtitutarum neceſſitates mecum optime novit caritas veſtra, ſanctiſſimi fratres; & quoniam præſtitit Dominus, ut ex aliqua parte ſancti cœtus veſtri eſſet congregata præſentia, videtur mihi, ut has eaſdem neceſſitates, quas pro ſolicitudine noſtra indagare potuimus, in medium proferamus*; Clericorum porro tantam fuiſſe iis in Eccleſiis inopiam ajunt, ut plurimæ Eccleſiæ ne unum quidem Diaconum, vel Presbyterum haberent. Quamobrem congregati Epiſcopi ajebant: *Quotidie nos planctus diverſarum pæne emortuarum plebium jam non ſuſtinemus: quibus niſi fuerit aliquando ſubventum, gravis nobis & inexcuſabilis innumerabilium animarum pereuntium cauſa apud Deum manſura eſt*. Infantes quidem apud Donatiſtas baptizatos in clerum admittendos eſſe cenſuerant Africani patres in ſynodo Hipponenſi anni *393.*, aut Carthaginenſi an. *397.* At cum hæc fieri Romana, Mediolanenſis, & Capuana ſynodus prohibuiſſet, multoque magis alienum ab eccleſiæ diſciplina fuiſſet hæreticorum clericos ad eccleſiam reverſos, cum ſuis gradibus in Eccleſiam recipi, ob Eccleſiæ utilitatem, & miniſtrorum indigentiam, ut id ſibi liceret, poſtularunt. *Superiori concilio ſtatutum eſſe*, ajebat Aure-

Jesu Chr. an. 401.

*Auguſt. vita lib. 5. 5.*

*Labb. tom. 2. p. 1081. Hard. tom. 1. p. 894.*

*Cod. can. Afr. n. 57. Labb. p. 1084.*

JESU CHR. AN. 401.

relius, *mecum recognoſcit unanimitas veſtra, ut hi, qui apud Donatiſtas parvuli baptizati ſunt, nondum ſcire valentes erroris eorum interitum, & poſteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate, falſitatem eorum abhorrentes, ad Eccleſiam Dei catholicam per univerſum Mundum diffuſam, ordine antiquo, per manus impoſitionem recepti ſunt, debere talibus ſuſcipiendum munus clericatus non impedire nomen erroris &c.* De ceteris vero, qui cum majores eſſent, apud Donatiſtas miniſtraverant, recipiendos quoque eſſe, ea potiſſimum ratio ſuadebat, quod clericalis honoris ſpe alliciendi erant, nam una cum ipſis ad eccleſiæ unitatem, laici redibant; nil tamen in re graviſſima definire cenſuerunt, inconſulto Romano Pontifice, & Mediolanenſi Epiſcopo; unde ſubdit Aurelius: *Quamquam nonnulli ejuſdem ſectæ clerici cum plebibus, atque honoribus ſuis ad nos tranſire deſiderent, qui amore honoris aut perſuadent ad vitam, aut retinent ad ſalutem. Sed hoc majori fratrum ſupradictorum conſiderationi dimittendum cenſeo, ut prudentiori conſilio noſtræ ſuggeſtionis ſermonem cum perpenderint, quid de hac re eis placeat, nos informare dignentur.* His alia, quæ ab Imperatore per eoſdem legatos petenda erant, proponit Aurelius, primo ut Idololatriæ reliquias in Africa extirpandas juberet; ſecundo ne clerici ad dicendum teſtimonium, apud judices laicos cogerentur; 3. ne pagani Chriſtianos cogerent, in eorum feſtis convivia celebrare, & præcipue ut convivia hujuſmodi diebus natalibus beatiſſimorum Martyrum, vel locis ſacris prohiberentur; 4. ne ſpectacula diebus dominicis, vel aliis diebus feſtis celebrarentur; maxime vero ne in octava Paſchæ, nam *populi ad circum magis, quam ad Eccleſiam conveniunt*; 5. ut interpoſita pœna damni pecuniæ, aut honoris, cuilibet prohibitum eſſet, clericum Epiſcoporum judicio damnatum defendere. 6. Ne iſtrio, qui Chriſto nomen dederit, iterum ad ludrica exercenda cogeretur. 7. Quoniam per Italiam in Eccleſia manumiſſiones fieri audierant, legatis ſuis mandant, ut de his inquiſitionem faciant, ut eodem jure ipſi quoque uti poſſent; tandem legatum ſuum admonent, ut ſi Equitium Epiſcopum ſua ſede depoſitum, *in illis partibus repererit; pro eccleſiæ ſtatu, quod oportuerit, vel ubi licuerit, adverſus eum peragere poſſit.*

*Cod. can. eccleſ. Afric. can. 58. 59. 59. 60. 61. 62. 63.*

Carthag. ſynodus altera, Anaſtaſii Papæ epiſt. ad Africanos Epiſc.

32. Quis autem ex Africanis Epiſcopis, tam perhonorifica

fica

ſica legatione apud Anaſtaſium Pontificem, & Imperatorem Honorium perfunctus ſit, in obſcuro eſt; ex altera tamen ſynodo, hoc eodem anno Carthagine celebrata, *Vincentio, & Fravita Coſſ. Idib: ſeptemb.*, ſcimus, Anaſtaſium Pontificem epiſtolis ſuis Africanos epiſcopos ad extinguendum Donatiſtarum ſchiſma excitaſſe, uti congregati Epiſcopi his verbis narrant: *Cum in concilio congregati in Eccleſia Carthaginenſi conſediſſemus, ex Africanis omnibus provinciis Epiſcopi*, ideſt Aurelius ejuſdem ſedis epiſcopus cum collegis ſuis, quos eorum ſubſcriptio manifeſtat: *Recitatis Epiſtolis beatiſſimi fratris, & conſacerdotis noſtri Anaſtaſii, Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi, quibus nos paternæ & fraternæ caritatis ſolicitudine ac ſinceritate adhortatus eſt, ut de hæreticorum, & ſchiſmaticorum Donatiſtarum inſidiis & improbitatibus, quibus Africanam Eccleſiam catholicam graviter vexant, nullo modo diſſimulemus: Gratias agimus Domino noſtro, quod illi optimo ac ſancto Antiſtiti ſuo tam piam curam pro membris Chriſti, quamvis in diverſitate terrarum, ſed in una compage corporis conſtitutis, inſpirare dignatus eſt.* Conſultatione deinde inter Epiſcopos habita de agendi ratione cum Donatiſtis, placuit cum iiſdem *leniter, & pacifice agere; ut quantum in nobis eſt, omnibus, qui eorum communione, & ſocietate irretiti ſunt, per univerſas provincias Africanas penitus innoteſcat, quam miſerabili errore devincti ſunt.* Ob eamque cauſam ſtatutum eſt, ut ex concilio litteræ darentur ad judices Africanos, a quibus peteretur, ut *judiciaria poteſtate atque diligentia ex fide chriſtiana, quid geſtum ſit in omnibus locis, in quibus Maximianiſtæ Baſilicas obtinuerunt, qui ab eis ſchiſma fecerunt, inquirant, & geſtis publicis propter firmam notitiam omnibus neceſſariam faciant inhærere*; ex geſtis quippe Maximianiſtarum cum Donatiſtis invincibili argumento convincebantur, fruſtra ſe catholicis crimina objicere, ne cum iiſdem communionem inirent; cum Maximianiſtas graviſſimorum criminum reos a ſe dictos in ſuam olim recepiſſent communionem, ut Sanctus Auguſtinus frequenter iiſdem exprobrat, ſuiſmet illorum factis omnino convincens; ſed concilii ſtatuta narrare proſequimur.

Jesu Chr. An. 401.

Labb. tom. 2. p. 1089.

Africani Epiſcopi gratias Anaſtaſio reddunt.

33. Placuit deinde, *ut litteræ mittantur ad fratres, & Coepiſcopos noſtros, & maxime ad ſedem Apoſtolicam, in qua præſidet memoratus venerabilis frater & collega noſter Anaſtaſius, quo noverit habere Africam magnam neceſſitatem propter Ec-*

Decretum de recipiendis Donatiſtarum clericis. Can. 68. p. 601 2.

Jesu Chr. an. 401.

*Eccleſiæ pacem & utilitatem*: *ut ex ipſis Donatiſtis*, *quicumque Clerici correcto conſilio ad catholicam unitatem tranſire voluerint*, *ſecundum uniuſcujuſque epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium*, *qui in eodem loco gubernat eccleſiam*: *ſi hoc paci chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit*, *in ſuis honoribus ſuſcipiantur*. Hujuſce decreti de recipiendis Donatiſtarum clericis cum ſuis honoribus, cum ad catholicam eccleſiam redibant, meminit ſæpe Auguſtinus, eaque data occaſione, adverſus Donatiſtas, qui eam diſciplinam reprehendebant, tuetur, atque pro Eccleſiæ utilitate, tum Epiſcopos, ceteroſque inferioris ordinis clericos admiſſos, aut rejectos fuiſſe aſſerit, inter cetera: *Veſtri Epiſcopi*, inquit, *ſeu quilibet clerici*, *quantum ad illa eccleſiaſtica officia pertinet*, *ſic in catholicam ſuſcepti ſunt unitatem*, *quemadmodum expedire videbatur iis*, *quorum ſaluti per eorum conſulebatur officium*, *vel exercendum*, *vel omittendum*; hinc in collatione Carthaginenſi catholici Antiſtites non pauci reperiuntur, qui Donati partes antea ſecuti fuerant.

*Auguſt. contra Creſc. cap. 10. 11. epiſt. 185. cap. 10, & alibi paſſim.*

Ut legati pacis ad Donatiſtas mitterentur.

*Can. 69. p. 1092.*

34. Placuit tandem, *ut legati prædicandæ pacis*, *atque unitatis*, *ſine qua ſalus Chriſtiana non poteſt obtineri*, *e numero noſtro*, *ad ipſorum Donatiſtarum*, *ſive quos habent Epiſcopos*, *ſive ad plebes mittantur*, *per quos omnibus in notitiam perferatur*, *quam nihil habeant*, *quod adverſus eccleſiam catholicam juſte poſſint dicere*, quod ex municipalibus Donatiſtarum geſtis cum Maximianiſtis præcipue oſtendere debebant, ut ibidem Africani Epiſcopi, pluribus narrant. Hoc autem concilium plenarium fuiſſe, & Epiſcoporum numero celeberrimum, ipſa præfatio indicat, tum etiam decretum in eo geſtum pro eccleſia Hipponenſium Diaretorum, quo Epiſcopos viginti mittendos decreverunt, & inter eos Alypium, & Auguſtinum, & Evodium, ut Epiſcopum in ea eccleſia ordinarent, qua Equitius ob crimina ejectus fuerat; atque inter plebem pacem reſtaurarent. Nonnulla adhuc, quæ diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant, eo in concilio ſtatuta ſunt; de ſervanda ſcilicet caſtitate, & continentia, itaut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus etiam abſtinere deberent; item ne Epiſcopus relicta principali cathedra, ad aliam eccleſiam in Diœceſi conſtitutam tranſiret, neve diutius a propria eccleſia, ſuorum etiam negotiorum cauſa, abeſſet: ut quoties dubitatur, num aliquis infans ſit baptizatus, ſine ſcrupulo baptizaretur; ut dies Paſchæ, & conciliorum indictio ſingulis annis intimaretur; qui, vacante Epiſcopa-

*Cod. can. Afr. can. 78. Labb. p. 1096.*

*Cod. can. Afr. eccleſ. can. 70. 71. 72.*

*73. 74. 75.*

li

li ſede, adminiſtrationem ſuſceperat, nullo modo eam retine- JESU CHR.
re poſſet; ſed intra annum curare debebat, ut Epiſcopus or- AN. 401.
dinaretur, alioquin poſt annum, *interventor alius tribuatur*. Ho-
rum Interventorum, qui vacante ſede eccleſiarum curam ha-
bebant & adminiſtrationem, meminit Auguſtinus, quos & ad- *Auguſt. epiſt.*
ventitios vocat. Ab Imperatoribus poſtulandum cenſent; *ut* *44. 4. de uni-*
*propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſ-* *co baptiſm.*
*ſione fatigatur eccleſia, ut defenſores eis adverſus potentias di-* *cap. 16.*
*vitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur*. Epiſcopi, qui ſy- *Can. 75.*
nodis adeſſe recuſant, eccleſiæ ſuæ contenti erunt; niſi urgente
cauſa, quam in tractoria, vel apud Primatem probare debent, 77.
abſuerint. Ut cauſa Creſconii Epiſcopi villæ Regenſis cum Pri-
mate ſuo in proximo univerſali Africano concilio cognoſca-
tur; canone 78. de ordinando Epiſcopo in eccleſia Hipponenſi 78.
Diaretorum agitur, qua Equitius ob graviora crimina ejectus
fuerat, ad quam eccleſiam viginti Epiſcopos legatos miſerunt:
clerici ob crimen aliquod damnati, infra annum innocentiam 79. 80. 81. 82.
ſuam tueri poterunt. Ab alieno monaſterio ſuſceptus, nec mo- 83. 84. 85.
naſterii præpoſitus conſtituatur, nec clericus ordinetur; ſi epi-
ſcopus hæreticum, aut paganum hæredem dixerit, poſt mortem
anathema ei dicatur, quod & fiet, etiamſi inteſtatus deceſſe-
rit, etiamſi Pagani vel hæretici conſanguinitatis jure hæredes fue-
rint; *quia utique debuit factus Epiſcopus, rei ſuæ ordinationem*
*congruam ſuæ profeſſioni nequaquam differre*. 84. jubet ut Ido-
lolatriæ reliquiæ ubique delerentur; 85. & ultimo ut ſynoda-
les epiſtolæ a Carthaginenſi Epiſcopo primum ſubſcriberentur,
deinde a ceteris Epiſcopis, quod & ibidem factum eſt; nam
ſubditur: *Et ſubſcripſerunt Aurelius Epiſcopus eccleſiæ Cartha-*
*ginenſis, huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi, ſimiliter*
*& ceteri Epiſcopi ſubſcripſerunt*. Sed de concilio Carthaginen-
ſi, quod quintum dicitur hactenus, de quo plura apud de Mar- *De Marca diſ-*
ca, & Scheleſtratum videri poſſunt. Hoc etiam anno Hono- *ſert. de vet.*
rius Imp. pridie idus Jul. poſt conſulatum Stiliconis, & Aure- *collect. can.*
liani, clericis, & monachis immunitatem conceſſit, ſeu po- *cap. 8. & 9.*
tius confirmavit: quam ad Pompejanum Africæ Proconſulem *Scheleſt. de ec-*
inſcripſit, clericorum penuriam in eccleſia Africana perſpectam *cleſ. Afric diſ-*
habens, qua lege ad clericatum quamplures invitare voluit: *ſert. 3. cap. 10.*
*Quicumque catholicæ religionis*, inquit, *clerici intra eum mo-* *Cod. Theod.*
*dum, unde victus emendi, vendendique uſum lege præfinitum* *leg. 36. de Epi-*
*exercent, ab auraria penſione habeantur immunes*; ab his quo- *ſcop.*

Jesu Chr. an. 401.

*quae, quos a publici laboris actu, & gradus clericatus, & quod non minus eſt, ſanctior vita defendit* ( ideſt monachis ) *praecipimus temperari. Nec enim ullum eorum, qui excepti legibus probabuntur, ſubjacere patimur injuriae. Dat. Mediol. prid. id. Julii.*

Anaſtaſius Papa obiit, cui ſuccedit Innocentius. *Bar. an.* 402. *n.* 42. *Baſnag. an.* 402. *n.* 10. *Tillemont. tom.* 12. *p.* 256. *&* *n.*69. *pag.* 650. *Coutan. pag.* 712. *Pag. ad an.* 402. *not.* 16. *Hier. epiſt.* 127. *Bar. an.* 402. *n.* 48.

35. De anno, quo Anaſtaſius Pontifex obiit, diſſident eruditi, ac anno ſequenti nonnulli obiiſſe tradunt; labenti tamen veroſimilius eſt, & quidem die decimaquarta Decembris, ut in Martyrologio Hieronymiano legitur, cum ſediſſet annos tres, dies decem, ut apud Coutantium, & Pagium videre eſt; quem *diu Roma habere non meruit, ne orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur. Imo idcirco raptus, atque translatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur*, ait Hieronymus ad Principiam. Anaſtaſio duas inſcripſit epiſtolas pſeudo-Iſidorus, quarum prima omnibus Germaniae, & Burgundiae Epiſcopis inſcripta eſt, altera Neriano data eſt; utraque tamen ſuppoſititia. De prima vel ipſe Baronius dubitat, qui ejuſdem Pontificis epitaphium tunc primum inventum vulgavit, quo habetur:

*Limina nunc ſervo tenui qui culmine ſedis,*
*Hic merui tumulum Praeſes Anaſtaſius.*
*Presbitero genitus delegi dogmata vitae*
*Militiaeque Dei natus in officiis.*
*Pontificum caſto famulatus pectore juſſis*
*Obtinui magnum nomen Apoſtolicum.*

Innocentius Anaſtaſio Papae ſuccedit. *Pag. n.* 19. *ad an.* 402. *Coat. p.* 738.

Anaſtaſio ſucceſſit Innocentius, quem labenti anno die 21. Decembris ordinatum fuiſſe, poſt Pagium tradit Coſtantius; Papebrochius vero die prima Januarii anni ſequentis, & uſque ad annum 317. Pontificatum tenuiſſe ſcimus. Hic Innocentii filius, & Albanenſis dicitur, cujus res geſtas ſequentibus annis narrabimus.

JE-

JESU CHRISTI AN. 402. INNOCENTII PAPÆ 2.
ARCADII IMP. 20. ET 8. HONORII IMP. 10. ET 8.
THEODOSII JUNIORIS 1.
COSS. ARCADIO AUG. V. ET HONORIO AUG. V.

Theodoſius junior Auguſtus noncupatur.

1. Quem ex Eudoxia filium anno proximo habuerat Arcadius, labenti vagientem adhuc in cunis ad Imperium evexit die decima Januarii, *Arcadio V. & Honorio V. Coſſ. Theodoſius junior Conſtantinopoli ad Hebdomum in tribunali ab Arcadio Patre, menſe Audineo IV. idibus Januariis creatus eſt Auguſtus*, ait Auctor chronici Alexandrini, cui Marcellinus in Chronico, & Sozomenus ceterique ſcriptores conſentiunt.

Socrat. lib. 8. 4.

Theophylus Epiphanium ſibi conciliat.

2. Cum implacabili adverſus Chryſoſtomum odio arderet Theophylus, eo quod Monachos Longos a ſe ejectos excepiſſet, ad Epiſcopos plurimos litteras dedit, Origenis libros damnans, ac Chryſoſtomum tanquam Origeniſtam traducens. *Cumque conſideraret*, ait Sozomenus, *magno ſibi emolumento fore, ſi Epiphanium Salaminis in Cypro Epiſcopum participem & conſortem conſiliorum ſuorum haberet, virum ob virtutis reverentiam omnium ſui temporis clariſſimum, eum ſibi amicum adjunxit, licet antea eum reprehendiſſet, quod Deum humana ſpecie præditum opinaretur. Tum vero, quaſi reſipiſcens veram tandem ſententiam agnoviſſet, idem ſe cum illo ſentire ſcripſit; & Origenis libros, tanquam hujuſmodi dogmatum auctoris, calumniari inſtituit*. Epiphanius vero, qui Origenis libros jampridem averſabatur, Theophili litteris facile aſſenſum præbuit, collectoque Cypriorum Epiſcoporum Concilio, Origenis libros legi prohibuit. Datis deinde litteris, tum ad alios, cum ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, eum hortatus eſt, ut Synodum convocaret, qua Origenem condemnaret: *Verum Joannes ſtudium illorum haud magni ponderis eſſe exiſtimavit, & Epiphanii, ac Theophyli litteras neglexit*, ſubdit Sozomenus.

Sozom. lib. 8. 14.

Epiphanius CPolim pergit Chryſoſtomi communionem vitat.

Cum itaque totus in eo eſſet Theophylus, ut Chriſoſtomum ſua ſede exturbaret, Epiphanium quoque, qui fidei cauſa facile commovebatur, in ſuam traxit ſententiam, ac Ægypti Epiſcopis CPolim navigare juſſis, ipſe terreſtre iter eo arripuit; Epiphanio deinde, & aliis per Orientem Epiſcopis ſcripſit, ut quamprimum CPolim in unum convenirent; Epiphanius vero

Socrat. lib. 6. 14.
Sozom. lib. 8. 14.

JESU CHR. AN. 402. vero *Theophyli conſiliis* CPolim advenit, *adferens una ſecum exemplum ſynodalis ſententiæ, qua non ipſum quidem Originem, ſed libros ab illo conſcriptos condemnaverat. Qui cum ad Baſilicam Sancti Joannis appuliſſet, quæ ſeptem paſſuum millibus ab Urbe diſtat, nave egreſſus, collectam ibi celebravit: & ordinato Diacono, poſthac civitatem ingreſſus eſt. Et Joannem quidem, a quo invitabatur, refugit, ut gratificaretur Theophylo: in privato autem quodam domicilio diverſatus eſt.* Collectiſque quotquot in urbe Regia aderant Epiſcopis, damnationis ſententiam contra libros Origenis a ſe jam antea prolatam ipſis recitavit: quorum aliqui ob reverentiam Epiphanii, decreto oblato ſubſcripſerunt; alii vero id facere recuſarunt. Ex quorum numero fuit etiam Theotimus Epiſcopus Scythiæ, qui Epiphanio ita reſpondit: Ego, Epiphani, neque eum, qui jampridem pie defunctus eſt, contumelia afficere volo, neque impium facinus aggredi audeo, ut ea condemnem, quæ Majores noſtri minime repudiarunt, *præſertim cum ſciam nihil malæ doctrinæ* in libris Origenis reperiri, *& librum Origenis proferens cum recitaſſet aliqua, expoſitiones in eo eccleſiaſticas contineri demonſtravit*, ſubdit Socrates, qui capite ſequenti de iis, qui adverſus Origenis libros ſcripſerant, plura addit; eoſdemque arguit, eo quod, cum per ſe ipſos inclareſcere non poſſent, *ex potiorum vituperatione famam aucupari* conati ſunt, ac magnis inclareſcere inimicitiis. Inter eos Methodium Lyciæ Epiſcopum primo numerat, deinde Euſthatium Antiochenum, & Apollinarium, poſtremo Theophylum.

*Socrat. lib. 6. 13.*

Cetera Epiphanii geſta CPoli. *Socrat. lib. 6. 14. Sozom. lib. 8. 14.*

4. Sed ad Epiphanium, ejuſque geſta CPoli adverſus Chryſoſtomum redimus. *Joannes quidem*, ſubdit Socrates, *cum Epiphanius contra eccleſiaſticam regulam in ipſius Eccleſia ordinationem feciſſet, nequaquam ſuccenſuit: immo eum hortatus eſt, ut in Epiſcopali domo ſecum manere vellet.* Verum ille, nec manſurum ſe cum eo, nec precaturum eſſe dixit, niſi Dioſcorum, fratreſque ejus e civitate expuliſſet, & ipſe condemnationi librorum Origenis manu propria ſubſcripſiſſet. Cum Joannes id facere differret, nihilque temere agendum eſſe diceret ante generalis Concilii definitionem, Joannis inimici aliud conſilium ſuggeſſerunt Epiphanio. Nam cum celebranda eſſet collecta in Eccleſia Apoſtolorum, Epiphanium in medium prodire fecerunt, ut coram univerſo populo, primum quidem Origenis libros condemnaret, deinde vero Dioſcorum cum ſuis excom-

Digitized by Google

*Jesu Chr. an. 402.*

communicaret, & Joannem utpote illis faventem ſimul perſtringeret. Cumque hæc Chryſoſtomo nunciata eſſent, injuriæ ſibi illatæ immemor, hæc tantum Epiphanio denunciavit, contra Eccleſiæ regulas egiſſe, dum ordinationem fecerat, & collectam ſolemni ritu, ſe inſcio, celebraverat; admonuitque, ut caveret, ne tumultu in populo excitato, funeſti quidquam ſibi pararet. Quibus auditis territus Epiphanius, ex Eccleſia abſcedit, & Joannem graviter inſimulans, in Cyprum rediit, ait Socrates, eademque Sozomenus, in quorum narratione etſi multa reprehendat Baronius, eoſque uti Novatianos, ac Origeniſtas, quin & falſarios, & impoſtores coarguat, vera tamen narraſſe adnotat Valeſius, & Pagius.

*Bar. 402. n. 18. alibique paſſim.*

5. Nec prætereundæ ſunt incertæ prædictiones, quas ſibi invicem Chryſoſtomum, & Epiphanium feciſſe narrant Socrates, & Sozomenus; incerto tamen rumore hæc in vulgus prodiiſſe adnotat Socrates: Epiphanium ſcilicet cum jam navem conſenſurus eſſet, Joanni denunciaſſe: Spero te non moriturum Epiſcopum. Joannem viciſſim illi reſpondiſſe: Spero te non eſſe perventurum in patriam, quod quidem utrique contigit. Nam neque Epiphanius appulit Cyprum, mortuus enim eſt in navigio, & Joannes haud multo poſt, ex Epiſcopali ſede dejectus eſt. Sed de Chryſoſtomi damnatione anno ſequenti; nunc reliqua, quæ Epiphanium ſpectant, proſequimur, quem cum Eudoxia quoque Imperatrice, & cum Ammonio, Fratribuſque Longis CPoli ſimultates Origeniſmi cauſa habuiſſe narrat Sozomenus, quæ longum eſſet exſcribere.

*Chryſoſtomi, & Epiphanii incertæ prædictiones.*
*Socrat. lib. 6. 14.*
*Sozom. lib. 8. 15.*
*Sozom. lib. 8. 15.*

6. Hoc autem deſinente anno, vel ſequentis initio Epiphanius, antequam Cyprum perveniret, in navi defunctus eſt, quem Hieronymus anno 404., ad Theophilum ſcribens, poſt Chryſoſtomi exauctorationem, & exilium, jam obiiſſe dixerat. *Nos Joannem*, inquit, *qui dudum CPolitanam rexit eccleſiam, Deo placere ſemper optavimus, & cauſas perditionis ejus, in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere voluimus. Sed ille, ut cetera ejus flagitia taceam, Origeniſtas in ſuam familiaritatem recipiens, & ex his plurimos in Sacerdotium promovens, atque ob hoc ſcelus beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter Epiſcopos clarum in Orbe ſidus effulſit, non parvo mærore contriſtans, meruit audire: Cecidit, cecidit Babylon.* Hæc Hieronymus Chryſoſtomo inſultans. Interea inſtantem tempeſtatem prædixit Epiphanius, ut vitæ ejus au-

*Epiphanii obitus, & elogium, ejuſque ſcripta.*
*Hier. epiſt. 113.*



Digitized by Google

auctor narrat. *Ipſe autem in infima parte navis, expanſis manibus, & ejus pectori impoſita erant Evangelia, & erant aperti ejus oculi, & vox ejus non audiebatur. Manſit autem illa tempeſtas duos dies, & duas noctes*: tertio tandem die dixit Epiphanius: *Orate filii, & fecit orationem, itaut recumbebat, & poſt orationem nos complexus eſt, dicens, ſalvi eſtote filii, Epiphanius enim non vos amplius videbit in hac vita, & ſtatim tradidit ſpiritum, ſtatimque ceſſavit tempeſtas maris*. Epiphanii vitam, quam Metaphraſtes recitat, erroribus ſcatere merito lectores monuit Baronius, quem non ſolum vitæ converſatio illuſtrem reddidit, ſed etiam miracula, *quæ Deus honore illum afficere volens, ipſo adhuc ſuperſtite, & poſt obitum ejus edidit*, ait Sozomenus, quorum aliqua ibidem recenſet; plura etiam addit vitæ ejuſdem auctor, quæ utpote incerta præterimus, cumque & ſanctitate & doctrina in Eccleſia refulſerit, poſt mortem etiam memoria ejuſdem perſeverat apud Græcos, & Latinos, cujus nomen in Mœneis, & Martyrologio Rom. die 12. Maji recenſetur; at ea dies ad ejuſdem translationem magis ſpectat, quam ad obitum, ut obſervat Pagius. Inter Epiphanii opera illuſtriora ſunt Panarium, & ejuſdem epitomen, cujus meminit Auguſtinus in ſuo de hæreſibus libro ad *Quoad vult Deum*, & Ancoratum, de quibus hoc judicium Photius tulit: *Genus dicendi humile, & cujuſmodi eſſe ſolet, qui atticæ doctrinæ rudis extiterit. Sed & in confutandis hæreſibus plerumque nervos non habet. Quamquam interdum præſtantiſſimis illas rationibus, ac ſententiis aggreditur*. De aliis Epiphanii operibus ſive extantibus, aut deperditis, vel adſcriptis plura apud Petavium Epiphanii editorem videri poſſunt, vel apud Dupinium, Caveum, Odinum. Opuſcula noſtris diebus Romæ in lucem edidit clariſſimus, mihique cariſſimus Petrus Fogginius Vaticanæ bibliothecæ alter cuſtos, quorum primum de duodecim gemmis inſcribitur, alterum commentarium in Cantica Canticorum, quod in latinum converti curaverat doctiſſimus Caſſiodorus, per Epiphanium Scholaſticum, ac Epiphanio Salaminæ in Cypro Epiſcopo adſcribendum eſſe pluribus in præfatione ſua eruditiſſimus editor demonſtrat.

7. Frequentiſſimas in Africa ſynodos hac ætate fuiſſe celebratas jam ſupra obſervavimus. Hoc anno Milevitanum in Numidia concilium celebratum eſt, quo canones ſex, aut, ut alii numerant, ſeptem conditi ſunt, cujus in præfatione hæc habentur:

*Vita Epiph. cap. 65. Petavius oper. Epiphan. tom. 2. Bolland. die 12. maji.*

*Bar. an. 402. 2.*

*Sozom. lib. 7. 27.*

*Pag. n. 7. ad an. 402.*

*Phot. Bibliot. n. 124.*

*Caſſiod. inſtit. divin. litt. cap. 5.*

*Petrus Fogginius praef. in comment. Epiphanii in Cant. Cantic.*

tur: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Auguſtis V. conſulibus, ſexto Kal. ſeptemb. in civitate Milevitana, in ſecretario Baſilicæ, cum Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis in concilio univerſali conſediſſet, adſtantibus diaconis, Aurelius Epiſcopus dixit: Quoniam eccleſiæ ſanctæ unum eſt corpus, omniumque membrorum caput eſt unum, factum eſt volente Deo, & noſtram infirmitatem juvante, ut ad hanc eccleſiam venerimus, dilectionis & fraternitatis gratia invitati. Unde quæſo caritatem veſtram, quia ita credendum eſt, quod noſter acceſſus ad vos, nec ſuperfluus, nec inſuavis eſt cunctis, ut conſenſus omnium noſtrum manifeſtetur concordare cum placitis decretorum, quæ jamdudum vel Hipponenſi ſynodò firmata ſunt, vel poſtmodum meliore concilio*, ideſt numeroſiore, *apud Carthaginem definita, nunc quoque nobis ex ordine recitentur*; lectis itaque decretis Hipponenſis, & Carthaginenſis concilii, ceteri ſubſcriptione ſua firmarunt, inter eos *Xantippus Epiſcopus primæ ſedis Numidiæ, & Nicetius Epiſcopus primæ ſedis Mauritaniæ Sitifenſis*. Poſt præfationem, qua de confirmandis & ſubſcribendis canonibus Hipponenſibus & Carthaginenſibus actum eſt, canones aliquot vulgati ſunt.

8. Primo autem hujuſce concilii canone de Epiſcoporum ordine ſervando agitur, ut *qui poſterius ordinati ſunt, prioribus ſe non audeant anteferre*, eoque antiqua Eccleſiæ Africanæ diſciplina confirmatur, qua in unaquaque provincia is Epiſcopus Primatus honore gaudebat, qui ordinatione antiquior erat; nulla ad urbis dignitatem, aut Metropolis civilis, ratione habita, unde fiebat, ut vagus, & mobilis eſſet, atque in viliſſimis quandoque oppidis Provinciæ Primas reſideret, cum ceteris ordinatione antiquior erat, ut teſtis eſt S. Gregorius Magnus ad Gennadium ſcribens: *Ipſe vero Primas*, ait, *non paſſim, ſicut moris eſt per villas, ſed in una juxta eorum electionem civitate reſideat &c.* Hæc tamen diſciplina, quæ in Africanis provinciis communis erat, in Numidia, & Mauritania fortaſſe non ſervabatur, nam Milevitani Patres poſtquam ſtatuerunt, *ut unuſquiſque ordinem ſibi decretum a Deo cognoſcat, & poſteriores anterioribus deferant*, eodem canone paulo poſt ſubdunt: *Hic ordo a patribus, & a majoribus ſervatus eſt, & a nobis, Deo propitio, ſervabitur, ſalvo etiam jure Primatus Numidiæ, & Mauritaniæ*, quæ poſteriora verba exceptionem quamdam indicant circa Primatum Numidiæ,

Milevitani concilii canones.
*Hard. ut ſup. p. 910.*

*Greg. lib. 1. epiſt. 74.*

JESU CHR. AN. 402.

& Mauritaniæ, quam exceptionem ſequentia etiam confirmant: *Deinde placuit omnibus Epiſcopis, qui in hoc concilio ſubſcripſerunt, ut matricula & archivus Numidiæ, & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, ideſt Conſtantina*, quibus verbis patet Conſtantinam, ſeu Cirtam, quæ civilis Metropolis Mauritaniæ erat, Metropolim quoque in rebus eccleſiaſticis fuiſſe ex antiqua conſuetudine, ut Maurini editores in vita Auguſtini ex Milevitano canone adnotarunt. Pagius tamen, poſt Noriſium, eamdem in Numidia, & Mauritania, ac in ceteris Africæ provinciis, diſciplinam viguiſſe tradit, ut nullius ſedis ratio haberetur, ſed tantum ordinationis tempus: priori opinioni utpote Milevitano canoni, ut nobis videtur, magis conſonæ libentius ſubſcribimus.

*Auguſt. vita lib. 5. 9. Pag. n. 25. ad an. 402. Noris hiſt Pelag. lib. 2. 8.*

Numidia in duas provincias eccleſiaſticas diviſa.

9. Adnotare etiam juvabit, Numidiam, cujus metropolis Cirta, ſeu Conſtantina erat, in duas eccleſiaſticas provincias diviſam hoc tempore fuiſſe; utraque vero provincia ſuum habebat Primatem. De duabus Numidiæ provinciis mentio fit in præfatione ſexti concilii Carthaginenſis, his verbis: *Præſentibus legatis diverſarum Africanarum; ideſt Numidiarum duarum &c.* Unde adnotante Pagio, immerito viri docti eam Numidiæ diviſionem negarunt, quam doctiſſimus Noriſius multis argumentis confirmat: Auguſtinus etiam inter Numidiæ Primates litem fuiſſe teſtatur in epiſtola anno præterito ad Victorinum ſcripta, qua de cauſa cum ad ſynodum a Victorino per tractorias epiſtolas invitatus fuiſſet, inter cetera, quæ refert, litem inter ipſum, & Xantippum tunc de Primatu vigentem commemorat; unde incertum apud Epiſcopos erat, cui id officii eſſet, Epiſcopos ſcilicet ad ſynodum convocandi. Rem clarius Auguſtini epiſtola, his verbis concepta, demonſtrabit: *Tractoria ad me quinto idus novembris venit, jam finito die, & me valde indiſpoſitum invenit, ut occurrere omnino non poſſem. Verumtamen ſive imperitiam meam moverit, ſive juſte motus ſim, tuæ ſanctitatis & gravitatis eſt arbitrari. Legi in eadem tractoria etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quas provincias ſcimus ſuos habere Primates. Quod ſi & ex eis ad Numidiam convocandum eſſet concilium, oportuit utique ut aliquorum Maurorum epiſcoporum, qui illic priores ſunt, nomina in tractoria ponerentur: quod in iſta tractoria non reperiens, multum miratus ſum. Deinde ad ipſos Numidas ita perturbato & neglecto ordine ſcriptum, ut nomen meum ter-*

*Hard. tom. 1. p. 1241. Pag. n. 23. ad an. 432. Schelſt. diſſert. 4. de eccl. Afric. cap. 3. & 4. diſſert. 3. cap. 10.*

*Biſnag. an. 402. 14.* De Victorini, & Xantippi lite ob Primat. *epiſt.*

*tertio loco invenerim, qui novi quam poſt multos epiſcopos factus ſim. Quæ res & aliis injurioſa eſt ſatis, & mihi invidioſa. Præterea venerabilis frater & collega noſter Xantippus Tagoſenſis dicit, quod eum primatus ipſe contingat, & erga plurimos ſic habetur, & tales mittit epiſtolas. Qui etiam error, ſi facile inter veſtram ſanctitatem cognoſci & corrigi poteſt, non debuit tamen in tractoria, quam miſit venerabilitas tua, nomen ejus prætermitti. Quod ſi in mediis locis conſcriberetur, & non in primo poneretur, multum mirarer: quanto magis mirandum eſt, quod nulla ibi ejus admemoratio facta eſt, qui maxime ad concilium venire debuit, ut de ipſo Primatus ordine, coram omnium Numidarum epiſcopis eccleſiarum primitus ageretur? His de cauſis etiam venire dubitarem, ne forte falſa eſſet tractoria, qua tanta perverſitas appareret: quamquam & anguſtia temporis & aliæ graves neceſſitates me multipliciter impedirent. Unde peto beatitudinem tuam, ut mihi ignoſcas, & primo inſtare digneris, ut inter tuam ſanctimoniam & ſenem Xantippum concorditer conſtet, quis veſtrum debeat convocare concilium, aut certe, quod ſalubrius arbitror, ſine cujuſquam præjudicio ambo convocate collegas noſtros, eos maxime qui vobis epiſcopatus ætate vicini ſunt, qui facile quis veſtrum verum dicat agnoſcunt, ut inter vos paucos eadem præ ceteris quæſtio dirimatur, & errore ſublato, minores a ceteris convocentur, qui nec poſſunt, nec debent, niſi vobis in hac re tamquam prioribus credere, & nunc ignorant cui veſtrum potiſſimum credant. Hanc epiſtolam ſignatam miſi anulo, qui exprimit faciem hominis adtendentis in latus.* Hactenus Auguſtini epiſtola de lite inter Victorinum, & Xantippum Numidiæ Epiſcopos, quæ ad Milevitanam ſynodum delata, Xantippo cauſam adjudicaſſe creditur, edito in eam rem canone primo, quo cautum eſt, ut in unaquaque provincia, Anterior Epiſcopus ceteris antiſtaret, *ſalvo tamen jure Primatus Numidiæ, & Mauritaniæ*, cujus occaſione hac de Eccleſiæ Africanæ diſciplina adnotavimus; nunc reliquos ejuſdem ſynodi canones explicare pergimus.

De aliis canonibus Milevitani concilii. Hard. ut ſup. p. 910.

10. Canone altero ſub numero 87. in Codice canonum Eccleſiæ Africanæ hæc habentur: *De Quoadvultdeo Centurienſi Epiſcopo, quomodo adverſarius ipſius, cum ſe petiiſſet introduci ad concilium noſtrum, interrogatus, utrum cum eo vellet apud Epiſcopos experiri, primo promiſerat, & alio die reſpondit hoc*

 *ſibi*

JESU CHR. AN. 402. *ſibi non placere, atque diſceſſit*; quo crimine accuſaretur Quoadvultdeus ignoratur, hinc accuſatore judicium deferente, *placuit omnibus, ut nullus eidem Quoadvultdeo communicet, donec cauſa ejus, qualem potuerit, terminum accipiat*; Epiſcopatus tamen eidem non adimitur, ſed ſuæ eccleſiæ communione contentus erit. Canon alter numero 88. Maximianum Vaginenſem Epiſcopum ſpectat; is, relicto Donatiſtarum ſchiſmate, ad catholicam Eccleſiam tranſierat, atque Epiſcopus Vaginenſis deinde creatus fuerat; qui cum populo inviſus eſſet; ut ſe Epiſcopatu abdicaret ſynodus juſſit, & populum Vaginenſem ut alium Epiſcopum eligeret hortata eſt: *De Maximiano Bagajenſi, & ad eum, & ad ipſam plebem placuit de concilio litteras dari, ut & ipſe ab Epiſcopatu diſcedat, & illi ſibi alium requirant*, quod & factum eſt, ut Auguſtini, & Alipii epiſtola teſtatur, qua Maximianum, æque ac ejus fratrem germanum Caſtorium, qui in fratris locum ſubrogatus fuerat, multo elogio exornat, eo quod unitatis ſervandæ cauſa ſponte ſe Epiſcopatu abdicaverit, in cujus locum ejus frater Caſtorius ſubrogatus fuerat. Unde poſt plurima Auguſtinus ad fratrem ejus Caſtorium: *Obſecramus*, inquit, *te per Chriſti divinitatem & humanitatem, per pacem cæleſtis illius civitatis, unde peregrinantes labore temporali æternam requiem comparamus, ut in Epiſcopatu Vaginenſis Eccleſiæ fratri tuo, non ignominioſe cadenti, ſed glorioſe cedenti ſuccedas. Plebs illa, cui per tuam mentem ac linguam donis Dei fecundatam & ornatam uberrima incrementa ſperamus, in te intelligat fratrem tuum non pro ſua deſidia, ſed pro ejus pace feciſſe quod fecit*. Canon inſequens numero 89. hæc habet: *Quicumque deinceps ab Epiſcopis ordinantur per provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus ſuis manu eorum conſcriptas, continentes conſulem, & diem, ut nulla altercatio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur*; ex die etenim, & conſule, & annus, & dies ordinationis Epiſcoporum conſtabat, qua ratione lites de primatu extinguebantur. Tandem canone altero ſtatutum eſt, ut *qui vel ſemel in eccleſia legerit, ab alia eccleſia ad clericatum non teneatur*, cum ad eam pertineret, in qua lectoris officio functus fuerat. His decretis Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, tum ceteri, quorum numerus ignoratur, ſubſcripſerunt.

Maximianus Epiſcopatu bono pacis renunciat.

*Auguſt. epiſt. 69. ad Caſtorium.*

Clerici in ſua tantum eccleſia ſuſcipiant ordines.

11. Milevitani concilii canoni ultimo, quo prohibetur, ne

ne Lector extra eccleſiam ſuam ordinetur, cauſam dedit ordinatio Timothei cujuſdam, lectoris eccleſiæ Milevitanæ, qui ſubdiaconus apud Subſannam in Hipponenſi Diœceſi ordinatus fuerat; unde Severus Milevitanus anno præterito cum Auguſtino conqueſtus eſt; in quam rem extant Auguſtini epiſtolæ 62. & 63. Ad Milevitanum quoque concilium ſpectant Auguſtini verba in epiſtola ad Xantippum Numidiæ Primatem, qua ipſum de exauctoratione Abundantii presbyteri admonet; cujus cauſam *audivi*, inquit, *cum centum dies eſſent ad Dominicum Paſchæ, qui futurus eſt octavo idus Aprilis*; id eſt die ſexta Aprilis, qua labenti anno Paſchatis feſtum incidit. Abundatii itaque presbyteri cauſam audierat ultimis anni elapſi diebus: *Hoc propter concilium*, Milevitanum ſcilicet hujus anni, *inſinuare curavi venerabilitati tuæ*, ſubdit Auguſtinus, quod etiam *ipſi*, presbytero, *non celavi, ſed ei fideliter quod inſtitutum eſſet aperui*, in concilio Carthaginenſi anni elapſi, *ut ſi intra annum cauſam ſuam, ſi forte ſibi aliquid agendum putat, agere neglexerit, deinceps ejus vocem nemo audiat*. Quæ cauſa fuerit, cur presbyterum Auguſtinus exauctoraverit, paulo ante ſubdiderat: *Primo comperi*, inquit, *eum pecuniam cujuſdam ruſticani, divino apud ſe commendato, intervertiſſe, ita ut nullam inde poſſet probabilem reddere rationem. Deinde convictus atque confeſſus eſt, die jejunii Natalis Domini, quo etiam Gippitana eccleſia ſicut ceteræ jejunabant, cum tanquam perrecturus ad Eccleſiam ſuam valefeciſſet collegæ ſuo presbytero Gippitano, hora ferme quinta, & cum ſecum nullum clericum haberet, in eodem fundo reſtitiſſe, & apud quamdam malæ famæ mulierem & prandiſſe, & cænaſſe, & in una domo manſiſſe. In hujus autem hoſpitio jam quidam clericus noſter Hipponenſis remotus erat; & hoc quia iſte optime noverat, negare non potuit. Nam quæ negavit, Deo dimiſi, judicans quæ occultare paſſus non eſt; hæc autem me præcipue prudentiæ tuæ intimare oportebat, ne aliqua tibi fallacia ſubreperet*; ſi forte ad Milevitanum concilium veniens, cauſam ſuam dicturus Abundantius, delicta negaret, aut alio modo Milevitanos Patres fallens, honoris ſui reſtitutionem obtineret: quod ne fieret enixe rogat Auguſtinus addens: *Ego certe presbyterum, qui & die jejunii, quo ejuſdem loci etiam eccleſia jejunabat, valefaciens collegæ ſuo ejuſdem loci presbytero, apud famoſam mulierem, nullum ſecum clericum habens, remanere & prandere*

Jesu Chr. An. 402.

Auguſt. epiſt. 65.

Auguſt. epiſt. 65.

rias Sanctorum imagines, multorumque Martyrum hiſtorias, quas ibidem exprimendas curaverat, ut ibidem videre eſt. Jesu Chr. an. 402. *Carm. 360 ad finem.*

14. Anno proximo deſinente cum Anaſtaſio Papæ ſucceſſiſſet Innocentius; Anyſio Theſſalonicenſi Epiſcopo, Romanæ ſedis in Illyrico vices gerenti, litteras hoc labente anno dedit, quibus de ſua ordinatione certiorem reddidit, ac vicariam poteſtatem a Damaſo Syricio, & Anaſtaſio anteceſſoribus ſuis collatam confirmat. *Cum Deus noſter Chriſtus*, inquit, *Sanctæ memoriæ virum Anaſtaſium Epiſcopum, licet celeriter ad ſe vocare dignatus ſit..... Ne ejus eccleſia aliquantulum ſine rectoris gubernaculo remaneret, ſtatim pro ſua miſericordia, conſentientibus ſanctis Sacerdotibus, omnique clero ac populo cum pace, quam Deus Eccleſiæ ſuæ rediens ad Cælum donare dignatus eſt, ordinatum me in ejus locum frater cariſſime par fuit te cognoſcere, primitiaſque meas nonniſi viro optimo, atque in Deo ſemper fideliter laboranti celeriter nunciare. Cui etiam anteriores tanti ac tales viri preceſſores mei Epiſcopi, ideſt Sanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupramemoratus vir ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur Sanctitati tuæ, quæ plena juſtitiæ eſt, traderent cognoſcenda: meum quoque parvitatem hoc tenere judicium, eamdemque habere voluntatem te decet recognoſcere*; quare poſt aliqua in Aniſii laudem: *Præ me itaque fero, ut hoc ipſum etiam meæ parvitati reſervatum recognoſcam, ut pari judicio, ſimilique forma, & bonis adæque & tuæ caritati id tribuam, quod mereris &c.*

Innocentii Papæ epiſtola ad Aniſium Theſſalonicenſem Epiſc. *Apud Coutan. pag. 739.*

JESU CHRISTI an. 403. Innocentii Papæ 3. Arcadii Imp. 21. et 9. Honorii Imp. 11. et 9. Coss. Theodosio juniore aug. et Fl. Rumorido

1. Sub Theodoſio Magno in bello contra Eugenium ſuſcepto militaverat Alaricus, atque ad Imperii Romani perniciem eo tempore tyrocinium geſſerat, variis deinde bellicis expeditionibus in Illyrico, & Græcia pro Romanis pugnans, maximam ſibi gloriam comparaverat. Hoc anno adverſus Romanos arma convertens, Italiam etiam invadere tentavit. De Alarici genere, Regno, & prima in Italiam irruptione audiatur Jornandes: *Mox Gothis faſtidium eorum increvit, verenteſque ne longa pace eorum reſolveretur fortitudo, cum in Illyrico otioſi tenerent-*

Alarici Regis Gothorum irruptio in Italiam. *Jord. de rebus Gotic. cap. 29.*

Jesu Chr. An. 403.

*rentur; ordinant ſuper ſe Regem Alaricum, qui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas, Balthaſumque ex genere origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis, Baltha, ideſt audax, nomen inter ſuos acceperat. Mox ut ergo ferus Alaricus creatus eſt Rex, cum ſuis deliberans, ſuaſit ſuo labore quærere regna, quam alienis per otium ſubjacere, & ſumpto exercitu per Pannonicas, Stilicone, & Aureliano Coſſ., & per Sirmium dextro latere, quaſi viris vacuam, intravit Italiam; nullo penitus obſiſtente, & ad pontem applicuit Condiniani, qui tertio milliario ab urbe erat Regia Ravvennate.* Hæc de geſtis ab Alarico anno 400. coſſ. Stilicone, & Aureliano, eademque Proſper, & Caſſiodorus in chronico ſub iiſdem conſulibus narrant. Alarici patriam nos docuit Claudianus in Panegiirico de ſexto Honorii conſulatu verſ. 105.

*Alaricus barbara Peuce nutrierat.*

*Plin. lib. 2. cap. 12.*
*Claud. de 4. Honorii conſ.*
*Oroſ. lib. 7. 37.*
*Auguſt. de civit. Dei lib. 1. cap. 1. 7. & alibi.*
*Jorn. de rebus Geth. cap. 29.*
*Claud. de bello Getico Prud. in Symmach.*

Eſt autem Peuce Iſtri inſula ad oras Danubii, Plinio non ignota, qui ait: *Primum oſtium Peuces, mox ipſa Peuce Inſula.* Eum religione ethnicum fuiſſe Claudianus falſo ſcripſit, cum ex Oroſio, & Auguſtino ſciamus ipſum religione quidem chriſtianum, ſed Ariana labe infectum fuiſſe. Quis fuerit exitus hujuſce in Italiam expeditionis anno 400, ab Alarico ſuſceptæ, vix conſtat; ſcimus tamen ipſum ultra Aquilejam eo tempore vix prorupiſſe, nec facile credimus Ravennam uſque perveniſſe, ut narrat Jordanus, ſive Jornandes. Alaricus tamen etſi ſua ſpe tunc fruſtratus eſſet, animum nihilominus non deſpondit, quin urbem quoque invadere cogitabat, ad quam occupandam, & vaſtandam divinitus quodam modo ſe impelli ſentiebat, quod longo tempore, antequam eveniret, amicis ſuis teſtari ſolebat.

Muri urbis inſtaurantur.

2. Cum tale, tantumque periculum Italiæ, & urbi inſtaret, Honorius urbis mœnia inſtauranda curavit, de quibus hæc Claudianus:

> *Addebant pulchrum nova mœnia vultum,*
> *Audito perfecta recens rumore Getarum.*
> *Perfecitque opifex decori timor; & vice mira*
> *Quam pax intulerat, bello diſcuſſa ſenectus.*
> *Erexit ſubitas turres, cinctoſque coegit*
> *Septem continuo montes juveneſcere muro.*

Ex-

Extat de ejuſmodi erectione murorum vetus inſcriptio ſuper Portuenſem portam Tranſtiberim, quæ ſic habet: Jesu Chr. an. 403.

*S. P. Q. R.*

*Impp. Cæſſ. DD. NN. inviƈtiſſimis. Principibus. Arcadio. &. Honorio. Victoribus; &. Triumphatoribus. ſemper. Augg. Ob. inſtauratos. Urbi. æternæ. muros. portas. ac. Turres. egeſtis. immenſis. Ruderibus. ex. ſuggeſtione. V. C. &. inluſtris. Militis. &. magiſtri. utriuſq. militiæ. Stilichonis. ad. perpetuitatem. nominis. eorum. ſimulacra. conſtituit. curante. Flav. Macrobio. Longiniano. V. C. Præf. Urbis.*

*D. N. M. Q. Eorum*

Ad hanc Italiæ, urbiſque trepidationem, novamque murorum urbis conſtructionem alludit Paulinus in carmine octavo de Natali Felicis, anno 401. edito, his verſibus:

Paul. in laudem S. Felicis. carm. 8. pag. 610.

*Nunc igitur, quamvis varias vaga fama per oras*
*Terrificis pavidas feriat rumoribus aures,*
*Hunc* ( diem ) *ego ſi Geticis agerem male ſubditus armis*
*Inter & immites celebrarem lætus Alanos &c.*

Poſt plurima:

*Ergo Deum mitem ſævo timeamus in hoſte,*
*Abſit ut hoſte metus, quem formidare meremur,*
*Non metuendo Deum, placida quem pace remiſſi*
*Negligimus, ſaltem vi compellente tremamus.*

Et poſt aliqua de fiducia in Deo magis, quam in murorum extructione habenda, ſubdit:

*Fidant legionibus illi,*
*Perfugioque parent reparatis mœnia muris*
*Nulla ſalutiferi quibus eſt fiducia Chriſti:*
*Nos Crucis inviƈtæ ſignum, & confeſſio munit,*
*Ipſe intra muros turris tibi, qui ſine muris*
*Murus erit &c.*

 quod

JESU CHR. AN. 403.

Quod pluribus ex hiſtoria ſacra recenſitis exemplis confirmat, unde ad S. Felicem:

*Sancte Deo dilecte, Dei tu dextera, Felix*
*Eſto, precor, nobis tu munitiſſima turris*
*Dum Romana ſuum capiat victoria finem &c.*

Alaricus Italiam invadit, in agro Pollentino a Stilicone fugatur.

3. Murorum Urbis inſtaurationem fruſtra non fuiſſe ſuſceptam, exitus comprobavit, nam paulò poſt Alaricus reſumtis viribus, novoque ſtipatus exercitu, Italiam iterum ingreſſus, eam fere totam vaſtando excurrit, ut pugnæ cum eo habitæ Pollentiæ, & Aſtæ in Liguria pedemontana, & Veronæ teſtantur. Quo anno pugnatum ſit, an ſcilicet anno elapſo 402. vel labenti 403. non ſatis conſtat; Proſper, & Caſſiodorus ad annum elapſum: *Arcadio & Honorio V. Coſſ. adverſus Gothos vehementer utriuſque partis clade Pollentiæ pugnatum eſt.* Pollentinam itaque victoriam cum anno 402. alligant, & cum iis Pagius, & Muratorius, aliique. At labenti anno 403. ad Pollentiam pugnatum eſſe narrant alii ſcriptores eruditione non ignobiles, quod & Claudiani auctoritate confirmant, dum ait Alaricum a Romanis apud Pollentiam victum fuiſſe triginta poſt annos, ex quo Iſtrum trajecerat, atque Gothum Alarico ſic loquentem inducit:

*Pag. n. 7. ad an. 403. Murat. An. 402. Baronius. Petavius Tillemontius. Baſnagius.*

*Si numero non fallor, ait triceſima currit*
*Bruma fere, rapidum poſtquam tranſnavimus Iſtrum,*
*Romanamque manum tantis eluſimus annis.*

*Claud. de bello Goth. lib. 4.*

Ne vero vox *fere*, ſcrupulum alicui faceret, paulo poſt addit.

*Unque die Romana rependit*
*Quidquid ter denis acies amiſimus annis.*

*Prudent. contra Symm. lib. 2.*

Prudentius etiam contra Symmachum ſcribens, trigeſimo anno, ex quo in Romanum ſolum irruperant Gothi, eoſdem apud Pollentiam debellatos fuiſſe cecinit, his verſibus:

*Illic ter denis gens exitiabilis annis*
*Pannoniæ pœnas tandem deleta rependit.*

cum-

Digitized by Google

Cumque teſte Marcellino, gens Gothica in Romanum ſolum irruperit, ſub conſulatu Valentiniani, & Valentis Aug. IV, anno ſcilicet 373. trigeſimus annus ab eorum irruptione, cum labenti 403. concurrit: quidquid tamen ſit de anno aut elapſo, aut proximo, id certum eſt, apud Pollentiam, & Aſtam Pedemontanæ regionis urbes, deinde apud Veronam, cum maxima Gothorum ſtrage pugnatum fuiſſe. Pollentinæ victoriæ præ ceteris meminit Claudianus his verſibus: Jesu Chr. an. 403. *Amm. Marcell. lib. 30. 2.*

*O Celebranda mihi cunctis Pollentia ſeclis,*
*O meritum nomen, felicibus apta triumphis,*
*Virtutis fatale ſolum, memorabile buſtum Barbariæ!* *Claud. de bello Got. ut ſup.*

Pollentiæ vix veſtigia, quin etiam vix nomen in Caſtello, prope Tanarum Flumen, ſupereſt. Cruentam Romanis quoque fuiſſe hanc victoriam Claudianus teſtatur, nam Alani, Romanorum ſigna ſequentes, aliique pedeſtris militiæ viri fortiter pugnantes occubuerunt, unde Claudianus: *Claud. ut ſup.*

*Mortemque petendam*
*Pro Latio docuit, gentis Prælatus Alanæ,*
*Cui natura breves animis ingentibus artus vinxerat.*

Cumque pedeſtres copias Gothi urgerent, & cæderent, adfuit cum equeſtribus turmis Stilicho, qui Gothos terga vertere compulit, iique a Romanis preſſi ſarcinas abjecere, ut prædæ cupiditate a pugna Romanos averterent, ſed fruſtra, ut eleganter Claudianus ludit:

*Callidus ante pedes venientibus objicit hoſtis*
*In caſſum, neque enim feralis præda moratur;*
*Sed juſtos præbent ſtimulos monumenta doloris.*

In Romanorum poteſtatem venerunt Alarici filii, una cum uxoribus eorum. Celeberrimam Stilichonis victoriam Crucis potentia partam ſuis verſibus celebravit Prudentius: *Prudent. contra Symm. lib. 2.*



Digitized by Google

JESU CHR.
AN. 403.

*Dux agminis, Imperiique*
*Chriſti potens nobis juvenis fuit* ( Honorius Imp. ) *&*
*Comes ejus*
*Atque parens Stilicho, Deus unus Chriſtus utrique*
*Hujus adoratis altaribus, & Cruce fronti*
*Inſcripta, cecinere tubæ: prima haſta draconis*
*Præcurrit, quæ Chriſti Apicem ſublimior eſſert*
*Illic terdenis gens exitiabilis annis*
*Pannoniæ pœnas tandem deleta rependit.*

At Pollentina victoria, ob violationem fœderis cum Alarico initi, cum die Paſchatis iterum a Saulo duce cum Gothis pugnatum eſſet, pene deperiit; unde Oroſius: *Taceo de infelicibus illis apud Pollentiam geſtis. Cum barbaro, & pagano duci Sauli ſumma belli commiſſa eſt, cujus improbitate reverendiſſimi dies, & ſanctum Paſcha violatum eſt, cedentique hoſti propter religionem, ut pugnaret extortum eſt. Cum quidem oſtendente in brevi judicio Dei, & quid favor ejus poſſet, & quid ultio exigeret, pugnantes vicimus, victores victi ſumus*; & de violato fœdere cum Alarico inito per Stilichonem paulo poſt: *Alaricum, cunctamque Gothorum gentem, pro pace optima, & quibuſcumque ſedibus ſuppliciter, & ſimpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publice autem & belli & pacis copia negata, ad terendam terrendamque Rempublicam reſervavit.* Hæc Oroſius, quem Pollentinam victoriam cum ſtrage Romanorum paulo poſt facta confudiſſe extra dubium eſt; hinc factum, ut cum Claudianus, Prudentius, aliique, Romanorum victoriam Pollentiæ hoc anno habitam celebraverint, alii econtra Stilichonem a Gothis hoc anno debellatum narrent, ut in Caſſiodori chronico legitur his verbis: *Stilichonem cum exercitu Rom. Gothi victum ſuperaverunt.* Tota tamen Alarici victoria in eo fuit, ut cum undique vallatus Alaricus in Romanorum poteſtatem una cum exercitus ſui reliquiis ducendus eſſet, cum parva ſuorum manu, ſuperatis iterum alpibus, extra Italiam aufugit, in eam poſtmodum feliciori exitu rediturus, ut ſuo loco videbimus.

*Oroſ. hiſt. lib. 7. 38.*

4. Triſtiorem nunc tragædiam in CPolitana eccleſia peractam exhibemus, qua Joannes Chryſoſtomus, vir omni virtutum genere ornatus, a Theophylo Alex: Epiſcopo ſua ſede de-

Theophili Alex. Epiſc. cum adverſariis Chryſoſtomi ſocietas.

deturbatus eſt. CPolim vocatus fuerat Theophylus, quin miſſo Alexandriam Elaphio, venire coactus, ut libello ab Ægyptiis monachis adverſus eum Imperatori oblato reſponderet, atque a gravioribus criminibus, in eo libello contentis, coram ſynodo CPoli congreganda ſe purgaret; at CPolim adveniens, mutata ſcena, qui reus vocatus fuerat debita pœna mulctandus, judex repente efficitur, ut innocentem condemnaret, quod ut exequeretur, ſocios, & adjutores multos habuit, qui variis de cauſis Joanni infenſo animo erant: inter eos Acacius Bereæ Epiſcopus, ac Severianus Cabalenſis, & Antiochus Ptolemaidis. His ſociati ſunt Diaconi aliquot eccleſiæ CPolitanæ, ac mulieres quædam viduæ divites, & nobiles. Ex his Marſa Promoti uxor, Caſtricia Saturnini, & Eugraphia quædam uſquequaque furioſa: *Reliqua autem pudet dicere*, ait Palladius, qui plura in eamdem rem adnotat.

Eudoxia Imperatrix in Joannem iraſcitur.

5. Dum eo res eſſent, accidit, ut Monachi ab Ægypto pulſi adverſus Theophylum libellum Imperatori darent, ea que de cauſa Theophylus vel invitus CPolim evocaretur, ut ſupra diximus; Chryſoſtomus vero gregi ſuo vigilans, corruptos virorum ac mulierum mores concionibus ſuis arguebat, ſuperbiam præcipue, faſtum, ac immodicas in luxu expenſas, cumque adverſus mulierum faſtum multa dixiſſet: *Eum ſermonem vulgus ita accepit, quaſi contra Auguſtam figurate dictus fuerit*, & a malevolis *ad Principum notitiam perfertur. Quo cognito, Auguſta illatam ſibi contumeliam apud Imperatorem conqueſta eſt, utriſque communem eſſe dicens hanc injuriam. Curat igitur, ut Theophylus quamprimum ſynodum convocet adverſus Joannem. Idem quoque urget Severianus*, ait Socrates. Ceterum Eudoxiam præpotentis iræ, & inſatiabilis avaritiæ fœminam fuiſſe teſtis eſt Zoſimus Ethnicus ſcriptor. De Eudoxiæ vero odio adverſus Chryſoſtomum idem Zoſimus hæc narrat: *Hinc auctum eſt Auguſtæ contra Joannem chriſtianorum Antiſtitem odium, quæ prius etiam illi ſuccenſerat, quod eam publicis in congreſſibus, quoties ad plebem diſſereret, perſtringere conſueſſet; quumque cuncta ex animi libidine gereret, omnium locorum Antiſtites ad dejiciendum loco ſuo Joannem, concitabat: quorum Princeps, & ſummus erat Antiſtes Alexandrinæ urbis in Ægypto Theophylus.*

Socrat. lib. 6. 15.

Zoſim. lib. 5.

Theophili adventus CPolim.

6. De adventu autem CPolim Theophyli narrat Socrates, eum CPolim cum epiſcopis plurimis adventaſſe, ex quibus

Socrat. lib. 6. 15.

JESU CHR. AN. 403.

bus plurimi, qui Joanni variis de cauſis erant infenſi: *Adſuerunt præterea, quos Joannes Epiſcopatu dejecerat. Quippe Joannes multos in Aſia depoſuerat Epiſcopos, tunc cum Heraclidis ordinandi cauſa profectus eſt Epheſum*, uti ſuo loco aduotavimus. CPolim itaque cum advenisset Theophilus in domo Imperiali, *quæ Placidiana appellabatur, divertit*, ut narrant Socrates, &

*Sozom. lib. 8. cap. 16. 17.*

Sozomenus. Is vero addit Cyrinum Nicomedienſem epiſcopum, Theophilo gratificari volentem ob generis conjunctionem, probris, & conviciis Joannem affeciſſe, cui cum Marutas Epiſcopus Meſopotamiæ fortuito pedem calcaſſet, divina exigente juſtitia, brevi temeritatis ſuæ pœnas dedit: nam nec CPolim trajicere potuit, *& ex eo vulnere, crus ei non ſemel a medicis diſſectum eſt; ſuperveniens enim putredo totum corpus depaſcebatur: adeo ut alter quoque pes idem paſſus ſit, & non* multo poſt in doloribus expi-

*Pallad. vita Chryſoſt. pag. 16.*

raverit; eamdem tragædiam pluribus narrat Palladius in vita Chryſoſtomi, quæ ibidem videri poſſunt. Eademque ad Innocentium Papam narrat Chriſoſtomus epiſtola ad eum ſcripta anno

*Chryſoſt. epiſt. 1. ad Innocent. tom. 3. pag. 516.*

ſequenti, antequam in exilium ſecundo iret, Theophilum ſcilicet CPolim ingreſſum non intraſſe Eccleſiam, neque Chriſoſtomum adiiſſe, aut participem feciſſe vel ſermonis, vel precum, vel communionis, etſi eum rogaſſet Joannes, ut apud ſe diverteret. Cumque Theophili accuſatores vehementer Chriſoſtomum urgerent, ut eorum cauſam audiret, *vocavit nos pientiſſimus Imperator, & juſſit ire ad locum, in quo ille agebat, & illic crimina, quæ ipſi offerrentur audire. Nam incurſiones, & cædes, & alia plurima objiciebant.* Chryſoſtomus vero, etſi Theophili mentem, vafritiemque perſpectam haberet; ea tamen oblata occaſione, acceptas injurias ulciſci noluit, nec par pari reddere, ſed timens, ne ob Theophili damnationem graves in Eccleſia excitarentur turbæ, judex in ea cauſa fieri recuſavit, dicens *oportere in quibuſque provinciis ſua negotia tractari, neque extra limites illarum trahi*, ut idem Chryſoſtomus narrat.

Theophilus adver. Joannem libellos accipit; ac calumniatores excitat. *Pallad. Chryſoſt. vita p. 26. tom. 13.*

7. Theophilus vero omnem movebat lapidem, ut Joannem non ſolum ſede pelleret, ſed etiam vita privaret, ex CPolitano clero autem plurimos tum blanditiis, cum auro, aut ſpe majoris dignitatis, in ſuas partes pertraxit, iiſque perſuaſit, ut adverſus Chryſoſtomum libellos ſibi darent. Inter Chriſoſtomi accuſatores duo Diaconi ob adulterium, & homicidium dejecti numerantur, quos etiam, poſt Joannis exilium, in ſuis ordinibus miniſtrare permiſit Theophilus. Ii itaque cum libel-

los

los, quos ipſe Theophilus dictaverat, adverſus Joannem obtuliſſent, Theophilus, *in ædibus Eugraphiæ cum Severiano, Antiocho, Acacio, & reliquis Joanni infenſis*, convenit, *congregati autem quærebant, quomodo judicium ordirentur. Unus vero ex iis, qui aderant, ſuggeſſit ut darent libellos Imperatori, & Joannem vel invitum ad conſeſſum traherent. Id igitur fit, ſicut olim apud Judæos, auro omnia prona, & facilia reddente.* Aderant tunc cum Joanne Chryſoſtomo Epiſcopi quadraginta, qui metu, & mœrore concuſſi amariſſime flebant, timentes, ne quid mali ſancto viro accideret. *Nam rumor percrebuerat, illum ſecuri percuſſum iri, ob nimiam dicendi libertatem*, mirabantur que etiam tantam rerum converſionem, ut Theophilus, qui ut reus, & ſolus ad comitatum venire juſſus erat, *cum tot Epiſcopis adveniſſet, & Principum, & Magiſtratuum ſententias ſubito commutaſſet.* Cum itaque Epiſcopi 40. in Joannis triclinio congregati amariſſime flerent, tum ob imminens ſancti viri periculum, tum ob eccleſiarum vaſtitatem inde futuram, eos ipſe Joannes admirabili oratione hortatus eſt, ut æquo animo ferrent, ſe ipſum mori pro Chriſto paratum eſſe dicens, Apoſtoli ſententiam repetens: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*; cumque ejulans quidam addidiſſet, eccleſiæ viduitatem, aliaque mala imminentia ſe lamentari, Joannes *digito indice palmam ſiniſtræ manus, cum percuſſiſſet, ſe alloquenti ait: Sufficit frater, ne plura loquere, ſed quod dixi, eccleſias veſtras ne dimittite. Neque enim a me incepit prædicationis munus, neque in me deſiit.* Nam ut eodem loco ſubdit Chryſoſtomus, mortuo Moiſe ſucceſſit Joſue, Samueli David, Jeremiæ Baruch, Eliæ Eliſeus, Paulo Titus, & Timotheus. Epiſcopos etiam rogavit, ut cuicumque in ejus locum ſubrogatus fuiſſet, communicarent, neque ſchiſma in Eccleſia facerent, dummodo tamen ejus condemnationi non ſubſcriberent, cum nullius criminis ſe reum eſſe cognoſceret.

Ad Philipp. 1. 22.

8. Dum Epiſcopi cum Joanne congregati hæc agerent, *nunciatum eſt adſtare qui a Theophilo miſſi eſſent. Jubet*, Chryſoſtomus, *eos introire, ingreſſos interrogat, cujus gradus eſſent, dicunt Epiſcopi. Ille orat ſedeant, & dicant cujus cauſa adſint. Illi autem dicunt: Has ſolummodo ſchedulas legendas habemus.* Harum ergo inſcriptio hæc erat *Sancta ſynodus ad Quercum congregata Joanni*, ac libellos adverſus eum ſe accepiſſe narrabant, ac ut ſynodo adeſſet una cum Serapione, &

Theophilus ad Quercum ſynodum congregat. Pallad. ut ſup. p. 28.

Ti-

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 403. Tirio presbytero, jubebant. Qui autem ad eum venerant, erant Dioſcorus & Paulus juvenes Epiſcopi, qui in Lybia ordinati fuerant, locus autem quo ſynodus ad Quercum congregata fuit; *trans mare Ruffini ſuburbanum erat*, ait Palladius, de quo Sozomenus: *Id ſuburbanum eſt Chalcedonis, quod nunc Ruffini viri conſularis nomine appellatur, in quo palatium eſt, & eccleſia maxima, quam Ruffinus ipſe in honorem Apoſtolorum Petri, & Pauli conſtruxerat, & Apoſtoleum ob id cognominatur. Monachos quoque juxta eam collocavit, qui clericorum in ea eccleſia munus explerent.*

Sozom. lib. 8. 17.

Joannes Theophili judicium recuſat.

9. Lecto autem ſynodi libello, qui cum Joanne erant Epiſcopi, Theophilo nunciaverunt, ne Eccleſiam turbare vellet, aut Nicænos canones violare, quibus cautum fuerat, ut Epiſcopi in ſua provincia, & a comprovincialibus Epiſcopis judicarentur: *Habemus enim epiſtolam tuam, per quam mones Coepiſcopum noſtrum Joannem accuſationem extra limites non debere admittere*; ſcripſerat quippe Theophilus Chryſoſtomo, ne contra Nicænos canones monachos a ſe ex Ægypto ejectos Origeniſmi cauſa in ſuam tutelam ſuſciperet; ac *libellos* ſeptuaginta *capitum, manifeſta piacula continentes*, contra ipſum accepiſſe addiderant, ac plures etiam ſe numero Epiſcopos eſſe, unde ad Theophilum: *Tum enim trigeſimus ſextus es, ex unica provincia*, ex Ægypto fere omnes. *Nos vero ſumus quadraginta e diverſis provinciis, inter quos ſumus etiam ſeptem Metropolitæ.* Itaque cum & numero, & auctoritate major eſſet Joannis ſynodus, Theophilo denunciarunt, ut ad ipſos potius veniret, aut ſaltem a judicio adverſus Joannem ſuſcepto ceſſaret.

Joannis reſponſio ad Theophili ſynodum.

Pallad. p. 29.

10. Cum hæc ad Theophylum reſpondiſſent Epiſcopi, ipſe Chryſoſtomus peculiarem etiam reſponſionem miſit; qua inter cetera eos admonebat, ut ſi eum adeiſſe vellent, manifeſtos inimicos ſuos a conventu ſuo excluderent, Theophilum præcipue, quem apertas adverſum ſe inimicitias gerere manifeſtum erat, eademque ratione Acacium & Severianum & Antiochum; alioquin: *Si decies millies ad me miſeritis, nihil amplius ex me vos audituros* ajebat Joannes ad Theophili ſynodum, eademque in epiſtola ad Innocentium Papam: *Scientes nos*, inquit, *non ad judicium, nam alioquin ſexcenties veniſſemus, ſed ad hoſtem & inimicum venturos, id quod ſatis declarant, quæ prius, ac poſtea ſunt facta, miſimus ad eum Epiſcopos Demetrium Epi-*

Tom. 3. p. 517.

*Epiſcopum Peſinuntis*, *Eulyſium Apameæ*, *Lupicinum Appiariæ*: *Presbyteros autem*, *Germanum & Severum*, *repondimuſque modeſte ex noſtro inſtituto*: *Non vitare nos judicium*, *ſed inimicum apertum*, *& hoſtem manifeſtum*. Cum hæc ad Theophilum reſpondiſſet Joannes, ſtatim Notarius adfuit reſcriptum Imperatoris offerens, quo Chryſoſtomus ut ſe ſynodo exhiberet, jubebatur, ut objecta crimina dilueret. At iis Joannes per alios Epiſcopos renunciavit: *Quonam tandem ordine judicatis*, *qui neque inimicos meos ejeceritis*, *& me per clericos meos accerſatis*. Poſt hæc: *Cum ille*, ideſt Joannes, *quater vocatus*, *ad Oecumenicam ſynodum provocaſſet*, *nihil ei aliud objicientes*, *quam quod vocatus non paruiſſet*, *eum depoſuerunt*, ait Sozomenus; multa tamen crimina eidem objecta fuiſſe, ex ſynodi actis mox videbimus.

Socrat. lib. 6. 15. Sozom. lib. 8. 17.

11. His geſtis Epiſcopi, qui cum Theophilo ad Quercum erant, in furorem acti, *arreptis Epiſcopis* ab eo miſſis, ait Palladius, *alium verberibus affecerunt*, *alterius veſtes conſcerpſerunt*, *alteri ferreas catenas collo circumpoſuere*, *quas ſancto Joanni paraverant*; *ut ſic conjectus in naviculam in ignotum locum amandaretur*. Deinde ut rebus hactenus geſtis exitus quoque tragœdiæ reſponderet, dato ad Imperatorem libello, ſe Joannem multorum criminum, & læſæ quoque majeſtatis reum, Epiſcopatu abdicaſſe narrabant. Crimen læſæ majeſtatis convicium in Auguſtam erat, ut ipſi retulerunt, quod eam Jezabel vocaſſet. *Sic ab eccleſia*, ſubdit Palladius poſt pauca, *expulſus eſt Joannes*, *miſſo ad id Comite cum militari manu*, *non ſecus ac ad prælium adverſus Barbaros*. *Ejectus venit ad prædiola ad Prænetum Bithyniæ*. De hoc primo exilio audiatur idem Chryſoſtomus in epiſtola ad Innocentium data, cum iterum exulare coactus eſt: *Tractus vi*, *& abductus a Curioſo urbis in media civitate*, *& in navim conjectus per noctem navigavi*, *eo quod ad ſynodum*, *& ad juſtum judicium provocaram*; ſe ipſum tamen ſatellitibus tradidiſſe, ut ea de cauſa tumultuantem populum, ac pro Paſtore ſuo vigilantem falleret, tradit Socrates, ac nocte intempeſta in navim conjectus navigare coactus eſt; ſicque non eſt arguendus Socrates, dum circa meridiem ultro ſe Joannem tradidiſſe ſcribit; ipſum vero nocte in navim conjectum, & ad iter compulſum fuiſſe; cum utrumque verum ſit, ut ad eum locum adnotavit Valeſius.

Theophili ſynodus Joannem condemnat.

Socrat. lib. 6. 15.

Valeſ not. in cap. 15. lib. 6. Socrat.

Jesu Chr. an. 403.

Acta ſynodi ad Quercum habitæ.

*Bar. an. 403. n. 20.*
*Montf. chryſoſt. vita tom. 13. p. 147.*
*Phot. bibliothec. cap. 59. pag. 23. edit. Schot.*
*Harduin concil. tom. 1. p. 1038.*
*Sozom. lib. 8. 16.*

12. Quæ ſummatim hactenus ex ipſo Chryſoſtomo, vel aliis hiſtoricis de geſtis in ſynodo ad Quercum a Theophilo narravimus, fuſiori ſtylo acta ipſa apud Photium exhibent, quæ etſi dubiæ fidei, & ſuſpecta Baronius habuerit, a Tillemontio tamen, aliiſque viris doctis uti genuina habentur. *Acta enim illa*, ait Montoſoconius, *res ut vere geſtæ ſunt, enunciant, & cum Palladio in omnibus fere conveniunt*. Itaque Photius de ea ſynodo narrat: *Lectum eſt illegitime coactum adverſus S. Joannem Chryſoſtomum conciliabulum: cui præſides adfuerunt Theophilus Alexandriæ, & Acacius Berrœbæ, Antiochus Ptolemaidis, Severianus Gabalorum, & Cyrinus Chalcedonis Epiſcopi*. Hunc Cyrinum, qui inter Joannis inimicos erat præcipuus, quique ut ſupra diximus, ob calcatum fortuito a Marutha Epiſcopo pedem, paulo poſt obierat, Nicomedienſem Epiſcopum fuiſſe narrat Sozomenus; Chalcedonis tamen fuiſſe, & verius habet Photius. Ii itaque, *cum infeſto in Joannem animo eſſent, ſimul omnia & judices, & teſtes, & accuſatores erant. Tredecim actionibus hæc peracta, duodecim quidem contra Chryſoſtomum, tertiadecima contra Heraclidem, quem Epheſiis ille ordinarat Epiſcopum, hujus tamen depoſitionem validam reddere, aliis nonnullis probibentibus, minime potuerunt. Heraclidis accuſator Macarius quidam nomine fuit Magnetum Epiſcopus, B. Joannis vero palam hoſtis, primuſque accuſator Joannes ejus diaconus*, qui ſequentes criminationes in Joannem Epiſcopum ſuum ſynodo obtulit.

Criminationes contra Joannem ſynodo delatæ.

13. Primo quod ſe e diaconatu amoviſſet, quia ipſe puerum ſuum domeſticum verberaverat. 2. Quod Joannes quidam Monachus juſſu ejus vapulaſſet, raptatuſque, ac cum dæmoniacis catena ferrea conſtrictus fuiſſet. 3. Quod cimeliorum (Eccleſiæ) magnam vim vendidiſſet. 4. Quod marmora, quæ Nectarius reliquerat ad ornandam ſanctæ Anaſtaſiæ Eccleſiam, ipſe vendiderit. 5. Quod clericos appellaret viles, corruptos, inutiles, triobolares. 6. Quod S. Epiphanium delirum appellaverit, & parvum dæmonium. 7. Quod Severiano inſidias ſtruxerit, incitatis adverſus illum Decanis. 8. Quod contra clerum librum ſycophantiis plenum ſcripſerit 9. Quod totius cleri conventu facto, tres Diaconos citarit, Acacium, Edaphium, & Joannem, & quaſi humerale ſuum furati eſſent, accuſarit, quærens utrum ad alium aliquem uſum illud cepiſſent. 10. Quod Antonium ſepulcrorum violatorem convictum, Epiſco-

Digitized by Google

ſcopum ordinaverit. 11. Quod Joannem comitem in militum ſeditione prodiderit. 12. Quod neque in Eccleſiam ingrediens, neque exiens, precaretur. 13. Quod ſine altari Diaconorum & Presbyterorum ordinationes fecerit. 14. Quod una ordinatione quatuor ſimul Epiſcopos crearit. 15. Quod mulieres ſuſciperet, ſolus cum ſolis, aliis omnibus foras emiſſis. Huc reſpicere videtur, quod ait Chryſoſtomus in epiſtola ad Cyriacum: *Quin me quoque cum muliere concubuiſſe criminantur. Exuite corpus meum, & membrorum mortificationem reperietis.* 16. Quod hæreditatem a Thecla relictam per Theodulum vendiderit. 17. Quod Eccleſiæ reditus nemo noverit quo abeant, 18. Quod Serapionem, in crimen vocatum, Presbyterum ordinaverit. 19. Quod eos, qui cum toto orbe communicabant, ipſius ſententia incluſos, & in carcere defunctos contempſerit; ita ut ne corpora quidem ipſorum ſepulturæ mandare dignatus ſit. 20. Quod ſanctiſſimum Acacium injuria affecerit; & ne ad colloquium quidem admiſerit. 21. Quod Porphyrium Presbyterum Eutropio, ut in exſilium pelleretur, tradiderit, 22. Quod Venerium item Presbyterum cum contumelia multa tradiderit. 23. Quod illi ſoli balneum ſuccendatur, & ubi laverit, Serapion aditum claudat, ut alius nemo lavet. 24. Quod ſine teſtibus multos ordinarit. 25. Quod ſolus edat intemperanter, Cyclopum vitam agens. 26. Quod ipſe accuſet, ſitque teſtis & judex. Planumque id eſſe ex iis, quæ cum Martyrio Protodiacono & Prohæreſio Lyciæ Epiſcopo geſta referuntur. 27. Quod Memnonem in Eccleſia Apoſtolorum pugno percuſſerit, & ſanguine ex ore manante, myſteria tamen obtulerit. 28. Quod in throno exueretur, & paſtillum ederet. 29. Quod Epiſcopis ab ſe ordinatis pecunias largiretur, ut per illos clerum opprimeret. His accuſationum capitibus a ſynodo acceptis, cum Joannes ſe ſiſtere eidem ſynodo recuſaſſet; non aliter ac ſi tantorum criminum convictus, aut confeſſus eſſet, ſua ſede, & communione privatus eſt.

JESU CHR. AN. 403.

14. Alia adhuc crimina Iſacius quidam ſancto viro objecit. Quod ſcilicet Ammonium, Eutychium, Euſebium, Heraclidem, & Palladium Origeniſtas monachos recepiſſet, & hoſpitalitatem, ſolus quotidie, cibum capiens, deſereret, aut in eccleſia diceret menſam eſſe furiarum plenam, aut ſe ita jactaret dicens *depereo inſanio*. Ea accuſatione ad homiliam in celeberrima Martyrum translatione habitam reſpexiſſe videtur

Alia criminationes Chryſoſtomo objectæ.

JESU CHR. AN. 403.

*Chryſoſt. ep. tom. 12. p. 335.*
*Phot. p. 24.*

Iſacius, cui Chryſoſtomus ſpirituali exultans lœtitia initium fecit his verbis: *Quid dicam? quid loquar? exulto, & inſanio*. Id etiam Chryioſtomo crimini datum eſt, quod licentiam peccantibus præberet docens: *Si iterum peccaſti, pœniteat ieritum: & quoties peccaveris, veni ad me, ego te ſanabo*: quod in Eccleſia docens blaſphemaſſet, Chriſtum orantem ideo non eſſe exauditum, quod non ut oporteret, oraſſet: quod ad ſeditionem populum concitaret adverſus ſynodum: ex Gentibus etiam quoſdam, qui Chriſtianos valde afflixiſſent, ſuſcepiſſet, & in Eccleſia haberet, atque defenderet: quod aliorum invaſerat provincias in ordinatione Epiſcoporum, aut Epiſcopos injuria affeciſſet, & domo ſua pelli juſſiſſet: quod clericos inuſitatis injuriis contumeliiſque affecerit, & aliorum depoſita vi rapuerit: quod ſine cleri conſenſu clericos ordinaſſet, & Origeniſtas recepiſſet, catholicos vero monachos, etſi commendatitias litteras adferrent, in carcerem conjectos non dimiſerit: quod aliena etiam mancipia nondum manumiſſa, immo & accuſata, Epiſcopos ordinarit: quod ipſum Iſacium male ſæpe multaverit. Hæc autem adverſus Chryſoſtomum objecta crimina, cum leviter ſummatimque nonnullis auditis teſtibus, & inter eos Arſacio, qui Chryſoſtomo ſucceſſor fuit, diſcuſſa fuiſſent, una ſynodi ſententia fuit, cui cum Theophilo omnes ſubſcripſerunt, Chryſoſtomum ſua ſede pellendum eſſe.

Theophilus cum monach. reconciliatur.

*Socrat. lib. 6. 15.*

*Sozom. lib. 8. 17.*

15. Poſt Chryſoſtomi abdicationem Theophilus, qui Origeniſmi cauſa monachos tam dire vexaverat, ut ſupra diximus, quaque de cauſa CPolim tranſire juſſus fuerat, cum iis ſtatim reconciliatus eſt. *Nec jam librorum Origenis ulla fiebat mentio*, ait Socrates; Sozomenus vero: Cum Theophilus una cum reliquis Epiſcopis in ſynodo ad Quercum conſediſſet, *de libris quidem Origenis nullam amplius mentionem fecit, ſed ſcetenſes monachos ad pœnitentiam invitavit, oblivioni ſe ſe traditurum præterita, nec mali quicquam facturum pollicitus*. Fautores tamen Theophili inclamarunt monachis, ut veniam peterent. Illi vero Parce dixerunt, qua unica ſatisfactione accepta, Theophilus eos in gratiam recepit, & communioni reſtituit: quod ſane non accidiſſet, meo judicio ait Sozomenus, ſi Dioſcorus, & Ammonius una cum aliis monachis adfuiſſent. Lata itaque in Chryſoſtomum abdicationis, & ex li i ſententia, eaque ab Arcadio confirmata, ſub veſperam ad Joannem comes cum militibus miſſus eſt, ut eum ab eccleſia exturbaret; at ubi hæc audi-

Chryſoſtomi ad populum concio.

andivit CP. populus, Epiſcopi ſui injuria commotus, ad ecceleſiam agmine facto confugit, ibique per noctem excubavit, ut Epiſcopum ab eccleſia ſua pelli prohiberet, unde nonniſi triduo poſt, inſcia populi multitudine, ſeditionem, ac tumultus ſui cauſa vitare cupiens, ſe ipſum ſponte tradidit, *ad Prenetum Bithyniæ ducendus*, quod erat e regione Nicomediæ. *Tractus igitur*, ait Chryſoſtomus epiſtola ad Innocentium Papam, *vi & abductus a Curioſo urbis in media civitate, & in navim conjectus, per noctem navigavi*; antequam autem in exilium iret, dum populus eccleſiam circumſtaret, ne ab ea Joannes pelleretur, orationem ad populum habuit, qua ſummam in rebus adverſis conſtantiam demonſtravit. *Multi quidem fluctus, & undæ immanes, ſed ſubmergi non vereor, quia ſupra petram ſto. Inſaniat licet mare, petram non poteſt commovere, inſurgant quamtumlibet fluctus, navis Jeſu obrui non poteſt &c.* Cumque multa in eamdem rem addidiſſet, de populi in eum benevolentia, & ſtudio ſubdit: *Ecce quot dies ſunt, quod vigilatis, nullum veſtrum ſomnium inclinavit, nec temporis ſpatium frangit, nullum timor, nullum minæ deterrent, ſed terror eorum fortiores vos reddit. Video in vobis quod ſemper optavi, ideo quod contempſiſtis Mundi negotia, renunciaſtis omnibus, nihil jam de terra, neque de terrenis actibus cogitatis &c.* quibus alia addit, quæ brevitatis ſtudio præterimus; ſicut & aliam eodem tempore habitam concionem.

Jesu Chr. an. 403.

*Pallad. pag. 30.*

*Chryſoſt. op. tom. 3. p. 419.*

*Chryſoſt. ep. ut ſup. p. 421.*

16. Quam ob Chryſoſtomi exilium lætitiam conceperat Theophilus, paulo poſt comprimere coactus eſt; nam urbe vix egreſſus Joannes, magna cum feſtinatione revocatus eſt, populus quippe CPolitanus, ut narrant Socrates, & Sozomenus, ad ſeditionem commotus, Imperatorem ipſum, totamque ſynodum, ſed præcipue Theophilum, & Severianum maledictis appetere non ceſſabat, quem tumultum, imprudentia, & petulantia ſua Severianus etiam auxit: nam cum *in eccleſia per tempus ſermonem haberet, depoſitionis Joannis ſententiam laudavit, utpote in hominem arrogantem, etſi nullum aliud crimen eſſet prolatum. Cetera enim delicta, ut ajebat, Deus hominibus indulget: ſuperbis autem reſiſtit. Ob hæc populus indignatus eſt*, & tum in eccleſia, tum in foro tumultuabatur. Denique ad ipſum uſque Palatium progreſſi, cum ululatu, & lamentis orabant, ut Joannes revocaretur. Alia etiam adfuit cauſa, cur cito Joannes ab exilio revocaretur, terræmotus ſcilicet,

Chryſoſtomus ab exilio revocatur.

*Socrat. lib. 6. 16.*

*Sozom. lib. 8. 18.*

Jesu Chr. An. 403. Pallad. vita Chryſ. p. 30. Theodor. hiſt. lib. 5. 33.

licet, quo urbs, ipſumque Eudoxiæ cubiculum concuſſum eſt: *Una vero dies interceſſerat*, ex quo Joannes ejectus fuerat, ait Palladius, *cum plagam quamdam in regio cubiculo fieri contigit. Eo perterriti paucos poſt dies Joannem revocant, per domeſticum notarium, eumque ſuo throno reddiderunt*. Theodoretus vero: *Coactus eſt* Joannes, inquit, *urbe excedere, & ad Navale in oſtio Ponti ſitum, quod Hieron vocant, perrexit. Sed cum noctu ingens terræmotus contigiſſet, ipſamque Auguſtam gravis invaſiſſet terror, legati primo diluculo ad exulem mittuntur, rogaturi, ut quamprimum ad urbem rediret, & civitatem periculo liberaret. Poſt hos ſecundi miſſi ſunt, & poſt ſecundos tertii, adeo ut Boſphorus legatorum multitudine compleretur. Quod cum cognoviſſet fideliſſimus populus, ſtatim oſtium Propontidis navigiis obtexit. Univerſi enim obviam proceſſerunt, cereas faces præferentes*.

Joannes in urbem revocatur, ejus concio ad populum poſt reditum. Socrat. lib. 6. 16. Sozom. lib. 8. 18.

17. Revocatus itaque Chryſoſtomus, ante legitimæ ſynodi ſententiam, in eccleſiam ingredi renuebat; at populus moræ impatiens, vel invitum redire coegit: *Miſſus Briſo*, ait Socrates, *Eunuchus Auguſtæ, offendit illum Præneti, quod eſt emporium ex adverſo Nicomediæ ſitum, & CPolim eum redire jubet*. Sed quoniam Joannes ab exilio revocatus, negabat ſe urbem ingreſſurum, niſi prius in majore judicum conſeſſu innocentiam ſuam probaſſet, manſit interim in ſuburbano *quod Marianæ appellatur*, ſeu ut habet Sozomenus *circa Anaplum reſedit in ſuburbano Imperatricis*. Sed dum moras necteret, nec civitatem ingredi vellet, plebs ad indignationem commota *in ipſos Imperatores* maledicta congeſſit. Qua de cauſa Joannes redire coactus eſt. *Obviam ergo progreſſa multitudo vulgi, eum cum ſumma reverentia in Eccleſiam recta deducit; orans, ut in Epiſcopali Cathedra ſedere, & pro more ſolito pacem populo apprecari velit*. Cum ille recuſaret, ab Epiſcopis ſe in ſua ſede reſtituendum eſſe addens, tandem cum eum congregata plebs urgeret, & pacem populo pronuntiavit, ac præterea neceſſitate compulſus, ſermonem habuit, qua oratione, ut Sozomenus adnotat: *Sumpto argumento ex elegantiſſima ſimilitudine, figurate indicavit, Theophilum quidem tentaſſe vim inferre Eccleſiæ ſuæ, perinde ac olim regem Ægyptium uxori Patriarchæ Abrahami, ut refertur in ſacris Hebræorum libris, Populum vero ob propenſum erga ſe animum, & Imperatores ob prolixam benevolentiam, ut par erat, laudibus proſecutus, tantos multitudinis*

*dinis plauſus totque acclamationes in laudem Imperatoris & Auguſtæ excitavit, ut orationem imperfectam abrumpere ſit coactus*. Duæ adhuc extant Joannis homiliæ poſt reditum ſuum dictæ, quarum prima extemporanea, & brevior eſt, altera die ſequenti longior, & ornatior; primæ hoc eſt exordium: *Quid dicam, quid loquar? Benedictus Deus, hunc egrediens dixi ſermonem: hunc iteravi revertens, & illic conſtitutus in ore volvebam &c.* atque populum ad Deum benedicendum in proſperis, æque ac in adverſis Jobi exemplo hortatur, atque de populi in ſe ipſum benevolentia, & ad audiendum frequentia hæc ad rem adnotat: *Curſus equorum hodie, & pauci illuc, imo cuncti in eccleſia, quaſi torrens quidam, ac fluvius facta eſt veſtra multitudo. Voces veſtræ elevantur ad Cælum, amorem, qui ad Patrem eſt, oſtendentes*, ad quorum pietatem & in abſentia ſua erga eum fidem multa addit, ibidem videnda. In altera vero oratione poſtridie habita, de eodem argumento multa congerit; qua etiam, ut ex Sozomeno audivimus, ſumpta ex Pharaone ſimilitudine, dum Saram Abrahamo abſtulit, quam intactam relinquere coactus eſt, Theophilum denotavit, qui eccleſiam CPolitanam turbare conatus erat; ſed fruſtra, ut ibidem narrat.

*Chryſoſt. op. tom. 3. p. 426.*

18. Eudoxiæ epiſtolam ſibi ſcriptam, ut in urbem rediret, eadem oratione commemorat: *Protinus intempeſta nocte hæc religioſiſſima Domina ipſo primo die litteras miſit, quarum hæc verba. Ne arbitretur ſanctitas tua, me illa noviſſe, quæ geſta ſunt: innocens ego ſum a ſanguine tuo. Improbi, & perditi homines hanc ſtruxere machinam*. Atque eodem loco multa tum in laudem, cum in excuſationem Eudoxiæ diſſerit. Hæc tamen Eudoxiæ benevolentiæ indicia erga Chryſoſtomum, aut fallacia, aut momentanea fuerunt; nam paulo poſt, urgentibus iterum ſancti viri adverſariis, eum iterum exilio, eoque perpetuo addixit, ut ſequenti anno videbimus.

Eudoxiæ epiſtol. ad Chryſoſtomum. *Tom. 3. op. pag. 429.*

19. Ut Chryſoſtomum tanta cum gloria, & plauſu, ſuæ ſedi reſtitutum vidit Theophilus, quid conſilii caperet, plane ignorabat; rem tamen aggreditur, temeritatis, & periculi plenam, qua iterum Chryſoſtomum impeteret; Heraclidis itaque *ordinationem in quæſtionem vocari juſſit, ut inde ſi poſſet occaſionem arriperet ad Joannem exauctorandum*. Ipſe quidem Heraclides non aderat: abſens tamen judicabatur, quaſi quoſdam injuſte verberaſſet, & catenis vinctos per mediam Ephe-

Concertatio inter Alexandrinos, & CPolitanos ob Heraclidis judicium. *Socrat. lib. 6. 17.* *Sozom. lib. 8. 19.*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 403. Epheſiorum urbem traduxiſſet. Cumque Joannes ejuſque fautores dicerent, de abſentibus judicium fieri non debere, contra Alexandrini contendebant, admittendos eſſe accuſatores Heraclidis, licet eum abſentem accuſarent; gravis inde ſeditio, & concertatio inter Conſtantinopolitanos, & Alexandrinos conflata eſt. *Commiſſaque pugna multi vulnerati, quidam etiam interempti ſunt*. Ut narrant Socrates, & Sozomenus.

Theophilus cum ſuis CPoli aufugit.

Pallad. chryſoſt. vita p. 30. Socrat. Sozom. ut ſup.

20. Deſperatis itaque rebus, cum in ſummam invidiam incidiſſet Theophilus, atque CPolitanæ plebis iram metueret, *cum Ægyptiis ſuis, fuga ſalutem quærit. Cives enim eum quærebant, ut in mare demergerent*, ait Palladius, cui Socrates, & Sozomenus conſentiunt: *Itaque Severianus, & reliqui Epiſcopi, metu conterriti, omnes ex urbe aufugerunt. Ipſe Theophilus etiam illico nihil cunctatus, ineunte jam hyeme fugiens una cum Iſacio monacho in Ægyptum navigavit*. Chryſoſtomus interea Imperatorem rogavit, ut collectis undique epiſcopis, concilium celebrari juberet; quo utriuſque cauſa dijudicaretur, ut ad Innocentium narrat Chryſoſtomus: *Ille ſtatim*, ideſt Theophilus, *aufugit, cur, & qua de cauſa? eo quod ingreſſi*, poſt reditum ſuum, *mox obſecrabamus piiſſimum Imperatorem, ut concilium cogeret, quo facta hæc punirentur. Male igitur conſcius ſibi, & reprehenſionem pertimeſcens, cum Imperatoris litteræ in omnia loca mitterentur, & undecumque omnes congregarent, occulte, mediaque nocte, una cum ſuis omnibus, conſcenſa navi elapſus eſt*.

Tom. 3. op. Chryſ. pag. 518.

Nilamon Epiſcopatum aufugit, ejus obitus.

Sozom. lib. 8. 19.

21. Theophilo autem Alexandriam hoc anno naviganti contingit, ut cum appuliſſet Geras, parvum oppidum, quinquaginta circiter ſtadiis diſtans Peluſio, contigit inquam, ut Nilamonem Eccleſiæ ſuæ Antiſtitem elegerent Geraſini, virum bonum, & qui ad monaſticæ philoſophiæ culmen pervenerat, quique juxta urbem in cella incluſus degebat. Recuſabat autem Nilamon ſacerdotium ſuſcipere; verum Theophilus ad eum accedens, hortari cœpit, ut ordinari ſe ab ipſo pateretur. Ille vero cum Epiſcopatum refugeret, nec Theophilo perſuaderet, tandem: *Craſtina die*, inquit, *id fac ſi tibi ita videtur, o Pater; ut mihi liceat hodie res meas diſponere*. Poſtridie cum ex compacto veniſſet Theophilus, juſſiſſetque ut januam aperiret, ut una ſecum orarent, Nilamon inter orandum ex hac vita migraverat. Quare cum Theophilus, & ceteri qui extra cellam ſtabant, maximam diei par-

partem expectaſſent, ut altiori voce crebro inclamaſſent, tandem dejectis lapidibus, qui ante oſtium poſiti erant, hominem mortuum deprehenderunt; eumque quo par erat cultu indutum publica ſepultura honorarunt. Eccleſiam quoque circa ejus tumulum incolæ ejus loci ædificarunt, diemque illius obitus celeberrimum agere hactenus perſeverant: cujus natalis dies ſexta Januarii Martyrologio Romano recolitur. Quo etiam tempore, ut ſubdit Sozomenus, cum ſexaginta circiter Epiſcopi CPolim conveniſſent, quæcumque hactenus in Synodo apud Quercum geſta fuerant, irrita eſſe declararunt; ac Joannem eccleſiæ ſuæ dignitatique reſtituerunt. *Sozom. ut ſup.*

22. Ad conſulatum Theodoſii junioris, & Rumoridi, auctor chronici Alex. Marinam ex Eudoxia natam refert his verbis: *His Coſſ. nata eſt nobiliſſima Marina, menſe Peritio, IV. idus Febr.* idemque tradit Marcellinus his Coſſ. Marinam autem cum Arcadia ſorore virginitatis votum ſervare Pulcheria, ſororum major edocuit. *Marinæ ortus.*

23. Hoc eodem anno, octavo Kal. Septembris Carthaginenſe concilium celebratum eſt, quo ex omnibus Africæ provinciis legati adfuerunt, unde generale dictum eſt; etiamſi Numidiæ Epiſcopi abeſſent, quos his verbis excuſavit Alypius Tagaſtenſis: *Nos quidem de Numidia venimus, & ſancti fratres Auguſtinus & Poſſidius, ſed de Numidia legatio mitti non potuit, quod adhuc tumultu tyronum, Epiſcopi proprii neceſſitatibus in civitatibus ſuis aut impediti, aut occupati ſunt.* Tyrones, quorum cauſa Numidiæ Epiſcopi ſynodo adeſſe non potuerunt, deſertores milites erant, qui prædonum more vias infeſtabant; quos quatuor edictis reprimendos juſſit hoc anno Honorius Imperator, ad Hadrianum Præfectum prætorio reſcribens, ut in Codice Theodoſiano videre eſt. *Concilium Carthagine celebratur. Hard. concil. tom. 1. p. 911. Labb. tom. 2. p. 1656.*

24. Nunc ad acta concilii revertimur, quibus hæc habentur: *Glorioſiſſimo Imperatore Theodoſio Auguſto, & Rumorido VC. Coſſ. VIII. Kal. Septemb. Carthagine in baſilica regionis ſecundæ, cum Aurelius Epiſcopus in univerſali concilio conſediſſet, adſtantibus diaconibus, Aurelius Epiſcopus dixit. Exigente ratione, fraternitas veſtra a mea tenuitate ad hoc concilium congregata eſt*, iiſque in memoriam revocavit, ex Africa Epiſcopos ad tranſmarinas eccleſias deſtinatos fuiſſe, id eſt ad Anaſtaſium Rom. Pontificem, Innocentii anteceſſorem, & Venerium Mediolanenſem Epiſcopum, ut, eccleſiarum neceſ- *Donatiſtæ ad unitatem invitantur. Hard. concil. tom. 1. p. 911.*

JESU CHR. ceſſitate urgente, liceret Donatiſtas clericos ad eccleſiam redeuntes ea conditione admittere, ut in ordinibus ſuis miniſtrarent;
AN. 403. deinde recitatæ ſunt epiſtolæ Epiſcoporum Bizacenæ, & Mauritaniæ Sitifenſis provinciæ, quas *Philogogius*, *Geta*, *Venuſtianus*, & *Felicianus* Epiſcopi Bizaceni obtulerunt, & *Lucianus*, & *Silvanus* Epiſcopi provinciæ Mauritaniæ, juſſumque eſt, ut eædem epiſtolæ ſynodi actis infererentur. Quæſitum poſtea: *utrum legati Numidiæ advenerint, vel certe provinciæ Tripolitanæ, vel Mauritaniæ Cæſarienſis*, quibus legati provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis, Lucianus, & Silvanus dixerunt, ſero ad Fratres Cæſarienſes tractoriam perveniſſe, nihilominus ad veniendum promptos eſſe, *& confidimus de animis illorum, quia ſi quid geſtum fuerit in hoc concilio, & ipſi ſine dubio ſuos conſenſus adhibebunt*. De Epiſcopis Numidiæ Alipius Tagaſtenſis dixit, ſe quidem una cum Auguſtino adeſſe, legatio tamen mitti non potuit, ob tyronum tumultum, ut ſupra adnotavimus: qua excuſatione audita, & probata, Aurelius ſynodi præſes ſubdidit: *Non dubium eſt, quin prædicti fratres, & Coepiſcopi noſtri Numidiæ, cum geſta concilii acceperint, & ſuos adhibebunt conſenſus, & in effectum deducere maturabunt, cura ergo iſtius ſedis, hoc ipſum ut eis intimetur, neceſſe eſt provideri*. Capite ſequenti de Tripolitanis Epiſcopis actum eſt, de quibus dixit Aurelius, ſe ſcire Dulcitium ab Epiſcopis ejus provinciæ deſtinatum fuiſſe, qui cum navem conſcendiſſet, tempeſtate detentus, hactenus occurrere non potuerat: *Circa ipſos ſi caritati veſtræ placet, hæc forma ſervabitur*, ait Aurelius, *ut placita concilii ad eoſdem tranſmittantur*, quod omnium conſenſu firmatum eſt; tan-
pag. 914. dem de Donatiſtarum Epiſcopis conveniendis, atque ad unitatem Eccleſiæ invitandis, ſtatutum eſt, ut ſinguli Epiſcopi in civitate ſua per ſe conveniret Donatiſtarum præpoſitos, aut adjungeret ſibi vicinum collegam, ut pariter eos in ſingulis quibuſque civitatibus, vel locis per magiſtratus, vel ſeniores locorum convenirent. Atque ut una omnium agendi ratio eſſet, Conventionis forma omnium conſenſu firmata eſt. Forma autem, qua Donaſtitas interpellare debebant Epiſcopi catholici, quamque Lætus notarius legit, hæc præcipue continebat, ſe ſcilicet charitatis inſtinctu unitatem diligere, hanc ob rem Donatiſtas rogabant, ut legatos eligerent, cum quibus de ſchiſmate, cui jamdiu inhærebant, differere poſſent, eoſque ut

ut ad eccleſiæ unitatem redirent, enixe hortabantur. *Si enim hoc fraterne acceperitis, veritas facile diluceſcet: ſi autem hoc facere nolueritis, diffidentia veſtra facile innoteſcet* Jesu Chr. an. 403.

25. His geſtis Septimio Proconſuli libellum obtulerunt Carthaginenſes Patres, quo petebant licere ſibi unitatis amore Donatiſtas Epiſcopos convenire, & ut geſtorum acta conficerentur, juberet; hic libellus in collatione poſtmodum Carthaginenſi lectus eſt, & in acta inſertus, cui adjunctum erat Septimii reſcriptum, quo Catholicis Epiſcopis facultas dabatur, ut Donatiſtas Epiſcopos ad unitatem invitarent; & ut delectis ex utraque parte legatis, de tollendo ſchiſmate agerent; atque ut undique rei geſtæ acta conficerentur jubebat, ut ibidem videre eſt.

Libellus Epiſcoporum Septimio Proconſuli oblatus. *Tom. 1. ut ſup. n. 174. pag. 1168.*

26. Ob vulgata non multo ante, quæ inter Maximianiſtas & Donatiſtas geſta fuerant, miſſiſque Epiſcopis, ut eos ad unitatem revocarent, Donatiſtarum plurimi verecundia perfuſi, ad Eccleſiam redibant, multique etiam, ut collatio ab utriuſque partis Epiſcopis haberetur, exoptabant, ut Auguſtinus contra Creſconium ſcribens teſtatur. Quo autem fructu Donatiſtas convenerint catholici Epiſcopi, idem Auguſtinus indicat: *Factum eſt*, inquit, *conventi ſunt, recuſarunt, quibus verbis, quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum eſt demonſtrare*, cum Criſpinus Donatiſtarum partis Calamenſis Epiſcopus a Poſſidio ejuſdem loci Epiſcopo catholico conventus eſſet, *ad concilium veſtrum*, ut narrat Auguſtinus, *primo diſtulerat, pollicens cum collegis ſuis ibi ſe viſurum, quid reſpondere deberet; deinde poſt non parvum tempus, repetita conventione, rurſus apud acta reſpondit. Verba viri peccatoris ne timueris, & iterum in aures imprudentis cave ne quidquam dixeris, ne cum audierit, irrideat ſenſatos ſermones tuos. Poſtremo hanc reſponſionem meam Patriarchali ſermone definio: Recedant a me impii, vias eorum noſſe nolo. Hanc ejus reſponſionem, cum docti, indoctique riderent, quippe hominis dicentis verba viri peccatoris, ſe non timere, cui reſpondere minime auderet &c.* cujus ſententias ſingulatim confutat Auguſtinus, atque reſponſionem fatui hominis dignam oſtendit. Eadem tamen arrogantia & ceteri Donatiſtæ Epiſcopi, a catholicis conventi, reſponderunt; & ne plura in eamdem rem addamus, teſtis eſt Primianus Carthaginenſis Epiſcopus, qui de collatione habenda invitatus, reſpondit! *Indignum eſt, ut in unum conveniant*

Quid Donatiſtæ catholicis reſponderint. *Concil. Carth. Cod. can. Afric. eccl. cap. 67. 69. Auguſt. cont. Creſc. lib. 3. 45.*

*Aug. ut ſup. cap. 46.*

*Matt. 2.*

*Proverb. 13.*

Jesu Chr. an. 403.

*Collat. Carthag. cap. 1.*

Donatiſtæ catholicos vexant; quid paſſus ſit Poſſidius.

*Auguſt. cont. Creſc. lib. 3. 45.*

*Auguſt. ut ſup. cap. 46.*

*veniant filii Martyrum, & progenies Traditorum*, quam reſponſionem per Diaconum ſuum, ſcripto magiſtratui Carthaginis dedit; ſeu, ut ait Auguſtinus, apud acta inſcribi mandavit.

27. Cumque, ut diximus, veritatis lux Donatiſtarum aliquos illuſtraret, & ad unitatem impelleret, aliorum, quos mendacii tenebræ delectabant, *ſolito crebrius Circumcellionum violentiis, turbiſque furentibus, nos a prædicanda veritate catholica, ſuaque fallacia convincenda, deterrere cœperunt.* Quid in Poſſidium Circumcellionum furore armatus egerit Criſpinus Donatiſtarum Epiſcopus, his verbis narrat Auguſtinus. *Cum ergo iſta reſponſio*, a Criſpino catholicis data, *a multis intelligeretur, multis etiam demonſtraretur, quam inanis eſſet, quantum attinebat ad cauſam; quam vero amara & maledica quod non pertinebat ad cauſam*: poſt paucos dies iter agenti Poſſidio alius Criſpinus ejus presbyter, &, ut perhibetur, propinquus, tetendit inſidias armatorum: in quos pene jam noſter inciderat, niſi eis proſpectis atque nunciatis, ad quemdam fundum fugiens divertiſſet; ubi ille nihil auderet, vel non prævaleret, vel ſi quid etiam feciſſet, negare non poſſet. Quo comperto, continuo conſecutus eſt tanta cæcus inſania, ut jam latere turpe arbitraretur. Tunc domum, in qua cum ſuis ſe Poſſidius incluſerat, ſepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri. Incolentium vero multitudo, memor periculi ſui, ſi in eo loco aggreſſum tantum facinus impleretur; partim illum deprecabatur, ut parceret, quem reſiſtendo non audebat offendere, partim vero ignes ſuppoſitos extinguebat, cum ille nihilo ſegnius ſeptis fervidus atque inexoratus inſtaret. Quare cum tandem repetitis ictibus ceſſiſſet janua, ingreſſi ſunt, fauciatiſque cæde jumentis, quæ in inferiore domus parte compererant, de ſuperioribus Epiſcopum depoſuerunt, afficientes plagis & contumeliis; & ne gravius ſævirent, interceſſit ipſe Criſpinus velut aliis rogantibus flexus, quorum non tam videbatur in ira ſua curare deprecationem, quam in facinore teſtimonium formidare. Poſtquam autem hæc vulgata ſunt, qua ratione tam immane Criſpini presbyteri ſcelus vindicaret Criſpinus Calamenſis Epiſcopus expectabatur; at hæc omnia diſſimulavit Criſpinus: quin cum indies Donatiſtarum furor augeretur, itaut omnia minis cœdibuſque replerentur, ad coercendam illorum temeritatem, tamquam hæreticus Proconſuli

ſuſi accuſatus eſt Criſpinus, facillimeque convictus, decem libras auri ( quam mulctam in omnes hæreticos Imp. Theodoſius conſtituerat ) intercedente Auguſtino, non eſt compulſus exſolvere. Cum quo publicam diſputationem habuiſſe Auguſtinum, in ejus vita narrat Poſſidius cap. 12.

Jesu Chr. an. 403.

28. Præ ceteris Africæ Epiſcopis, ut ad eccleſiæ unitatem Donatiſtas revocaret, Auguſtinus verbo & ſcriptis curavit, in quem vice verſa Donatiſtæ, tanquam multa febre frenetici furentes, inſidias ſtruere necemque moliri non dubitarunt. *Seductorem deceptoremque animarum Auguſtinum eſſe, & privatim & publice condemnabant: & ut lupum occidendum eſſe, ac peccata a Deo indubitanter eſſe credendum poſſe dimitti iis, qui hoc facere ac perficere potuiſſent, nec Deum timentes, nec homines erubeſcentes*, ait Poſſidius. Deo autem protegente, inſidias eorum Auguſtinus vitavit. *Aliquoties etiam vias armati iidem circumcelliones contra famulum Dei Auguſtinum obſederunt, dum forte iret rogatus ad viſitandas, inſtruendas, & cohortandas Catholicas plebes, quod ipſe frequentiſſime faciebat*. At Dei providentia evenit, ut ductoris hominis errore, per aliam viam cum ſuis comitibus ſacerdos quo tendebat veniſſet; atque per hunc, quem poſtea cognovit errorem, manus impias evaſit.

Donatiſtæ Auguſtinum occidere tentant. *Poſſid. Auguſt. vita cap. 9.*

*Poſſid. Auguſt. vita cap. 12.*

29. Cum tanta arrogantia colloquium a catholicis Epiſcopis oblatum recuſaſſent Donatiſtarum Epiſcopi, & inter eos Proculejanus Hipponenſis ab Auguſtino ſemel iterumque rogatus, Auguſtinus ad Donatiſtarum laicos epiſtolam dedit, qua catholicæ Eccleſiæ nomine eoſdem ad unitatem invitavit, ac Donatiſtas laicos rogavit, ut Præſules ſuos desererent, quandoquidem cum catholicis nollent in colloquium venire. Hinc ait: *Si lupi concilium fecerunt, ut paſtoribus non reſpondeant, quare oves conſilium perdiderunt, ut ad luporum ſpeluncas accedant?* Eos itaque rogavit, ut ad ſolvendas difficultates, quas iiſdem catholici proponebant, urgerent, viderentque in hac ipſa recuſatione indubitatum erroris argumentum contineri. Sed de his hactenus, cetera ſequentibus annis videbimus.

Auguſtini epiſtola ad laicos Donatiſtas. *Epiſt. 76.*



Digitized by Google

### JESU CHRISTI AN. 404. INNOCENTII PAPÆ 4. ARCADII IMP. 22. ET 10. THEODOSII JUN. 3. COSS. HONORIO AUG. VI. ET ARISTANETO.

*Honorius Ovans Romam ingreditur, ſpectacula, & ludos celebrat.*

*Claud. de 6. Honorii conſul.*

1. Anno proximo, Honorius Imperator Ravenna digreſſus, Romam venerat, cujus iter per littora maris Adriatici, & Apenninos montes Claudianus in carmine de ſexto Honorii conſulatu deſcribit. Kal. vero Januarii magna cum pompa ovans urbem ingreſſus eſt, ac ſpectacula, ludoſque magno cum apparatu celebravit, quibus etiam Cœlum faviſſe teſtatur; nam cum paucis ante diebus pluiſſet, Kal. Januarii ſerenitas rediit. Hinc poeta:

*Ipſe favens votis, ſolitoque decentior aer,*
*Quamvis aſſiduo noctem fœdaverat imbre,*
*Principis & ſolis radiis deterſa removit*
*Nubila; namque ideo pluviis turbaverat omnes*
*Ante dies, Lunamque rudem madefecerat Auſter;*
*Ut tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum.*

*Bar. an. 404. n. 1. & 2. Pag. n. 1. ad hunc ann. diſſert. Hypat. part. 3. cap. 10. n. 7. & 8. Murat. Baſnag. hoc an.*

*Zoſim. lib. 2.*

Gladiatorum ſpectaculis, ludiſque ſecularibus, annum, & religionem violaſſe Honorium luget Baronius; eoque ſcelere urbis excidium ſollicitaſſe tradit. At etſi ludos Romæ hoc anno celebraverit Honorius, eoſdem tamen ſeculares fuiſſe, quales olim centeſimo quolibet anno juxta ethnicam ſuperſtitionem edebantur, nullibi conſtat: quin eos ab Honorio prohibitos fuiſſe cum Pagio adnotant eruditi viri, atque ob ſpretos ſeculares ludos innumeras in Rempublicam calamitates derivaſſe ſcriptores ethnici ſomniarunt. Audiatur Aurelius Victor de Cæſaribus, qui de Philippo Imperatore agens, addit: *Et quoniam nomen admonuit, noſtra quoque ætate poſt mille centeſimus, conſule Philippo, exceſſit, nullis uti ſolet ſolemnibus frequentatus. Adeo indies cura minima Romanæ urbis!* Victori accedit Zoſimus, qui ex ludorum ſecularium intermiſſione horrendas in calamitates Imperium incidiſſe luget, adnotans: *Iiſdem vero ludis neglectis, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget.* Porro ſi ludos ſeculares Honorius hoc anno Romæ celebraſſet, calamitatum in orbem Romanum irruentium cauſam non ex ludorum omiſſione quæſiiſſet

ſet Zoſimus, hinc & commode explicanda ſunt Claudiani carmina, quibus ſeculares ludos Honorium edidiſſe Baronio perſuaſit, ut apud Pagium præcipue videre eſt.

2. Cruenta tamen gladiatorum ſpectacula Romæ hoc anno coram Honorio Imp. edita fuiſſe, vix dubitamus, de quibus Claudianus cecinit:

Honorius gladiatorios ludos prohibet. *Claud. De 6. Honorii conſul. v. 625.*

> *Et pulchras errorum artes, jucundaque Martis*
> *Cernimus; inſonuit cum verbere ſigna Magiſter,*
> *Ferreus alterno concentus plauditur enſe;*
> *Una omnis ſubmiſſa phalanx, tantæque ſalutant*
> *Te, Princeps, galeæ.*

Eadem quidem ſpectacula, utpote a pietate aliena, quia & ab humanitate abhorrentia, prohibuerat Conſtantinus M. anno 325. lege Berithi edita, aliique Imperatores confirmaverant; at etſi ea prohibita fuiſſent, ſæpe tamen repetebantur, cum tanta ethnicorum, & præcipue Romæ, eſſet in ea ſpectacula propenſio; hinc in toto Romano Imperio eadem uſque ad hunc annum ſæpe frequentata fuiſſe ſcimus. Libanius Antiochiæ ea ſe vidiſſe, cum quindecim annorum eſſet, ideſt circa annum 328. narrat in libro de vita ſua; in Italia eoſdem ludos viguiſſe ſua ætate docet Ambroſius; idemque teſtatur Symmachus, & cum eo Auguſtinus, qui de Alypio ait: *Gladiatorii ſpectaculi inhiatu incredibiliter abreptum* fuiſſe; poeta etiam chriſtianus, ideſt Prudentius, eadem ſpectacula hoc tempore edita fuiſſe, teſtis eſt, dum poſt decantatam Pollentinam victoriam Honorium hortatur, ut cruentas populorum delicias prohiberet:

*Cod. Theod. de gladiat. leg. 1.*

*Ambroſ. de offic. lib. 2. cap. 21.*
*Symmach. epiſt. lib. 2. n. 48.*
*Aug. Confeſſ. lib. 2. 8.*

> *Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam,*
> *Quodque patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto:*
> *Ille urbem vetuit taurorum ſanguine tingi;*
> *Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari;*
> *Nullus in urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas.*

*Prudent. In Symmach. lib. 2.*

Prudentii votis quamprimum ſatisfecit Honorius, cui hæc laus debetur, ut gladiatorios ludos penitus aboleverit, qua vero de cauſa id juſſerit, narrat Theodoritus. Cum etenim Telemachus quidam monachus ab Orientis partibus profectus Romæ eſſet, cum deteſtandum illud ſpectaculum ederetur, ipſe quoque in am-

*Theod. lib. 5. 26.*

Jesu Chr. An. 404.

amphitheatrum perrexit, & in arenam deſcendens, gladiatores, qui inter ſe pugnabant, compeſcere conabatur. Sed cruentæ cœdis ſpectatores eam rem ægre ferentes, in furorem acti monachum lapidibus obruerunt. Quo cognito Honorius: *Hunc quidem inviƈtiſſimorum Martyrum numero adſcripſit: tetrum vero illud ſpeƈtaculum penitus abolevit*.

Eudoxia Auguſta in Chryſoſtomum iterum iraſcitur. *Pallad. vita Chryſoſt. p. 30. tom. 12. Bar. hoc an. n. 3. Pag. nor. Baſnag. h. an.* Eudoxiæ ſtatua juxta eccleſiam erecta. *Socrat. lib. 6. 18.*

3. Vix a mota adverſus ſe perſecutione reſpiraverat Chryſoſtomus, cum *poſt duos menſes*, ut habet Palladius, *denuo adverſus Joannem fremunt* adverſarii ejus; quæ autem cauſa præceſſerit, cur urgente Eudoxia Auguſta, in Cucuzum Armeniæ oppidum pelleretur, narrant hiſtorici. Anno elapſo *Coſſ. Theodoſio juniore, & Rumorido*, ait Marcellinus, & Proſper in chronico, *Eudoxiæ Arcadii uxoris, ſuper porphyreticam columnam argentea ſtatua, juxta eccleſiam poſita, haƈtenus ſtit*. De Eudoxiæ ſtatua prope eccleſiam erecta idem narrat Theophanes; Socrates vero addit: *Argentea ſtatua Eudoxiæ Auguſtæ ſupra columnam purpuream erecta fuerat, amiƈta muliebri ſtola, ſtabat hæc in edita baſi, nec admodum contigua eccleſiæ, quæ Sophia cognominatur; nec ab ea procul diſſita, ſed inter utramque media dumtaxat plateæ via interjeƈta erat. Ad eam ſtatuam popularium luſus celebrari conſueverant*, atque ut addit Theophanes, Præfectus urbis Manichæorum hæreſi, & ethnicorum ritibus addictus, ut eccleſiæ injuriam faceret, plebem excitabat. Quod cum ægerrime ferret Chryſoſtomus verbis ipſum vehementer inſectatus eſt. Is vero Eudoxiam in Joannem, quaſi ejus imaginem communi populi cultu honorari indignaretur, commovit. Hinc rurſus odia, & muliebris in Joannem ira. Quanta autem pompa, ſumptibus, & adulatione, quin & ſacrilega ſuperſtitione Imperatorum ſtatuæ erigi ſolerent, oſtendit Gothofredus in commentario ad legem primam Codicis Theodoſiani, qua anno 425. Theodoſius junior, ejuſmodi plebis petulantiam, & ſuperſtitionem lege lata repreſſit, omnemque ſuperſtitionis ſpeciem prohibuit; inter cetera: *Excedens cultura hominum dignitatem ſuperno Numini reſervetur. Data &c.* Cum autem adverſus ludicra cujuſcumque generis ſpectacula infenſus animo eſſet Chryſoſtomus; quanto exarſiſſe zelo putandum eſt, cum eadem prope eccleſiam, & in eccleſiæ injuriam, tanto apparatu, & ſtrepitu celebrari vidit, ita ut & eorum cauſa a pſalmorum cantu, ſacriſque peragendis ceſſandum eſſet. Socrates quidem ſe Chryſoſto-

*Cod. Theod. l. 1. de imag. Imp.*

foſtomi zelum improbare non diſſimulat; ait enim: *Cum blanda oratione debuiſſet Principibus perſuadere, ut ab hujuſmodi ludicro abſtinerent, iſtud quidem non præſtitit, ſed eloquentiæ ſuæ impetu abreptus, probris eos appetiit, qui iſta fieri præceperant. Hoc factum Auguſta iterum ad ſe rapit: & Joannis verba contumeliam ſuam reputans, rurſus Epiſcoporum ſynodum adverſus illum congregari curat.* Quid cum Eudoxia, aut Arcadio, ea de cauſa egerit Chryſoſtomus non conſtat; injuria tamen a Socrate, & Baſnagio Chryſoſtomum argui, vel ex eo ſcimus, quod, teſte Theophane, Præfectum urbis hujuſcemodi ſpectaculis, ludiſve præpoſitum admonere, & quidem acriter Joannes non omiſit.

*Socrat. ut ſup.*

*Baſnag. an. 404. n. 4.*

4. Cum in Joannem infenſo eſſet animo Eudoxia, iterumque in eum fureret, ut altera adverſus Chryſoſtomum ſynodus congregaretur, juſſit. *Mittunt* itaque *Alexandriam ad talium artificem Theophilum, ſcribentes, aut rurſus accurre adverſus Joannem dux futurus, aut ſi plebem reformidas*, quam ſibi infenſam alias expertus fuerat, *nobis modum quemdam ſuggere, unde ſumamus exordium*. Ad hæc Theophilus quidem CPolim non venit, miſit autem tres miſerabiles Epiſcopos, Paulum, Pœmenem, & alium recens ordinatum, cum iis miſit, & quoſdam canones, quos adverſus B. Athanaſium Ariani conflaverant; is erat canon quartus concilii Antiocheni anni 341. celebrati, quo cautum erat, ut ſi quis Epiſcopus ſede ſua Epiſcoporum ſententia dejectus, nulla ſynodi præcedente ſententia, in ſuam rediiſſet eccleſiam, abſque ſpe ſuo loco moveretur.

Synodus adverſus Chryſoſtom. congregatur. *Pallad. tom. 12. p. 30. Chryſoſt. vita.*

5. Ejuſmodi probato conſilio, dum CPoli expectarentur Epiſcopi, *e Syria, Cappadocia, Ponto, & Phrygia, univerſis Metropolitanis. & Epiſcopis*, Chryſoſtomus qui Eudoxiæ, adverſariorumque ſuorum odia perſpecta habebat, coram frequentiſſimo populo, ſi fides Socrati, & Sozomeno habenda eſt, eam orationem habuit, quæ ſic incipit: *Rurſum Herodias furit &c.* quam, etſi ſpuriis accenſeat Montfoconius, antiquiſſimam tamen, & Socratis, & Sozomeni ætate Chryſoſtomo inſcriptam fuiſſe fatetur, quorum auctoritate Chryſoſtomo adjudicarunt eruditorum plurimi, etſi alii ut ſpuriam habuerint, & merito, ut apud Tillemontium videri poteſt. Hæc autem hactenus dicta anno præcedenti contigiſſe ſcimus, nam his narratis ſubdit Socrates: *Interea cum Natalis dies Salvatoris illuxiſſet, Imperator*

Joannis homilia in Eudoxiam, an genuina ſit. *Pallad. ut ſup. p. 31. Socrat. lib. 6. 18. Sozom. lib. 8. cap. 20. Chryſoſt. tom. 8. append. p. 1. Tom. 12. p. 151. Baſnag. an. 404. 4.*

Jesu Chr.
an. 404.

*Fleuri hiſt. eccleſ. lib. 21. cap. 33. Tillemt. tom. 11. n. 79. in Chryſ. Dupin. aliique. Socrat. ut ſup. Cod. Theod. tit. de his, qui ſuper relig. contendunt l. 4.*

*rator ad eccleſiam, ſicut conſueverat, non proceſſit: ſed Joanni mandavit, ſe non prius communicaturum cum illo, quam illata ſibi crimina diluiſſet, &c.* De ſynodo vero, & ſententia in Joannem hoc anno lata, *Paſchæ die appropinquante* ea geſta eſſe ſubdidit. Cum igitur Joannis exauctoratio immineret, ne ea de cauſa CPolitana plebs, quam Joanni impenſe favere experimento etiam didicerat, tumultuaretur, legem hujus anni initio ad Anthemium officiorum magiſtrum dedit, qua cunctos officiales, qui ſub eo militabant, ſub religionis prætextu tumultus excitare prohibuit.

Epiſcopi contra Joannem congregati inter ſe diſſentiunt.

*Socrat. lib. 6. 18.*

*Pallad. vita Chryſoſt. p. 31. tom. 12.*

6. Ut CPolim advenerunt Epiſcopi, Leontius Ancyræ, Ammonius Laodiceæ, Briſo Philipporum Thraciæ, Acacius Bereæ, & alii, qui Joannem accuſaverant, priſtinæ in eum accuſationes renovatæ ſunt. Chryſoſtomus fidenti animo poſtulavit, ut de criminibus ſibi objectis inquirerent. Interea cum *juxta canonum ordinem Epiſcopi cum Joanne communicarent, Principes ægre tulerunt eorum cum Joanne communionem, & Theodorus quidem Tyanorum Epiſcopus, vir ornatus, intellecta conſpiratione ex his, quæ ad ejus aures venerant, ne Theophili temeritatem ſequeretur, inſalutatis relictis omnibus eccleſiam ſuam repetiit,* ne a Joannis communione reſilire cogeretur. Econtra in Theophili conſpirationem tranſierunt Pheretrius Cæſareæ, quæ eſt ad Argeum, Epiſcopus, per litteras ſe cum adverſariis Joannis conſentire ſignificans; Leontius vero Ancyræ Galatiæ Epiſcopus conjunctus eſt cum Ammonio Epiſcopo Laodiceæ, iique tum Principum minis, cum Imperialium donorum ſpe decepti, Acacio, & Antiocho ſuggerunt, ut valeret Theophili judicium, & nullomodo locus daretur Joanni defenſionis, allegatione canonum a Theophilo miſſorum, *quos compoſuerant quadraginta de Arii communione* in Antiochena ſcilicet ſynodo anni 341. habita contra Athanaſium, quo cautum fuerat: *Si quis Epiſcopus aut presbyter, jure aut injuria depoſitus, per ſe redeat ad eccleſiam abſque ſynodo, talis non habeat amplius locum defenſionis, ſed abſolute expellatur.*

De auctoritate canonis Epiſcopi diſſident.

*Pallad. ut ſup. ſup. pag. 32.*

7. Quare Ammonius & Leontius, conjuncti Acacio, Antiocho, Cyrino Chalcedonienſi, ac Severiano Imperatorem adeuntes rogabant, ut ex Antiocheni canonis auctoritate Joannem ſua ſede exturbaret. Qui vero cum Joanne convenerant Epiſcopi, numero quadraginta, nullius auctoritatis eum canonem

eſſe

Digitized by Google

eſſe, utpote ab Arianis contra Athanaſium conditum demonſtrabant; & ad Imperatorem ingreſſi Elpidius Epiſcopus Laodiceæ Syriæ, ſenex & mente & canitie, atque Tranquillus, Imperatori dixerunt, non oportere indicta cauſa ejici Joannem, qui injuria depoſitus fuerat, neque ſua ſponte red erat, ſed ipſius Imperatoris juſſu, miſſo ad id Notario. Cum autem Joannis adverſarii inordinate altercari pergerent, Elpidius, modica facta quiete, Imperatori dixit: *Ne diutius manſuetudinem tuam vexemus, ſed unum id fiat. Subſcribant fratres noſtri Acacius & Antiochus, ejuſdem eſſe ſe fidei, ac eos qui canones ediderunt, quos tanquam ab orthodoxis editos proponunt: & ſoluta controverſia eſt*. Conditionis æquitatem, vel ipſe Imperator agnovit, neque Severianus ejuſque ſocii eam recuſare auſi ſunt, nihilominus ſubſcribere renuentes, id tantum ab Imperatore poſtularunt, ut Joannem ſua ſede exturbaret. Quare Arcadius eorum importunitate victus, Joanni denunciat, ut eccleſia egrediatur. At ille: *Ego a Deo ſervatore accepi Eccleſiam hanc, ut curam geram ſalutis populi, nec poſſum eam relinquere. Si autem id vis, ( ad te enim civitas pertinet ) vi me ejicito, ut deſerti ordinis excuſationem habeam tuam auctoritatem. Ita cum verecundia quadam mittentes ex palatio, eum expulerunt, jubentes interim, ut in domo Epiſcopali maneret*. *Pallad. p. 83.*

8. Cum vero bimeſtri ſpatio domi ſe continuiſſet Joannes, tandem Imperatoris præcepto juſſus eſt in exilium duci. *Quidam autem ex Joannitis eo ipſo die eccleſiam incenderunt. Quæ dum arderet ſubſolano vento vehementius flante, Curia etiam, in qua Senatus haberi ſolet, conflagravit. Id accidit duodecimo die Kal. Julii Honorio ſextum, & Ariſteneto Coſſ. Porro quibus malis Optatus Præfectus urbis CPolitanæ, religione gentilis, atque ideo Chriſtianis infenſus, Joannis amicos propter hoc incendium, affecerit, & quomodo multos eorum capitali animadverſione ſuſtulerit, omittendum puto* ait Socrates. At quæ ſilentio involvenda cenſuit Socrates, ex Palladio ſcimus, de quibus mox ſermo fiet. Interea cum Imperator tum diei ſanctimoniam, tum civitatis motum vereretur, eaque de cauſa Acacio, & Antiocho dixiſſet, *videte ne non recte conſulueritis*; illi Imperatori dixerunt: *Imperator ſupra caput noſtrum ſit Joannis depoſitio*, qua cautione accepta, tandem Joannem eccleſia exturbandum juſſit. Epiſcopi autem qui cum Joanne erant quadraginta, *adierunt Auguſtum, atque Auguſtam in martyriis,*

Joannes in exilium ejicitur.

*Socrat. lib. 6. 18.*

Jesu Chr. an. 404. *orantes cum lacrymis, ut Chriſti eccleſiæ parcerent, maxime propter Paſcha, & propter eos qui regenerandi erant, cum jam catechizati eſſent*: ſed non ſunt auditi, *ita ut S. Paulus. Epiſcopus Cratiæ, imperterrita fiducia diceret: Eudoxia, Deum time, tuorum te liberorum miſereat, neque viola ſanctam Chriſti ſolemnitatem ſanguinis effuſione*. At repulſam paſſi, cum lacrymis, & mœrore diſceſſerunt. Joannis vero Presbyteri in publico lavacro, quod Conſtantinianum vocant, convocatis populis, vigilias agebant; alii Scripturas divinas legentes, alii catechumenos baptizantes, ut par eſt *propter Paſcha*, ait Palladius; deinde ea ſubdit immania, & horrenda, quæ ipſa adveniente Paſchali feſtivitate facta ſunt.

Militum impetus adverſus fideles, ſtrages, & ſacrilegia patrata. *Pallad. ut ſup.* 33.

9. Nam cum Antiochus, Severianus, & Acacius Epiſcopi, clerum, populumque CP. eorum averſari communionem viderent, atque in Thermis congregationem facere, urbis Præfectum adeuntes, rogarunt, ut CP populum ab eodem conventu arceret. *Renuit* Præfectus dicens, *nox eſt, atque ingens eſt multitudo*. Acacius vero: in eccleſia nemo manſit, addidit, ac timemus, ne Imperator eccleſiam ingreſſus, plebis erga Joannem benevolentiam ſentiat, noſque ut invidos, mendaceſque condemnet; qui eidem promiſimus, neminem eſſe, qui ſponte Joanni adhæreat. Qua oratione commotus Magiſter militum, conteſtatus eis, quæ eventura erant, Lucium quemdam ethnicum miſit, admonens, ut moderate ſe gereret, ac populum convocaret. Profectus itaque Lucius cum populi ardorem, & frequentiam vidiſſet, quæ ſine tumultu, & cædibus ejici non poterat, re infecta rediit; at Lucium enixe rogavit Acacius, ut precibus, aut adhibita vi plebem ad eccleſiam adduceret, vel ſaltem impediret, ne feſtum in Thermis celebraret. *Hic ergo aſſumptis ſecum clericis ex parte Acacii, egreſſus eſt ſecunda vigilia noctis, ad id propter quod miſſus erat*, ideſt, ut populum ab eo feſto celebrando exturbaret, locoque abigeret. Sed:

Æneid. lib. 2. v. 361.

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
*Explicet, aut poſſit lacrymis æquare labores?*

Nam impetu in eccleſiam repente cum militibus facto, uſque ad baptiſterium penetravit, ut eos qui initiabantur ejiceret. Et in Diaconum procaciter irruens, ſymbola effudit: Presbyteros

ros vero grandævos fuſtibus in capite feriens, ſacrum fontem cruore conſperſit. Unde factum eſt, ut mulieres, quæ baptiſmatis cauſa veſtes exuerant, nudæ aut conſciſſis veſtibus aufugerent. Presbyteri vero & Diaconi capti in carcerem conjecti ſunt: qui autem ex populo honoratiores erant, urbe regia expulſi ſunt. Deinde edicta alia ſuper alia publice proponebantur, varias minas continentia, niſi ab Joannis communione receſſiſſent. Die altera Urbe egreſſus Imperator, cum in vicino campo, circa Quintum, candidatorum turbam vidiſſet, ſtupefactus adſpectu coloris nuper baptizatorum, (erant enim ad tria ferme millia) ſatellites rogavit, quinam eſſet illic congregatorum cœtus. Illi autem dixerunt hæreticorum eſſe; quare ira inflammatus, milites ad eam turbam diſſipandam doctoreſque comprehendendos miſit. Cum iis detentæ ſunt illuſtrium virorum conjuges, virgines etiam ut in occurſu tumultuario accidere ſolet; nec ſine injuria, verberibus, aut plagis, alii detenti ſunt, vel fuga evaſerunt, ut narrat Palladius.

Altera militum irruptio in Neophitos.

*Socrat. lib. 6. 18.*
*Sozom. lib. 8. 21.*

10. Ut de Chryſoſtomi abdicatione triumphum Theophilus ageret, epiſtolis ſuis Innocentium Pontificem monitum voluit; Chryſoſtomus etiam cum indies majores turbas excitari videret, primam epiſtolam ſuam cum perhonorifica trium epiſcoporum legatione ad eumdem miſit, auxilium ab eo poſtulans; de quibus locupletiſſimus teſtis eſt Theodorus Rom. eccleſiæ Diaconus in dialogo cum Palladio, qui de geſtis ab Innocentio Papa in eam cauſam adnotat, quod cum primus Romam adveniſſet Alexandrinus lector cum Theophili litteris, in quibus referebat ſe depoſuiſſe Joannem, Papa Innocentius temeritatem Theophili atque ſuperbiam exhorruit, quod ſolus ſcripſiſſet, nec claram ejus rei notitiam miſiſſet, aut cnr, aut quibus aſſumptis ſociis Joannem depoſuiſſet; hinc dubins animo hærebat, reſcribere nolens ob rei geſtæ levitatem. Interea Euſebius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconns, qui tunc Romæ erat eccleſiaſticarum rerum cauſa, adito Pontifice rogavit, ut modicum temporis expectaret; fore enim, ut brevi factionem patefactam videret. Poſt triduum vero advenerunt quatuor Epiſcopi e partibus Joannis, viri religioſi, Panſophius Piſidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius Galatiæ ſecundæ, Eugenius Phrygiæ, qui tres epiſtolas reddiderunt, unam quidem Joannis Epiſcopi, alteram quadraginta Epiſcoporum, qui cum Joanne communicabant, tertiam vero cleri CPolitani. Prima epiſtola Joannes quæ-

Theophilus, & Chryſoſtomus ad Innocentium ſcribunt.

*Pallad. vita Chryſoſt. pag. 4.*

*Coutan. p. 771.*

quæcumque adverſus eum tentaverat Theophilus, ordine exponit, de ſua ſcilicet depoſitione, & exilio, cum primum CPolim Theophilus venerat; deinde ea, quæ iterum poſt ſuum reditum, & reſtitutionem ſubſecuta fuerant, cum iterum ipſum per vim ab eccleſia ſua ejiciendum curaverat; atque violentam in eccleſiam, & in baptiſterium irruptionem factam addit, iis omnino conſentientia, quæ ſupra ex Palladio narravimus; cumque ibidem ſubſiſtat Chryſoſtomus, neque ea ſubdat, quæ poſt Pentecoſtem ſubſecuta ſunt, cum iterum Theophili, ſociorumque factione, in exilium, unde ultra non rediit, ejectus eſt, manifeſte patet, intermedio tempore, quod Paſchale feſtum, & Pentecoſtem intercedit, eam epiſtolam Chryſoſtomum ſcripſiſſe: quam etſi præcipue ad Innocentium Pontificem dederat, ad Venerium tamen Mediolanenſem Epiſcopum, & Chromatium Aquilejenſem quoque miſiſſe Palladius adnotat, ac ipſa Chryſoſtomi verba teſtantur; nam ut ſibi, eccleſiæque CPolitanæ opitularentur, eos enixe precatur his verbis: *Igitur Domini mei maxime venerandi, & religioſiſſimi, cum hæc ita ſe habere didiceritis, eam, quæ vos decet, fortitudinem, & ſtudium quæſo oſtendite, ut tanta iniquitas, quæ Eccleſias invaſit, reprimatur &c.* ac cum multa de injuſta Theophili ſententia adverſum ſe lata expoſuerit, in eccleſiaſtico judicio juxta canonum auctoritatem cauſam ſuam agere ſe paratum eſſe ſignificat.

*Pallad. pag. 9. Conſtan. pag. 787.*

Quid Innocentius Theophilo reſcripſerit. *Pallad. Chryſoſt. vitæ pag. 10.*

11. Cum utriuſque partis litteras accepiſſet Innocentius, quid in ea cauſa egerit, idem Theodorus his verbis refert: *Ad hæc beatus Innocentius Papa utrique parti pares litteras communionis miſit, improbans judicium, quod a Theophilo factum videbatur; dicens debere aliam cogi ſynodum irreprehenſibilem Occidentalium, & Orientalium.* Cum paulo poſt presbyter quidam Theophili Petrus adveniſſet cum Martyrio CPolitano diacono, ac ejus litteras, & quoſdam actorum commentariolos exhibuiſsent, iis perlectis, Papa Innocentius, cum comperiſſet nullas graves eſſe accuſationes, neque Joannem adfuiſſe, neque coram reprehenſum fuiſſe, Theophili furorem exſibilare perſtitit, quod contra abſentem tam præcipitem, & abruptam ſententiam effudiſſet. *Dimiſſis igitur illis cum increpatoriis litteris, precabatur Deum ſupplicans cum jejunio, ut ſedaretur quidem Eccleſiæ diſcordia, fraternus vero amor compingeretur. Erat autem epiſtolæ tenor hic. Frater Theophile, nos qui-*

Digitized by Google

*quidem habemus te & fratrem Joannem nobis communicantes, ut & in prioribus litteris mentem noſtram manifeſtam fecimus, ac ne nunc quidem ab eo propoſito deſiſtentes, rurſus eadem tibi ſcribimus, & quotieſcumque ad nos miſeris: quod niſi congruum judicium ſubſequatur in his, quæ per ludibrium geſta ſunt, fieri non poteſt, ut ſine ratione a Joannis communione diſcedamus. Tu igitur, ſi judicio confidis, ſiſte te ad ſynodum, quæ ſecundum Chriſtum cogitur; & ibi expoſitis criminationibus ſub teſtibus Nicæni Concilii canonibus ( alium enim canonem Romana non admittit Eccleſia) irrefragabilem ſecuritatem habebis.*

Sicarii ad Chryſoſtomum occidendum immiſſi. *Sozom. lib.* 8. 21.

12. Tantus autem adverſariorum Chryſoſtomi furor fuit, ut non ſolum Imperatorem, & Auguſtam in eum concitaverint, ſed etiam immiſſis ſicariis occidere tentaverint, ut narrat Sozomenus. Inter eos quidam ſe dæmoniacum ſimulans, pugionem habens, tanquam ad Joannem occidendum paratus, ad Præfectum urbis perductus eſt. Sed Joannes, miſſis quibuſdam Epiſcopis, hominem liberavit priuſquam tormentis ſubjiceretur. Servus deinde Elpidii presbyteri aperte effuſo curſu in ædes Epiſcopales irrupit; quem cum quidam ex iis, qui forte illic aderant, agnoviſſet, impetum ejus repreſſit, cauſam curſus interrogans; ille autem protinus hominem ſica percuſſit, alterum deinde, qui priore percuſſo inclamaverat, ſimiliter vulneravit: tertium etiam percuſſit. Tandem vero cum omnes, qui aderant, commoti clamorem ingentem ſuſtuliſſent, ille averſus fugere cœpit. Et cum ii, qui illum perſequebantur, procul poſitis inclamarent, ut fugientem comprehenderent, accurrens quidam, hominem apprehendit; at letali vulnere ab eo percuſſus, exanimis concidit. Ad extremum a populo undique circumdatus, ægre admodum captus, ductus eſt in palatium. Teſtatique cives has eſſe inſidias inimicorum Joannis, clamabant, & ſicarium & eos qui illum ad hoc incitaviſſent, pœnas dare oportere. Præfectus autem urbis, cum eum tanquam judicaturus accepiſſet, populi furorem compeſcuit; ſicarium vero ab adverſariis Joannis quinquaginta aureis conductum fuiſſe, ut eum interficeret, narrat Palladius, ac ſeptem ex iis, qui ipſum apprehenderant percuſſiſſe, addit, quorum quatuor continuo ſepulti ſunt, tres vero poſt diuturnam curationem ſalvi evaſere.

Chryſoſtomus in exilium deportatur. *Sozom. lib.* 8. 22.

13. Improborum animo detecto, *qui ferventiores erant ex plebe*, ait Sozomenus, *Joannem cuſtodire cœperunt*, noctu, die-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 404.

*Socrat. lib. 6. 18.*

*Pallad. vita Chryſoſt. tom. 13. pag. 35.*

dieque Epiſcopalem domum alternis vicibus circumſidentes: quod ægre ferentes ejus inimici, Epiſcopi ſcilicet, qui eum damnaverant, cum *bimeſtri ſpatio* Joannes *in publicum* non prodiiſſet, *Imperatoris tandem præcepto, juſſus eſt in exilium duci*. Nam Acacius, Severianus, atque Cyrinus Imperatorem adeuntes, ut Joannem in exilium ageret, hortati ſunt: *Ne ſis*, inquiunt inter cetera, *presbyteris mitior, nec Epiſcopis ſanctior. Diximus tibi coram omnibus: In caput noſtrum Joannis depoſitio ſit*. Quare Imperator horum ſermone excitatus, Patricii Notarii opera Joanni denunciat, ut eccleſia egrederetur. Is vero deſcendens ad Epiſcopos ſecum congregatos: *Venite oremus, & Angelo eccleſiæ valedicamus*; ac admonitus Lucium quemdam cum militibus adeſſe, ut eum armata manu, vi inde abduceret, timens ne tumultus inter milites & populum excitaretur, cum lacrymis aliquos ex Epiſcopis oſculatus, *Manete*, inquit, *hic interim, ut profectus modicum quieſcam*, ac ingreſſus baptiſterium, Olympiadem vocavit, quæ ab Eccleſia non diſcedebat, ac Pentadiam & Proclam Diaconiſſas, & Silvinam beati Nebridii uxorem, quibus adſtantibus dixit: *Venite o filiæ, audite me: Quæ ad me attinent, finem ut video habent: curſum meum conſummavi, & forte vultum meum non amplius videbitis*. Eaſque hortatus eſt, ne ulla ex cauſa ab eccleſia ſe divelli paterentur, quin ut Epiſcopo, qui in ejus locum ordinatus fuiſſet, caput ſubmitterent; cumque ſanctæ fœminæ ejus pedibus provolutæ, tantam calamitatem profuſis lacrymis lamentarentur, Chryſoſtomus innuens cuidam ex Presbyteris ait: *Tolle eas hinc, ne populum perturbent*. Iiſque dimiſſis, eccleſia ſecreto egreſſus eſt, populum, qui eum alio loco, ubi jumentum ſuum ſtare juſſerat, expectabat, ea arte fallens. Egreſſus eſt autem die 20. Junii labentis anni, & navigio impoſitus, Nicæam Bythiniæ ductus eſt, ubi uſque ad diem quartam Julii manſit, ut Sozomenus, ipſeque Chryſoſtomus narrat, qui & addit perhumaniter ab iis, qui in exilium ducebant, tractatum fuiſſe: *Ii, a quibus in exilium avehimur, curam omnem, & ſtudium etiam ſupra quam volumus, adhibent, ut nos recreent, ac reficiant, eaque in re operam navant. Cum autem Nicæa diſceſſurus eſſem, hanc epiſtolam ad te dedi tertia die Julii*; die vero ſequenti Nicæa diſceſſiſſe narrat in epiſtola ad Conſtantium presbyterum: *Nicæa quarto menſis Julii die ſoluturus, haſce ad pietatem tuam dedi litteras &c.*

*Sozomen. ut ſup.*

*Chryſoſt. epiſt. 10. ad Olymp. tom. 3. p. 590.*

*Epiſt. 221. p. 720.*

Una

Una cum Joanne Cyriacus, & Eulyſius vincti in Bithyniam ducti ſunt, de eccleſiæ incendio apud Præfectum accuſati; Cyriacus tamen & Eulyſius, cum reliquis clericis, in exilium perducti, innocentes poſtea pronunciati, dimiſſi ſunt, ait Palladius. Joannes vero Cucuſum Armeniæ oppidum Iſaurorum infeſtatione frequentatum, ut trucidaretur, ductus eſt.

JESU CHR. AN. 404.

Pallad. Chryſoſt. vita pag. 37.

14. Vix urbe diſceſſerat Chryſoſtomus: *Nonnulli ex ejus inſidiatoribus*, ait Sozomenus, *prævidentes, ſi populus id ſenſiſſet, fore ut inſequeretur, ac rurſus eum redire cogeret, fores Eccleſiæ occludere properarunt. Porro qui in plateis erant, cum hæc cognoviſſent, alii ad mare cucurrerunt, tanquam eum aſſecuturi, alii metu conterriti, fugam arripuerunt*. Dum hæc agerentur, ac cuncta tumultu plena eſſent, ignis repente exortus, Eccleſiam undequaque corripuit: & cum univerſam percucurriſſet, ædem quoque ampliſſimam Senatus, quæ illi ad meridiem vicina erat, combuſſit. Cujus rei culpam ſibi mutuo adſcribebant: Joannis quidem inſidiatores, accuſando fautores illius, quod Synodi judicium moleſte tuliſſent; iſti vero calumniam ſe pati aſſeverantes, ſibique imputari facinus illorum, qui ipſos una cum Eccleſia incendere voluiſſent. Eamque ob cauſam Joannis amici variis miriſque modis vexati ſunt; nam ut idem Sozomenus ſubdit: *Alii Epiſcopos & clericos, qui una cum Joanne profecti fuerant, Chalcedonem abductos cuſtodiæ manciparunt. Alii per urbem circumeuntes, eos qui delati fuerant, quod Joanni faverent, comprehenderunt, & in cuſtodiam datos, ut Joanni anathema dicerent, coegerunt*. Ut autem in Joannis amicos ferocius ſæviret Optatus Præfectus urbis, Eccleſiæ incendium in cauſa fuit. Unde Socrates, de urbis Præfecti ſævitia hæc adnotavit: *Quibus malis Optatus Præfectus urbis CP, religione Gentilis, atque ideo Chriſtianis infenſus, Joannis amicos propter hoc incendium affecerit, & quomodo multos eorum capitali animadverſione ſuſtulerit, omittendum puto*; ejus tamen incendii ignotos fuiſſe auctores, atque ſibi mutuo objeciſſe Joannis amicos, & inimicos, Sozomenus adnotat; divinitus vero immiſſum fuiſſe narrat Palladius, nam diſcedente ab eccleſia Joanne: *Una cum eo egreſſus eſt Angelus eccleſiæ, ſolitudinem eccleſiæ non ferens, quam principatus nequam, & poteſtates fecerant*; deinde: *Flamma e media ſede, in qua ſolebat Joannes ſedens eloquia Domini interpretari, viſa, verbi Dei interpretem requirebat, quo non*

Ob Joannis exilium tumultus, & incendia CP. excitantur. Sozom. lib. 8. 22.

Socrat. lib. 6. 18.

Pallad. Chryſoſt. vita p. 36. tom. 12.

Jesu Chr. an. 404.

*invento ſedem depaſcebatur; in altum arboreſcens per catenas ad tectum uſque ſerpſit, atque viperæ inſtar ventre exeſo, ad poſteriora ædificii eccleſiæ ferebatur.*

In incendio Aulæ Senatus mira vis ignis.

15. De incendio autem aulæ Senatus notatu adhuc digniora adnotat Palladius; nam ex eccleſia progrediens ignis Senatus aulam multis paſſibus diſſitam invaſit, intermedias ædes intactas relinquens, ſicuti & ædiculam in qua ſacrorum vaſorum repoſita erat copia, ne locum mentiendi calumniatoribus daretur adverſus Chryſoſtomum, quaſi ipſe pulcherrima diſtraxiſſet. Id etiam mirum fuit, quod in tali ac tanto tumultu, non hominis, non animantis cujuſquam anima periit, ait Palladius. At Zoſimus ethnicus ſcriptor, ſolum a Joannis fautoribus ignem excitatum fuiſſe narrat; eaque occaſione adverſus Joannem, adverſus monachos, & chriſtianos multa adnotat, quæ hoc loco referre non intereſt.

*Zoſim. lib. 5.*

Joannes ſuos in tribulationibus conſolatur.

16. Cumque incendii prætextu Joannis amici, & quotquot in ejuſdem communione perſeverabant, a Theophili factione, atque ab urbis Præfectis, undique vexarentur; Joannes conſolari eos non deſtitit, frequentiſſimas epiſtolas conſolatorias ſcribens, ac præſertim Epiſcopis, & presbyteris in carcere detentis, quibus inter cetera, *Carcerem*, inquit, *incolitis, & catena vincti eſtis, & cum ſquallidis, & ſordidis incluſi: & quid tandem hoc nomine beatius vobis fingi queat &c.* eoſque ad patientiam hortatur, admonens pro pietate ſuſceptas & toleratas tribulationes coronarum eſſe conciliatrices; cujus argumenti quamplurimæ extant ejuſdem epiſtolæ ſcriptæ, dum in itenere adhuc eſſet, aut cum ad exilii locum, ſeu Cucuſum perveniſſet, quas referre, etſi non inutile eſſet, brevitatis tamen ſtudio præterimus.

*Epiſt. 118. tom. 3. p. 659.*

Quæ & quanta in itinere paſ. ſit Chryſoſtomus.

*Epiſt. 120. p. 660.*

17. Quæ autem, quantave in exilio Chryſoſtomus pertulerit, in epiſtola, quam Cæſaræ ad Theodoram dedit, his verbis narrat: *Confecti, atque conſumpti ſumus. Sexcenta mortis genera oppetiimus, idque accuratius ac certius narrare poterunt, qui has litteras tibi reddent: quamvis alioquin perexiguo temporis puncto mecum fuerint. Quibuſcum etiam ne tantillum quidem colloqui potui, continuis nimirum febribus dejectus, quibus cum tenerer, dies noctesque iter facere cogebar, ſic videlicet, ut & æſtu opprimerer, & vigiliis conficerer, & rerum neceſſariarum penuria, eorumque, qui mei curam gerere poſſent, inopia, &c.* Tandem ſe Cæſaræam perveniſſe addit, ubi aliquan-

quantulum ſe recreatum, refectumque fuiſſe, his verbis adnotat: *Quoniam puram aquam bibi, panemque minime fœtidum ac prædurum comedi: quoniam in doliorum fragmentis non ut antea corpus lavi, ſed balneum, qualecumque tandem illud, nactus ſum: quoniam denique poteſtas interim mihi lecto decumbendi facta eſt, plura dicere licebat; verum ne animum tuum conturbem, hic ſermoni finem impono.* Hactenus de exilii ſui incommodis Chryſoſtomus.

18. Hoc unum Chryſoſtomo in tantis ærumnis conſtituto ſolatii erat, quod ubique a clero, monachis, & populo cum omni pietatis ac humanitatis officio exceptus erat. De rebus ſuis cum Cæſaream ingreſſus eſt, ad Olympiadem ſcribit, febri ſcilicet & macie confectum illuc perveniſſe: *Tum vero mihi clerici omnes, populus, monachi, monachæ, medici affuerunt: a quibus perquam officioſe acceptus ſum, omnibus famulantibus, & omnia mihi ſubminiſtrantibus.* Eadem pietatis officia effuſiſſime ſancto viro ubique fere exhibita fuiſſe a clero, monachis, virginibus, aliiſque piis viris, idem alibi teſtatur. *Qui mihi in via obviam fiunt, partim ab Oriente, partim ab Armenia, partim ex alia quavis Orbis parte lacrymarum fontes profundunt, cum nos intuentur, & gemitus edunt, ac toto itinere lamentis nos perſequuntur*; & epiſtola ſequenti: *Cum viros, ac fœminas magno agmine, per manſiones, per urbes ſe ſe effundentes, atque ad noſtri aſpectum collacrymantes intueor, quo in ſtatu ipſi ſitis animadverto &c.* ideſt, ſi ii, quibus ignotus hactenus fuerat, ob ejuſdem exilium a lacrymis temperare non poterant; quanto magis in luctu eſſe eos conjiciebat, cum quibus ardentiſſima charitate conjungebatur, cujuſmodi inter plurimos erat Olympiades nobiliſſima, & ſanctiſſima vidua; eademque in epiſtola ad Cyriacum de monachorum, virginumque occurſu adnotat.

*Chriſoſtomus cum luctu & pietatis officiis ubique exceptus.* — *Chryſoſt. epiſt. 14. tom. 3. pag. 591.* — *Epiſt. 8. p. 589.* — *Epiſt. 9. p. 590.* — *Epiſt. 125. p. 671.*

19. Cum itaque Cæſarienſes clerici, monachi, aliique Chryſoſtomum adeuntes, omni charitatis officio proſequerentur, Pharedrius tamen Epiſcopus, *nuſquam* apparuit, *verum diſceſſum noſtrum expectabat*, ejuſdem communionem refugiens; *quod cur ita ipſi viſum fuiſſet, haud ſcio*, ait Chryſoſtomus, qui & addit eum paulo poſt, non ſolum clericos, monachoſque prohibuiſſe, ne ad Joannem accederent, ſed vi etiam Cæſarea egredi coegit eo tempore, quo Iſauri ea loca excurrentes cædibus, & vaſtatione replerent. *Cum igitur morbum ſenſim*

*Quid adverſus Chryſoſtomum Pharedrius egerit.* — *Epiſt. 12. ut ſup.*

*remiſſum, ac ſedatum eſſe vidiſſem, jam de diſceſſu mecum ipſe agitabam, et Cucuſum pervenirem, atque ab itineris calamitatibus nonnihil conquieſcerem. Cum hoc ſtatu res noſtræ eſſent, ſubito ad nos affertur, Iſauros cum infinita hominum manu Cæſarienſem agrum populari, ac ingens quoddam oppidum incendiſſe, cum ingenti clade. Qua re audita, tribunus acceptis his militibus, quos habebat, ex urbe exceſſit; timebant enim ne urbem quoque adorirentur. Atque omnes in metu ac trepidatione erant, de ipſo quoque patrio ſolo periclitantes: adeo ut ſenes etiam ipſi murorum cuſtodiam ſuſciperent.* Cum itaque eo res eſſent, inſtigante Pheretrio Cæſarienſi Epiſcopo, monachorum agmen ad Chryſoſtomi domum adſtans, ut inde diſcederet, coegit, extrema quæque minitantes, tantumque furorem ſpirantes, ut vel ipſi milites metu afficerentur. Quare cum nec urbis Præfectus, nec milites, a Pheretrio, vel monachis obtinere potuiſſent, ut vel ob morbum, quo Joannes Chryſoſtomus affligebatur, vel ob Iſaurorum periculum, dierum aliquot dilatio concederetur, Cæſarea egreſſus, in ſuburbanam villam, quæ quinque paſſuum millibus ab urbe diſtabat, exceptus eſt a Seleucia nobili matrona, ac Ruffini uxore.

E Suburbanis Cæſareæ Joannes a Pheretrio ejicitur.

*Epiſt. ut ſup. ad Olymp. 596.*

20. Neque tamen Pheretrii rabies hic ſtetit, uſque dum e finibus ſuis Joannem expelleret, Iſaurorumque incurſionibus objiceret. *Ut enim Pheretrius hoc reſcivit, multas ipſi*, ideſt Seleuciæ matronæ, quæ in villa ſua Joannem exceperat, *minas intentavit. Cum autem me in villam ſuam excepiſſet, nihil quidem ipſe harum rerum ſciebam: nam ipſa ad nos egreſſa, hæc nos celavit, procuratori autem ſuo, qui illic erat, ea expoſuit, ipſique mandavit, ut nobis omne officii genus impertiret, ac ſi qui monachi venirent, ut nos contumeliis inceſſerent, aut male afficerent, ex aliis villis ſuis agricolas cogeret, atque ita cum monachis manum confereret. Quin me quoque rogabat, ut in domum ſuam, quæ arcem habebat, nec ullis viribus expugnari poterat, confugerem, ut ex Epiſcopi ac monachorum manibus elaberer. At ut id facerem, adduci non potui: verum in villa eram, horum omnium ignarus, quæ poſtea in me comparabantur.* Nam paulo poſt illuc advenit Pheretrius Cæſarienſis Epiſcopus, graves eidem, minas intentans, niſi eum e ſuburbio ejeciſſet. Illa vero hominis importunitatem non ferens, Barbaros adeſſe finxit, atque media nocte ingreſſus Evethius presbyter, magno cum clamore dicebat: Surge, obſecro, adven-

ventant Barbari, nec longe abſunt. Quare Chryſoſtomus in tanto periculo conſtitutus, etſi quid ageret ignoraret, metu tamen compulſus, ac jamjam mortem exſpectans, ærumnis confectus ſurrexit, ac faces accendi juſſit. Verum has quoque presbyter exſtingui juſſit, ne Barbari, lucis ſplendore exciti, impetum facerent. Exſtinctis itaque facibus, mulus qui lecticam geſtabat (aſpera enim admodum & ardua ac petroſa via erat) in genu lapſus, eum lectica incluſum humi proſtravit, parumque abſuit quin interiret. Deinde exſurgens ab Evethio presbytero, qui etiam ex equo desilierat, ad manus ducebatur. Hæc autem Pheretrii invidia paſſum ſe fuiſſe adnotat, ne tamen in vulgus ſpargerentur, Olympiadem enixe rogavit: *Ceterum*, inquit, *ex te nemo id reſciſcat, immo etiam eos, qui narrabunt, comprime*. Hæc Joannes in perferendis malis alacritatem, magnamque animi modeſtiam præſeferens, dum ea quantum fieri potuit, occulta remanere cupiebat.

Quanta Cucuſi officia Joanni ſint exhibita.

21. Cum perveniſſet Cucuſum aliquatenus reſpiravit, ut epiſtola eadem ad Olympiadem narrat, ibi quippe ab Iſaurorum incurſionibus, & periculo liber, firmiori valetudine uti cœpit. Unde poſt plurima: *Mihi hoc cœlum Orientale utile eſſe videtur, neque minus, quam Antiochenum. Is eſt tepor, ea Cœli temperies*. Leviora autem exilii incommoda magnitudo animi reddebat; unde epiſtola eadem ad Olympiadem: *Nunquam hæc dicere deſtiti, nec deſiſtam, unam ſolam rem moleſtam eſſe; nempe peccatum, reliqua omnia pulveris ac fumi inſtar eſſe. Quæ moleſtia carcere claudi, ac catenis vinciri? quæ moleſtia calamitatibus premi, cum calamitas tantarum opum cauſa ſit? quæ moleſtia relegatio, ac bonorum proſcriptio? Mera verba hæc ſunt, rerum acerbitate vacua: verba ex mœrore profecta. Nam ſive mortem dixeris, naturæ debitum dicis, quod quidem omnino ſubeundum eſt, etiamſi a nemine inferatur. Sive exilium dixeris, nihil aliud dicis, quam regionis, ac multarum civitatum proſpectum. Sive bonorum proſcriptionem dixeris, libertatem dicis, ac ſolutum, & expeditum eſſe*. Hactenus Chryſoſtomus, quibus quanta animi fortitudine præditus, quave chriſtiana charitate ferveret, mirifice patet. Hinc in exilio poſitus, exterarum etiam eccleſiarum ſollicitudinem gerebat; quade cauſa eidem Olympiadi res Maruthæ in Perſide Epiſcopi enixe commendat, & ut in locum Unilæ Gothorum Epiſcopi mortui dignus eidem ſucceſſor eligatur, Olympiadem admonet, ut eadem epiſtola videre eſt.

22. Sed

Digitized by Google

Dioſcori, aliorumque pietatis officia Chryſoſtomo Cucuſi exhibita. *Epiſt.* 13.

22. Quanta benevolentia exceptus, habituſque fuerit Chryſoſtomus a Dioſcoro, aliiſque, dum Cucuſi eſſet, epiſtola alia ad Olympiadem narrat. *Tandem aliquando reſpiravimus, cum Cucuſum venimus, unde etiam has litteras ſcribimus; tandem aliquando a fumo, & variis malorum eorum, quæ nos in via invaſerunt, nebulis lucem conſpeximus*, & narratis breviter, quæ in itinere paſſus fuerat, ſubdit: *Ut Cucuſum venimus, tum morbum omnem una cum reliquis abjecimus, integerrimaque valetudine fruimur*, ac in Dioſcori domo ſe commodiſſime hoſpitari, ab eoque omni officiorum genere exceptum, pluribus perſequitur. Eam ob cauſam Olympiadem rogat, ne alibi ſe tranferri curaret, aut pateretur, ne iterum cum maximo incommodo, aut periculo iter agere cogeretur. Ante Chryſoſtomi adventum, Cucuſum pervenerat Sabiniana Diaconiſſa, ut eodem loco ipſe Joannes Chryſoſtomus pluribus, & Conſtantius presbyter narrat; quare Olympiadem admonet, ut ſi inde eum abducere velint, curet, ne longius transferatur, ſed ad *maritimam aliquam urbem*, puta Cyzicum, aut non longe a Nicomedia. Eadem etiam pietatis, & benevolentiæ officia, quæ in Joannem Dioſcorus exhibuerat, ab aliis quoque expertus eſt; de Cucuſi Epiſcopo hæc ad Cyriacum ſcribit:

*Epiſt.* 125. *in fine.*

*Urbis hujuſce Epiſcopus perquam humaniter nos excepit, tantamque erga nos charitatem præ ſe tulit, ut etiam ſi fieri potuiſſet, throno quoque ſuo nobis ceſſurus fuerit*; eademque alibi narrat.

*Epiſt.* 14. *p.* 525.

Longi quippe operis eſſet epiſtolas a Joanne, vel in itinere, vel Cucuſi hoc anno ſcriptas, excribere, quas variis de argumentis dedit. Ex his decem ad Olympiadem extant, quibus eam, ut æquo animo eam calamitatem perferret, hortatur. Ad Epiſcopos etiam & ad presbyteros ob pietatem in carcere incluſos, eo quod Arſacii communionem averſarentur, & in Joannis communione perſeverarent, ſcribens, eoſdem Sanctorum exemplo ad paſſionum tolerantiam excitat; his adde plures alias, quas ad varios dedit, quarum vel numerum, vel nomina eorum, quibus inſcriptæ ſunt, recenſere longum eſſet, ut mirum ſit, in exilio poſitum, & valetudine parum firma, tot epiſtolas ſcribere eum potuiſſe.

*Tom.* 3. *p.* 526. *Epiſt.* 18. 19. 20. 24. *ad* 28. 29. 30. 32. *ad* 43.

Arſacius CPolitanus Epiſc. Joannis loco ordinatur; quis eſſet. *Epiſt.* 125. *circa fin.*

23. Joanne Cucuſum uſque comitato, de Arſacio in ejus locum ordinato, agendum reſtat, de cujus ordinatione die 27. menſis Junii peracta hæc narrat Chryſoſtomus in epiſtola ad Cyriacum Epiſcopum: *Allatum autem ad me eſt de deliro illo Ar-*

*lo Arſacio, quem Imperatrix in throno collocavit, eum fratres eos omnes, qui cum ipſo communicare recuſabant, afflixiſſe, & multos ex ipſis mei cauſa in vinculis diem vitæ extremum clauſiſſe. Siquidem lupus ille ovis ſpeciem præſeferens, etſi Epiſcopi larvam gerat, adulter tamen eſt, me enim vivente eccleſiæ thronum invaſit*. Palladius vero Arſacium Joannis ſucceſſorem his verbis pingit: *Arſacius autem frater beati Nectarii ſubſtitutus eſt in locum Joannis, magni ſacrorum interpretis; homo piſce magis mutus, & rana rebus agendis minus idoneus, cum ad quatuordecim menſes vitam ſuam protendiſſet, mortuus eſt*. Socrates tamen, & Sozomenus ineptum magis, quam improbum fuiſſe, ſcribunt, qui *non diu poſt Epiſcopatum ſuſceptum ſupervixit, ſequenti enim anno Stilichone iterum, & Anthemio Coſſ. die tertio idus Novemb. mortem obiit &c.* Quæ pro Chryſoſtomi reſtitutione, tum in Occidente ab Innocentio Pont.fice, & Honorio Imperatore, cum in Oriente geſta ſunt, infra videbimus.

JESU CHR. AN. 404.

*Pallad. vita Chryſoſt. p. 37. in fine.*

*Socrat. lib. 6. 19.*

*Sozom. lib. 8. 23.*

24. Nunc ad ea, quæ CPoli poſt Joannis exilium peracta ſunt, redit oratio, ubi incendii prætextu, qui in Joannis communione perſeverabant, & Arſacii communionem averſabantur, diris quæſtionibus vexati, uſque ad mortem, plurimi pro veritate certarunt. Socrates quidem hæc ſilentio obvolvenda cenſuit, utpote Arcadii, & Eudoxiæ exiſtimationi invidioſa, unde ait: *Quibus malis Optatus Præfectus urbis CPolitanæ, religione gentilis, Joannis amicos propter hoc incendium affecerit, & quomodo multos eorum capitali animadverſione ſuſtulerit, omittendum puto*. Sozomenus etiam in eamdem rem hæc adnotat: *Præfectus urbis in publicum procedens, tanquam quæſtionem habiturus de incendio, & de curiæ conflagratione, multos gravibus ſuppliciis affecit; nam cum eſſet paganus, eccleſiæ calamitatibus inſultans, eo quod acciderat oblectabatur*. Inter eos vero, qui ea de cauſa certantes martyrio coronati ſunt, Eutropium lectorem, & Tygrium presbyterum recenſet, qui in judicium vocati, loris & fuſtibus primum cæſi, deinde unguibus lacerati, ardentibuſque facibus adulti, ac poſtea in carcerem conjecti, illic animam exhalarunt, quorum memoria martyrologio Rom. recolitur. In clariſſimas etiam feminas, eo quod Chryſoſtomo addictiſſimæ, Arſacii communionem refugerent, ſœviit urbis Præfectus. De Nicarete narrat Sozomenus, eam in Bythinia nobili genere apud Nicomedienſes ortam, ob per-

Diræ quæſtiones ob incendium habitæ.

*Socrat. lib. 6. 18.*

*Sozom. lib. 8. 23.*

Eutropii lectoris, & Tygrii presbyteri martyrium.

*Sozom. ut ſup. cap. 24.*

*Martyr. Rom. die 12. Januarii.*

De Virgine Nicarete.

*Sozom. ut ſup. cap. 23.*

Jesu Chr. An. 404.

perpetuam virginitatem, & vitæ ſanctimoniam celeberrimam fuiſſe, utpote quæ moribus, ſermone, ac habitu modeſtiſſima erat, ad tolerandos vero adverſæ fortunæ caſus adeo fortis, ut cum ampliſſimo patrimonio injuſte ſpoliata eſſet, nil penitus indignata fuerit; in procuranda vero ægrotorum ſalute mirifice etiam excelluiſſe addit, quibus ſuis manibus medicamenta parabat; tanta etiam humilitate refulſit, ut *nec honorem Diaconiſſæ unquam ambierit, nec virginibus eccleſiaſticis præeſſe, licet Joanne ſæpe eam hortante voluerit*.

Olympias a Præfecto in judicium vocata. *Sozom. lib. 8. 24.*

25. Olympias etiam in judicium a Præfecto vocata, ac de eccleſiæ incendio interrogata: *Non eſt hoc vitæ meæ inſtitutum*, *reſpondit*; *ego enim facultates meas, quæ multæ erant, & maximæ Templis Dei inſtaurandis impendi*. Cumque accuſatio teſtibus deſtitueretur, clementius cum ea Præfectus agere cœpit, ac Olympiadi, reliquiſque mulieribus amentiam exprobrans, ut in Arſacii communionem tranſirent, hortatus eſt, cui cum Olympias parere renuiſſet, magno auri pondere mulctavit. Sic enim illam a ſententia ſua ſeſe abducturum putabat. Verum illa pecunias contemnens, nullatenus ceſſit: & relicta CP. in urbe Cyzico domicilium fixit. Vero tamen propius eſt, eam urbe regia, non ſponte, ſed neceſſitate exceſſiſſe, quam Chryſoſtomus exilio mulctatam fuiſſe non obſcure indicat his verbis. *Quid enim eſt*, inquit, *civitate pelli, & ex aliis locis in alia ſubinde migrare, atque undique exagitari, & proſcribi, & ad tribunalia trahi, & a militibus raptari, atque ab iis, qui ſexcentis beneficiis affecti fuerant, contraria nunc perpeti, ac tum a famulis, tum a liberis vexari, cum bonum præmium Cœlum ſit &c?* ſic paucis verbis, quanta & quam dira paſſa ſit Olympias, etiam poſtquam CPolim pulſa fuerat, Joannes narrat.

*Chryſoſt. epiſt. 1. 6. & 16. ad Olymp.*

De Pentadia Diaconiſſa.

26. Olympiadi Pentadiam addimus, quæ Timaſii conſulis uxor, poſtea eccleſiæ CPolitanæ Diaconiſſa cum eſſet, ac Arſacii communionem vitaret, multa eaque gravia pertulit, ut teſtis eſt idem Chryſoſtomus in epiſtola ad eam ſcripta. *Gaude*, inquit, *& lætare, neque enim hæc verba ſubinde repetere deſinam, viriliter age, & confortare, omneſque ab ipſis tibi comparatas inſidias irride*, quam ad carcerem & tribunalia pertractam, ac de eccleſiæ incendio ſæpius interrogatam fuiſſe, invictamque perſtitiſſe narrat, eamque, ne ob perſecutionem CPoli excederet, hortatus eſt, cum ejus præſentia ibidem

*Epiſt. 94.*

Digitized by Google

dem concivibus ſuis perutilis eſſet. De perſecutione in eos tunc mota, qui in Joannis communione perſeverabant, & præcipue adverſus monachos, & eccleſiæ CPolitanæ Diaconiſſas agens Palladius, poſt plurima inquit: *De Aſcetis, & virginibus quid attinet dicere, qui oſtendebant ſulcata latera in equuleo, & in tergo verberum notas*. Quin monachorum plurimos tunc temporis a militibus interfectos fuiſſe adnotat Zoſimus.

*Epiſt. 104. Pallad. Dial. p. 11.*

*Zoſimus lib. 5. p. 97.*

27. Cum vero tumultibus ea de cauſa urbs regia plena eſſet, civiumque plurimi quotidie periclitarentur, tandem ut paci publicæ conſuleret Arcadius, legem hoc anno Studio Præfecto Prætorii dedit, qua inquiſitionibus adverſus incendii auctores finem impoſuit; Joannitarum tamen conventus prohibuit, ac peregrinos clericos urbe ejici juſſit: *Quoniam perſonæ ad inquiſitionem perpetrati incendii ( ut tui culminis ſuggeſtio patefecit ) nequeunt inveniri, clericos cuſtodia relaxamus; ita ut navibus impoſiti, ad lares proprios revertantur &c.* deinde poſt alia: *Ad obſervandos ſiquidem ſeditionis aditus, id noſtro ſedit arbitrio, ut omnes Epiſcopi & clerici peregrini ab hac ſacratiſſima urbe pellantur. Dat. quarto Kalend. Septembris, Conſtantinopoli, Honorio ſextum & Ariſteneto Conſulibus*. Paulo poſt idem Imperator lege altera ſervos illicitis conventibus adeſſe prohibuit, pœna trium librarum auri in dominos ſtatuta, ad opificum etiam collegia, quæ corpora nominabantur, eamdem pœnam, quinimo majorem tranſtulit, ſub pœna ſcilicet quinquaginta librarum auri ab ipſo corpore ſolvenda, cui adſcriptus is erat, qui illicita conventicula frequentaverit.

Lex Arcadii pro componendis tumultibus.

*Cod. Theod. l. 37. de Epiſc. & Cler.*

28. Dum hæc CPoli agerentur, Flavianus Antiochenſis Epiſcopus, qui per annos 23. eidem eccleſiæ præfuerat, quique Joannis depoſitioni nullatenus conſenſerat, *Antiochiæ mortuus eſt*, ait Palladius, cujus loco Porphyrius Antiochenſis eccleſiæ Sacerdotium ſuſcepit. Is vero cum condemnationi Joanni ſubſcripſiſſet, multi in Syria ab illius communione ſe ſe abruperunt, & ſeorſim divina myſteria celebrantes, ærumnas, & moleſtias perpeſſi ſunt, ac tanquam ſchiſmatici, qui contra Arcadii legem, ne orthodoxi extra eccleſiam convenirent, variis modis ibidem quoque vexati ſunt. Tanta autem morum turpitudine præditus erat Porphyrius, ut de eo poſt plurima Palladius ſcripſerit: *A caſtimonia enim & continentia adverſus carnales voluptates, non ſolum abeſt, ſed & hoſtis eſt, velut vultur*

Flaviani Antioch. Epiſc. obitus, cui ſuccedit Porphyrius.

*Pallad. dial. p. 57. Sozom. lib. 8. 24.*

Jesu Chr. An. 404. *ungventi, adeo ut ſodomitico crimini obnoxium fama vulgarit*, quem etiam præſtigiatoribus, & aurigis ſociatum, cum iis convivari, amice congredi non erubeſcebat, *ita ut in actis plurium magiſtratuum hoc crimen contineatur*. Cum tanta morum improbitate mirifica etiam fallendi ars in Porphyrio conjuncta erat. Quare ut Antiochenam ſedem facilius invadere poſſet, Conſtantium quemdam ejuſdem eccleſiæ presbyterum, virum doctrina, morum gravitate, vitæque ſanctitate celeberrimum, cujus nutu & arbitrio Antiochenſes tum viri cum mulieres, tanquam a collo pendebant, litteris Imperatoriis tanquam populorum perturbatorem in Oaſim relegari fecit; ceteros deinde presbyteros vel clericos, qui ejus ordinationi adverſari poterant, in cuſtodiam miſit, ſicque rebus diſpoſitis, Acacii, Severiani, & Antiochi Epiſcoporum opera, furtive Epiſcopus, foribus eccleſiæ clauſis, eſt ordinatus, cum tota pene civitas ad ſuburbana divertiſſet ad diem feſtum Olympiorum celebrandum. Ordinatione autem peracta: *Severianus, & ſocii, accepto* iniquitatis *pretio per montes & invia loca fugere, humanum quidem evitantes periculum, ſed divinam, quam ignorabant, indignationem incurrentes*.

Antiochenorum iræ adverſus Porphyrium. 29. Quot autem turbæ ea de cauſa Antiochiæ fuerint excitatæ, longum eſſet exponere, ac per plura narrat Palladius; nam ut per urbem vulgatum eſt Porphyrium Antiochenum thronum furtivis artibus invaſiſſe, ira commoti Antiochenſes, ſimul omnes agmine facto ad Porphyrii domum cum igne & ſarmentis confluxerunt, eam incendere tentantes. At Porphyrius, re cognita, milites a Præfecto impetravit, quorum opera, cum armatis eccleſiam prædonum more ingreſſus, eam militibus depredandam conceſſit, ſacra vaſa *conflaſſe & in magiſtratus impendiſſe*, ait Palladius, & deinde: *Ut videretur non ratione, ſed tyrannide iis præeſſe, qui infeliciter in ipſius poteſtatem devenerant*; qui *reluctantes in eccleſia, ſpecie quidem conveniunt, metu verberum, revera autem vitam ſuam execrantes, atque Dei ultionem expectantes*; cujus communionem Romana eccleſia adeo averſata eſt, ut teſte Theodoro
Pag. 56. apud Palladium, cum ad Romanam eccleſiam ſcripſiſſet, *reſponſo dignus habitus non fuit*, ſed de geſtis ab Innocentio Pontifice inferius.

Eudoxiæ infelix obitus. 20. Etſi inſcrutabilia ſint Dei judicia, ac Deus adverſa, vel proſpera piis, æque ac improbis, occulto quidem, nunquam

Digitized by Google

quam vero injuſto conſilio, largiatur, ut de rebus humanis non temere judicandum, nil tamen obſtat, quin calamitates, quibus Joannis adverſarii affecti ſunt, Deo vindice, immiſſas fuiſſe credamus, & ut Unnorum, Iſaurorumque irruptiones prætereamus, qui hoc tempore, Sozomeno, & Zoſimo teſtibus, Thraciam vaſtarunt, urbeſque omnes inter Cariam, & Phœnicem poſitas, populati ſunt; CPolis ipſa, teſte Socrate, una cum ejus ſuburbiis, inuſitatæ magnitudinis grandine, pridie Kal. Octob. hujuſce anni, vaſtata eſt, quod *divina ultione factum eſſe dicebant*, ob injuſtam *Joannis depoſitionem*. *Mors Auguſtæ ſtatim ſubſecuta, auctoritatem hujuſmodi ſermonibus addidit; quarto ſiquidem die poſt delapſam grandinem, migravit e vita*. De anno Eudoxiæ ultimo cum Socrate conſentiunt Proſper, Marcellinus, Chronicon Alex., Eunapius apud Photium, qui continuationem Annalium Dexippi hoc anno abſolvit, quo Chryſoſtomus in exilium eſt actus, & Eudoxia obiit, de quibus Photius; *Hiſtoriæ ſuæ terminum ponit, quando Arſacius, Joanne Chryſoſtomo exterminato, ſolium Epiſcopi occupavit, Arcadiique uxor gravida, & mox obortiens vita deceſſit*. Auctor vero Chronici Alex. cum Socrate diem, & menſem, quo Eudoxia obiit, his verbis ad huuc annum notavit: *Mortua eſt Eudoxia Auguſta menſe Hyperbereteo, pridie nonas Octobris feria quinta, & humata eſt in eccleſia SS. Apoſtolorum, Hyperbereteo menſe, IV. idus Octob. feria quarta*. De Eudoxiæ obitu alia quidem recentiorum Græcorum opinio eſt, quam tres poſt Joannis obitum menſes ſupervixiſſe tradunt, Leo ſcilicet Auguſtus, Metaphraſtes, Nicephorus in vita Chryſoſtomi, Cedrenus, Zonaras, aliique, qui etiam Eudoxiæ interitum fabulis exornarunt; quam ideo anno 407 exceſſiſſe tradunt; iiſque Baronius ſubſcribit: at cum ex coævis ſcriptoribus, aliiſque hiſtoricis, Socrate ſcilicet, Sozomeno, Eunapio Marcellino, auctore Chronici Alex:, Proſpero conſtet, conſulibus Honorio ſexto, & Ariſteneto, Eudoxiam obiiſſe; poſterioris ætatis ſcriptoribus fides haberi non poteſt, nec Innocentii Papæ epiſtola ad Arcadium Imperatorem, poſt Joannis obitum ſcripta, ſuadere id poteſt, in qua Eudoxiæ tanquam ſuperſtitis occurrit mentio, quam ſcelerum ſuorum pœnas mox datnram larvatus Innocentius ea epiſtola prædixit, ac Arcadium cum uxore, Arſacium CP Antiſtitem cum Theophylo Alex. diris devovet, ac perpetuo anathemate condemnat

*Sozom. lib. 8. 25.*
*Zoſim. lib. 5.*
*Socrat. lib. 6. 19.*
*Proſp. Marcell. chron.*
*Phot. Cod 77.*
*Bar. an. 407. n. 29.*



Digitized by Google

JESU CHR. AN. 404.

demnat, nam hoc uno ex capite ſuppoſititiam eſſe conſtat; ſicut & aliæ plurimæ eodem de argumento tractantes, quas etſi ex Vaticano Codice deſcriptas Annalibus ſuis inſeruerit Baronius, apocryphas tamen eſſe dubitari non poteſt, cum præcipue Vaticana bibliotheca infinitis propemodum Codicibus ditata, magnæ ſagenæ miſſæ in mari ſimilis ſit, ex omni genere piſcium congreganti, bonorum ſcilicet, & malorum, cujuſmodi ſunt epiſtolæ in hanc rem a Baronio vulgatæ, quas apocryphas eſſe exploratius eſt, quam probari debeat; ſed de his hactenus.

Synodus Carthag. qua ad Honorium Imp. legatio deſtinatur. Labb. tom. 2. p. 1332.

31. Interim hoc anno Africani Patres Carthagine iterum congregati ſunt, atque ut rebus, ſecuritatique Eccleſiæ conſulerent, ad Honorium Imperatorem legationem contra Donatiſtas miſerunt, ut qui pacifice agere cum Catholicis recuſaverant, Imperatoria auctoritate cogerentur. Synodi epocham, reſque in ea geſtas, ejuſdem acta exhibent his verbis: *Glorioſiſſimo Imperatore Honorio Aug. VI. Conſule Kal. Julias, Carthagine in baſilica regionis ſecundæ*: ſequitur deinde commonitorium Theaſio, & Evodio legatis datum contra Donatiſtas. *Ut inſinuent* Imperatori, *quemadmodum plena fiducia, ſecundum ſuperioris anni concilium Donatiſtarum præpoſiti actis municipalibus ſunt conventi: ut ſi confiderint de aſſertionibus ſuis, electis ex ſuo numero aliquibus idoneis, nobiſcum pacifice conferrent, & manſuetudine chriſtiana, ſi quid veritatis tenerent, non ambigerent demonſtrare; quo ita ſinceritas catholica, quæ jam pridem ſuperioribus temporibus claruit, nunc quoque per imperitiam vel pertinaciam reſiſtentibus innoteſceret*. His ſubdunt, Donatiſtas non ſolum oblatam collationem reſpuiſſe, ſed innumeras, immaneſque violentias exercuiſſe, ita ut multos epiſcopos, multoſque clericos (ut de laicis taceamus) inſidiis oppreſſerint, eccleſias etiam aliquas invaſerint, alias invadere pertentaverint. Quamobrem ut Imperatoris auctoritate ab inferenda inpoſterum catholicis moleſtia compeſcerentur, enixe rogant, & ut Theodoſii leges adverſus hæreticos latas, quibus ordinatores clericorum, & ordinati ab hæreticis, decem libris auri mulctabantur, ac a capiendis hæreditatibus excludebantur, contra Donatiſtas ſpeciatim locum habere declararet, ut hoc ſaltem terrore a ſchiſmatica, vel hæretica pravitate revocarentur. Litteræ etiam ad Epiſcopum Romanæ eccleſiæ pro commendatione legatorum datæ ſunt, ac ad alios ubi

Labb. ut ſup. pag. 1108.

Hard. tom. 1. p. 915.

Digitized by Google

ubi fuerit Imperator, iſque poſt Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum ceteri ſubſcripſerunt. Quis fuerit ſynodi, & legationis exitus anno ſequenti declarabimus, quo Honorius ſuis legibus Donatiſtis coercere ſtuduit. Jesu Chr. an. 404.

Auguſtini in Donatiſtarum converſione ſollicitudo.

*Auguſt. epiſt. 185.*

32. Carthaginenſi ſynodo Aurelius quidem, utpote ejus urbis Epiſcopus, & totius Africæ Primas præfuit. At Auguſtinum in ea primas fere partes tenuiſſe extra dubium eſt; hinc in epiſtola ad Bonifacium de correctione Donatiſtarum narrat, diu multumque dubitatum fuiſſe, an Catholicos epiſcopos deceret ſeveriſſimas leges ab Imperatoribus contra Donatiſtas petere. *Nonnullis fratribus*, inquit, *videbatur*, *in quibus & ego eram*, *quamvis Donatiſtarum rabies uſquequaque ſæviret*, *non eſſe petendum ab Imperatoribus*, *ut ipſam hæreſim juberent omnino non eſſe*, *pœnam conſtituendo eis*, *qui in illa eſſe voluiſſent*: *ſed hoc potius conſtituerent*, *ut eorum furioſas violentias non paterentur*, *qui veritatem catholicam vel prædicarent loquendo*, *vel legerent conſtituendo*. Ac ſufficere dicebant, ſi legem Theodoſii, qua quilibet hæreticorum epiſcopus, vel clericus ubilibet eſset inventus, decem libris auri multaretur, expreſſius in Donatiſtas confirmaretur; ita tamen, ut non omnes pœna ea ferirentur, ſed in quorum regionibus aliquas violentias a clericis, vel a Circumcellionibus, vel populis eorum, Eccleſia catholica pateretur: ut ſcilicet poſt proteſtationem Catholicorum, qui fuiſsent iſta perpeſſi, ad perſolvendam mulctam epiſcopi ſive miniſtri ceteri tenerentur. *Ita enim exiſtimabamus eis territis*, *& nihil tale facere audentibus*, *poſſe libere doceri & teneri catholicam veritatem*, *ut ad eam cogeretur nemo*, *ſed eam qui ſine formidine vellet ſequeretur*, *ne falſos*, *& ſimulatores catholicos haberemus*. Experientia tamen didicit non inutilem fuiſse legum ſeveritatem, ut eadem epiſtola teſtatur: *Sed major Dei miſericordia*, *qui ſciret harum legum terror*, *& quædam medicinalis moleſtia*, *quam multorum eſſet pravis*, *vel frigidis animis neceſſaria*, *& illi duritiæ*, *quæ verbis emendari non poteſt*, *ſed tamen aliquantula ſeveritate diſciplinæ poteſt*, *id egit*, *ut legati noſtri*, *quod ſuſceperant*, *obtinere non poſſent*, ideſt, cum ab Honorio legati petiiſsent, ut legum ſeveritatem lenitate quadam temperaret, Imperator, perſpecta Donatiſtarum perverſitate, ſeveriſſimas in eos anno proximo leges tulit.

Maximianus Bagajenſis Epiſcopus a Donatiſtis crudeliſſime vexatus.

33. Præceteris vero horrendum facinus adverſus Maximia-

JESU CHR. AN. 404.

*Epiſt. 185. ut ſup. n. 26. brev. collat. die 3. cap. 11.*

mianum Bagajenſem Epiſcopum a Donatiſtis perpetratum in cauſa fuit, ut Honorius iis coercendis animum intenderet; de quibus eadem epiſtola Auguſtinus hæc narrat: *Jam enim nos prævenerant*, ideſt ſynodi legatos, *ex aliis locis quædam Epiſcoporum querelæ graviſſimæ, qui mala fuerant ab ipſis multa perpeſſi, & a ſuis ſedibus exturbati, præcipue horrenda, & incredibilis cædes Maximiani Epiſcopi Catholici Eccleſiæ Bagajenſis effecit, ut noſtra legatio jam quid ageret, non haberet.* In ſupradictum quippe epiſcopum Bagajenſem, quoniam apud ordinarium judicem dicta inter partes ſententia obtinuerat baſilicam, quam illi, cum catholica eſset, invaſerant, ſtantem ad altare irruentes horrendo impetu, & furore crudeli ſacram oblationis menſam everterunt, eumque fuſtibus, & telis immaniter ceciderunt, pugione etiam percuſſerunt in inguine; quo vulnere ſanguis effluens eum certe exanimem reddidiſset, niſi ei ad vitam major ſævitia eorum profuiſset. Nam cum graviter ſauciatum per terram traxiſsent, exundanti venæ pulvis obtruſus ſanguinem abſtinuit, cujus effuſione ibat in mortem. Interea cum Catholici ab eorum manibus eripere tentaſsent, Donatiſtæ ira ardentiore ſuccenſi, eum ab eorum manibus abſtractum, in quamdam turrem levatum, jam defeciſſe arbitrantes, cum ille adhuc viveret, præcipitarunt. Sed quodam molli aggere exceptus, & a quibuſdam nocte tranſeuntibus per lucernam conſpectus, agnitus, atque collectus, & ad religioſam domum delatus, adhibita magna cura poſt multos dies tandem convaluit; occiſum eum tamen ſcelere Donatiſtarum etiam trans mare fama nuntiaverat; quo poſtea quam venit, & vita ejus inopinatiſſima apparuit, cicatricibus ſuis tam multis, tam ingentibus, tam recentibus, nec fruſtra famam mortuum ſe nuntiaſse monſtravit. *Auxilium ergo petiit ab Imperatore Chriſtiano, non tam ſui ulciſcendi cauſa, quam tuendæ Eccleſiæ. Quod ſi prætermiſiſſet, non ejus fuiſſet laudanda patientia, ſed negligentia merito culpanda.* Maximianus Epiſcopus anno 406. adhuc in vivis erat, in cujus corpore plures cicatrices, quam membra numerabantur, ut ait Auguſtinus, at paulo poſt obiiſſe veroſimile eſt, nam inter catholicos Epiſcopos in collatione Carthaginenſi non recenſetur; cujus memoria quinto nonas Octobris inter Sanctos Confeſſores recolitur.

*August. contra Creſc. lib. 3. 43.*

34. Dum

34. Dum Donatiſtarum converſioni, una cum Africanis Epiſcopis, operam navabat Auguſtinus, privatum quodammodo triumphum hoc anno de Felice Manichæo tulit, quem publica diſputatione victum catholicæ Eccleſiæ reconciliavit. Erat Felix ex Manichæorum ſecta electus, eorumque doctor, qui etſi liberalium artium imperitus eſſet, ceteris tamen verſutior, & petulantior erat ac Hipponem errores ſuos diſſeminaturus venerat: an autem Felix is presbyter fuerit ſectæ Manichæorum, ad quem Auguſtini extat epiſtola, qua ejus temeritatem arguit, etſi certo affirmari non poſſit, vero tamen proximum eſt.. Inter cetera gloriabatur, quod eum Auguſtinus magni faceret, dum ejuſdem conatus reprimere ſollicitus erat, ſeque etiam mortem deſpicere jactabat, cujus petulantiam his verbis arguit Auguſtinus: *Sine cauſa tergiverſaris, cum longe appareat qualis ſis. Quid tecum locuti fuerint fratres, indicaverunt mihi. Bene, quia non times mortem, ſed eam mortem debes timere, quam tibi ipſe facis talia de Deo blaſphemando... &c.* poſt multa: *Itaque denuncio tibi in nomine Chriſti, ut ſi paratus es, ſolve quæſtionem, in qua defecit præceſſor tuus Fortunatus, & ita hinc ierat, ut non rediret, niſi, cum ſuis diſputatione collata, inveniret quid contra reſpondere poſſet, diſputans cum fratribus. Si autem ad hoc non es paratus; diſcede hinc, & noli pervertere vias Domini, & illaqueare, & venenis inficere animas infirmas, &c.*

Jesu Chr. an. 424. Auguſtini collatio cum Felice Manichæo. *Auguſt. epiſt. 79.*

35. Cum itaque Felix ad diſputandum cum Auguſtino ſe promptum eſſe dixiſſet, ac paratum defendere ſcripta Manichæi, in Hipponenſi eccleſia ſeptimo idib. Decemb. Honorio Aug. Coſſ. ſextum convenerunt, adſtante extra cancellos plebe, ut acta teſtantur, atque ut promiſſis ſtaret Felicem Auguſtinus interpellavit. Cumque ille reſpondiſſet ſe paratum eſſe, ſi exhiberentur auctores legis ſuæ, eos defendere, data eſt ei epiſtola Manichæi, quam fundamenti appellabant; hinc cœpta eſt diſputatio, quam notarii ad verbum excipiebant. Poſt multa vero invicem dicta, nec ultra quid reſponderet Felix inveniret, dixit *dilationem peto, ut poſſim reſpondere*, cui cum diem dediſset Auguſtinus, *Felix dixit. Intermitte mihi tres dies, ideſt, hodie, & cras, & perendie, aut uſque ad diem, qui eſt poſt Dominicum, ideſt, pridie idus Decembris.* Auguſtinus vero: *Video te dilationem ad reſpondendum petiiſſe; humanum eſt, ut concedatur tibi; ſed ſi reſpondere non potue-*

Acta ab Auguſtino cum Felice Manichæo. *Tom. 8. p. 471.* *Poſſid. Auguſt. vita cap. 16.*

JESU CHR. AN. 404.

*potueris ad præſtitutum diem, quid fiet? Felix dixit: ero victus. Aug. dixit: quid ſi fugeris? Felix dixit: Reus ero civitatis hujus, & ubique, & legis meæ. Aug. dixit: Immo hoc dic: ſi fugero, ſic habear tanquam ſi anathemavero Manichæum. Felix dixit: hoc dicere non poſſum. Aug. dixit: Ergo aperte nobis dic, quia fugere cogitas, & nemo te tenet. Felix dixit: non fugio. Aug. dixit: Ut video, non vis quaſi victus abſcedere; ſed ſaltem hoc dic, ſi fugero, victus ſum. Felix dixit: Dixi; Aug. dixit: & unde apparebit te fugiſſe propter Geſta? Felix dixit: Jube, ut quem elegero, cum ipſo ſim. Aug. dixit: elige tibi aliquem de præſentibus iſtis fratribus, qui ad cancellum ſtant. Felix dixit: Sicut tibi elegiſti, uſque ad diem cum illo eris. Felix dixit: etiam & ego hoc conſentio. Bonifacius dixit: Præſtabit Chriſtus, ut ſi cum illo veniam, Chriſtianus eſt. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Hipponeregienſis, his in eccleſia coram populo geſtis ſubſcripſi. Felix chriſtianus, cultor legis Manichæi, his in eccleſia coram populo geſtis ſubſcripſi.*

Acta ſecundæ collationis.

36. Die ſtatuta cum rediviſſet Felix, *ideſt ad pridie idıum decembrium*, Auguſtinus eum interpellavit, ut propoſitæ quæſtioni reſponderet, cur ſcilicet Deus, quem incorruptibilem faſſus erat, cum gente tenebrarum bellum geſſerit, *in quo bello naturæ Dæmonum miſceret ſubſtantiam ſuam*. Felix vero cum quæſtioni ſolvendæ impar eſſet, ſe excuſans quod ſcripturas præ manibus non habuiſſet, differri iterum collationem rogavit. *Peto Codices*, ait, *reddantur mihi, & venio poſt biduum*, dilationem negavit Auguſtinus; codices tamen exhibiti ſunt, & lecti, ut ex iis quæ vellet objiceret Felix: producta igitur diſputatione, tandem manus dedit victas, & Manichæum anathematizavit. *Ego Felix qui Manichæo credideram, nunc anathemo eum, & doctrinam ipſius, & ſpiritum ſeductorem, qui in illo fuit &c.* actiſque geſtis, Auguſtinus & Felix ſubſcripſerunt.

Innocentii Papæ epiſtola ad Victricium Rothomagenſem Epiſc. *Coutan. pag.* 746.

37. Hoc eodem anno *Honorio VI. & Ariſteneto Coſſ.* decimoquinto Kal: Martii, Innocentius Papa ad Victricium Rothomagenſem epiſtolam dedit, qua variis quæſtionibus reſpondet, rogatque, ut per finitimas Galliarum regiones publicam faceret, ut eadem ubique diſciplina ſervaretur. Quare poſt aliqua: *Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, & conſacerdotes noſtros, qui in illis regionibus propriis eccleſiis*

*pre*

Digitized by Google

*præſident, regularum hunc librum quaſi didaſcalicum atque monitorem ſedulo inſinuare; ut & noſtros cognoſcere, & ad Fidem confluentium mores valeant docendi ſedulitate firmare &c.* Capitibus ſeu canonibus 14. hæc conſtat epiſtola, quorum primo decernitur, ne inconſulto Metropolitano, epiſcopus ordinetur, aut ab uno tantum Epiſcopo, ſicut Nicæna ſynodo cautum fuerat. 2: Si quis cingulum militiæ poſt baptiſmum acceperit, in clerum nequaquam admittitur. 3: Clericorum cauſæ a Provinciali ſynodo definiantur, juxta Nicænos canones; *ſine præjudicio tamen Romanæ eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri*. 4. *Majores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam ſicut ſynodus*, Sardicenſis ſcilicet, *& beata conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur*. 5. Clericus nonniſi virginem uxorem ducat, ut ad Sacerdotium poſſit promoveri 6. Laicus qui viduam, ſive ante ſive poſt baptiſmum, duxerit, in clerum non admittatur. *In baptiſmo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris conſortium relaxatur*. JESU CHR. AN. 404.

38. 7. Qui ſecundam duxit uxorem clericus non fiat; cum etiam quis ante baptiſmum alteram duxerat; nam *baptiſmo, remittuntur peccata non acceptarum uxorum numerus aboletur... Quod ſi non putatur uxor eſſe computanda, quæ ante baptiſmum ducta eſt: ergo nec filii, qui ante baptiſmum geniti ſunt, pro filiis habebuntur*. Dilucide eam quæſtionem definiit Innocentius, quæ tunc temporis pro utraque parte magna animorum contentione agitabatur; Carterius etenim Hiſpaniæ Epiſcopus, cui *præter vinculum conjugale*, nihil aliud *objici poterat*, uxore defuncta, alteram poſt baptiſmum duxerat, quem ideo nonnulli, & inter eos Oceanus, contra Apoſtoli præceptum (de bigamis non ordinandis) ordinatum fuiſſe contendebant, contrariam vero opinionem Hieronymus tuebatur, ac exemplis plurimis confirmabat. Hinc ajebat, ſi Epiſcopos tantum voluero numerare, *tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis ſynodi multitudo ſuperetur*. Diſſimulare tamen non potuit, ſe Romæ nactum virum, qui contraria ſentiret; cujus diſputationem eadem epiſtola recitans, cornuto argumento ſe fere victum fuiſſe adnotat. Nam cum eum interrogaſſet an peccatum eſſet uxorem ducere, reſpondiſſetque Hieronymus non eſſe peccatum, rurſum addidit, num baptiſmate peccata dimitterentur, quod cum negare non poſſet: ergo, concluſit adverſarius, baptiſmate peccata remittuntur, non vero matrimo-

Bigamus judicatur is, qui unam tantum uxorem poſt baptiſmum duxit, cum alteram ante habuerit.

*Hieronym. epiſt. ad Oceanum.*

*Lib. 1. adverſ. Jovinian. & in epiſt. ad Tit. cap. 1.*

Jesu Chr. an. 404. *Apud Coutan. p. 831.*

trimonia tollantur. Quo etiam argumento utitur Innocentius ad Victricium ſcribens, & copioſius adhuc in epiſtola ad Macedoniæ Epiſcopos; non ceſſit tamen Hieronymus, nec eo argumento ligatus victas dedit manus, quin & adverſarium ſuum, ſe quaſi viciſſe triumphans gloriatur. Hieronymi opinionem, vivente adhuc Syricio, confutaverat Ruffinus, cui Hieronymus reſpondens, ſententiam ſuam ita temperavit, ut non amplius dicat hiſce ordinationibus plenum eſſe Mundum, aut bigamorum Epiſcoporum tantum eſſe numerum, ut Ariminenſis ſynodi numerum ſuperaret; ſed tantum *iſtiuſmodi nonnullos in eccleſia eſſe Sacerdotes*; atque de ea opinione licitum unicuique eſſe in ſuo ſenſu abundare addit. Hieronymi tamen opinionem, quod ſane S. Doctor diſſimulare non debuiſſet, non ſolum Innocentius Papa primus rejecerat, ſed ante eum Valentina ſynodus anno 374. canone primo, eidemque ſententiæ ſubſcripſerant Ambroſius, & Auguſtinus, quam poſtea S. Leo Papa primus confirmavit.

*Hier. adverſ. Ruff. lib. 1.*

*Ambr. de off. lib. 1. cap. 10. & epiſt. ad Vercell.*

*Auguſt. de bono conjug. cap. 18.*

Alia Innocentii decreta ad Victricium. *Coutan. p. 752.*

39. Nunc cetera Innocentianæ epiſtolæ capita proſequimur; quorum altero decernitur, ut Novatiani aut Montenſes ad eccleſiam redeuntes, per manus tantum impoſitionem reciperentur; ut Sacerdotes, & Diaconi ab uxoribus abſtinerent, quia miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur. Jubet etiam S. Pontifex, ut cum monachi ad clericatus ordinem pervenerint, a propoſito non diſcederent. Curiales vero, vel quibuſlibet publicis officiis mancipatos, in clerum non eſſe admittendos monet, ne cum cleri injuria ad publica munera revocati, ea exercere cogerentur, quæ clericos non decebant. Tandem de virginibus ſtatuit, ut quæ Chriſto nupſerant, vel a Sacerdote velari meruerant, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, ad pœnitentiam non admittantur, niſi is, cui ſe junxerant, de ſeculo receſſerit; quæ vero nondum ſacro velo tectæ virginitatem promiſerant, ſi forte nupſerint, aliquanto tempore pœnitentiam agant. Hactenus ad Victricium Innocentius, in quam rem hæc appoſite Baronius adnotat: *Vides pios & doctrina ſpectatos ſanctiſſimos Epiſcopos, quantumlibet ſatis ipſi ſibi ad informandam plebem fidelem eccleſiaſticis inſtitutis eſſe videri poſſint, ex fonte tamen ſolitos originario haurire aquas, quod nimirum majoris ſcirent roboris eſſe, & majori ſuſcipi reverentia, quod ab Apoſtolica ſede conſtaret eſſe petitum.*

*Bar. 404. n. 130.*

40. San-

40. Sanctitatis doctrinæque fama tunc temporis celeberrimum fuiſſe Victricium, Paulini epiſtolæ ad eum datæ teſtantur, quibus eum magnifico exornat elogio, ita ut *Rothomagum & vicinis ante regionibus tenui nomine pervulgatum, in longinquis etiam provinciis nominari venerabiliter audimus, & inter urbes ſacratis locis nobiles cum divina laude numerari*. Præceteris vero fidei zelo inclaruerat; cujus cauſa, dum adhuc militaret ſub Juliano Apoſtata, illuſtri edita fidei confeſſione, ad martyrium deſtinatus, miraculo e carnificis manu ereptus fuerat, ut ſuo loco ad annum 362. num. 63. adnotavimus. Victricium viderat poſtea Paulinus Viennæ degentem, *ſed lugeo*, inquit, *negligentiam infelicitatis meæ, quod occaſionem tanti boni ignarus amiſerim, & Sacerdotem te tantum, quod in medio erat, viderim, & quod inerat inſignius, martyrem vivum videre neſcierim*. Epiſtola autem altera cum Victricio conqueritur, quod cum Romam veniſſet, uſque Nolam ad eum non tranſierit. *Nam & inde triſtati amaritudinem duxeramus, quod ex Urbe ad nos, ſicut ſperabamus, brevi itinere non veneras, qui ad Urbem per tanta terrarum ſpatia perveneras*. Quouſque Victricius vitam tenuerit, ignoratur; paulo poſt tamen in longæva ætate obiiſſe probabile eſt; de quo plura videri poſſunt apud editorem operum S. Paulini, diſſertatione quarta, quam ſuæ editioni Muratorius inſeruit.

Jesu Chr. an. 404. Victricii Rothomag. Epiſc. elogium, & obitus. *Paul. epiſt. 18. 37. edit. Murat. Epiſt. 18. 5. & 7. Epiſt. 37. Murat. op. S. Paul. pag. 777.*

41. Hoc eodem anno, ut auctor eſt Hieronymus, S. Paula nobiliſſima ac ſanctiſſima femina vivere deſiit. *Dormivit S. & Beata Paula, ſeptimo Kal. Februarias, tertia Sabbati poſt ſolis occubitum. Sepulta eſt quinto Kal. earumdem, Honorio Aug. ſextum, & Ariſtaneto Conſulibus. Vixit in ſancto propoſito, Romæ annos quinque, Bethleem annos viginti. Omne vitæ tempus implevit annis quinquaginta ſex, menſibus octo, diebus viginti & uno*; ejus laudes pluribus proſecutus eſt Hieronymus epiſtola ad Euſtochium, inter cetera cum multa monaſteria virorum ac mulierum in Palæſtina ædificaſſet, ipſa virginum tria cœnobia ſanctiſſimis legibus, & exemplis gubernavit: *Poſt virorum monaſterium*, ait Hieronymus, *quod viris tradiderat gubernandum*, plures virgines, quas e diverſis provinciis congregaverat, tam nobiles, quam medii, & infimi generis, in tres turmas, monaſteriaque diviſit, ita dumtaxat, ut in opere & in cibo ſeparatæ, pſalmodiis, & orationibus jungerentur. Poſt alleluja cantatum, (quo ſigno vocabantur

S. Paulæ vita ratio. *Hier. epiſt. 108. n. ult.*

 ad

Jesu Chr. an. 404. ad Collectam ) nulli reſidere licitum erat. Sed prima, ſeu inter primas veniens, ceterarum operiebatur adventum, pudore, & exemplo ad laborem eas provocans; mane autem, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, & noctis medio per ordinem Pſalterium cantabant. Nec licebat cuiquam ſororum ignorare Pſalmos, ac de Scripturis ſanctis quotidie aliquid diſcere debebant. Die Dominico ad Eccleſiam procedebant, & unumquodque agmen matrem propriam ſequebatur; atque inde revertentes, inſtabant operi diſtributo, & vel ſibi, vel ceteris indumenta faciebant. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo ſua habere comitem, ne veterum actuum memor, & laſcivientis infantiæ errorem reſricaret antiquum. Unus omnium habitus erat. Linteamine ad tergendas ſolum manus utebantur. A viris tanta ſeparatio ſervabatur, ut a Spadonibus quoque eas ſejungeret, ne ullam daret occaſionem linguæ maledicæ, quæ ſanctos carpere ſolita eſt in ſolatium delinquendi. Si qua vel tardior veniebat ad Pſalmos, vel erat in opere pigrior, variis eam modis corripiebat, illud Apoſtoli imitans: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in ſpiritu lenitatis?* Excepto victu, & veſtitu, nihil proprii eas habere patiebatur, dicente Paulo: *Habentes victum, & veſtitum his contenti ſimus*; eademque vigilantia jurgantes, laſcivientes, garrulas, rixiſque promptiores, aliiſque vitiis irretitas admonebat, arguebat, ac ad meliora conſilia revocabat. Tantæ vero continentiæ fuit, ut & pertinacior Hieronymo viſa ſit, ita ut *ſibi non parceret, & nulli cederet admonenti*, quod illuſtri confirmat exemplo. *Menſe Julio*, ait, *ferventiſſimis æſtibus incidit in ardorem febris, & poſt deſperationem, quum Dei miſericordia reſpiraſſet, & medici perſuaderent ob refectionem corporis vino opus eſſe tenui, & parco, ne aquam bibens in hydropem verteretur; & ego dum beatum Papam Epiphanium rogarem, ut eam moneret, immo compelleret vinum bibere, illa ut erat prudens, & ſolertis ingenii, ſtatim ſenſit inſidias, & ſubridens, meum eſſe, quod ille diceret, intimavit. Quid plura? quum beatus Pontifex poſt multa hortamenta exiſſet foras, quærenti mihi, quid egiſſet, reſpondit: Tantum profeci, ut ſeni homini pene perſuaſerit, ne vinum bibam.*

Epiſt. 104. n. 19.

Hier. in Ep. n. 20.

S. Paulæ obitus & funus. Pſal. 25. & 83.

42. Morti autem proxima ex pſalmo repetebat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, & : *Quam*

*& Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*, & alia his ſimilia. Interrogata a Hieronymo, *cur taceret, cur nollet reſpondere*, an doleret aliquid; Græco ſermone reſpondit: *Nihil ſe habere moleſtiæ, ſed omnia quieta, & tranquilla perſpicere*. Poſt hæc obmutuit, & clauſis oculis, quaſi jam mortalia deſpiceret, uſque ad expirationem animæ, eoſdem repetebat verſiculos, digitumque ad os tenens, Crucis ſignum pingebat in labiis. De Funere vero hæc narrat: Ex hinc non ululatus, non planctus, ut inter ſeculi homines fieri ſolet, ſed pſalmorum linguis diverſis examina concrepabant, translataque eſt Epiſcoporum manibus, qui cervicem feretro ſubjicere non dubitarunt; quam alii Pontifices lampadas, cereoſque ferentes comitabantur, ac in media Eccleſia ſpeluncæ Salvatoris eſt poſita. Tota ad funus ejus Palæſtinarum urbium turba convenit. Monachorum latentium in eremo nullum fere cellula ſua tenuit: virgines etiam cubiculorum ſecreta reliquerunt; ſacrilegium quidem putabatur, tali feminæ ultimum non redidiſſe officium. Viduæ, & pauperes, in exemplum Dorcadis, veſtes ab ea præbitas oſtendebant. Omnis inopum multitudo matrem, & nutricem ſe perdidiſſe clamabat. Quodque mirum fuit, nihil pallor mortis mutaverat faciem, ſed ita dignitas quædam, & gravitas oris apparebat, ut eam putares non mortuam, ſed dormientem. Græco, Latino, Syroque ſermone in ordine perſonabant pſalmi non ſolum triduo, donec in Eccleſia fuit, & juxta ſpecum Domini conderetur; ſed per omnem hebdomadam, aliis advenientibus, pia funeris officia perſoluta ſunt. Venerabilis virgo filia ejus Euſtochium, quaſi ablactata ſuper matrem ſuam, abſtrahi a parente non poterat; deoſculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari non ceſſabat, quaſi ſe cum matre vellet ſepeliri. Defunctæ epitaphium & ſoluta oratione, & verſibus Hieronymus conſcripſit; cui & ſe ipſum commendat dicens: *Vale o Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus juva &c.* ſed de Paulæ geſtis, obitu, funere ſatis, plura in epiſtola ad filiam ejus Euſtochium videri poſſunt.

Hieronymus Paſchalem Theophili epiſtolam in latinum vertit. *Hier. epiſt.* 100.

43. Alteram Theophyli Paſchalem epiſtolam hoc anno Hieronymus in latinum tranſtulit, quæ inter Theophyli Paſchales tertia eſt, inter Hieronymianas centeſima; eam vero labenti anno ſcriptam fuiſſe Paſchæ tempus in ea notatum indicat: *Incipient ſanctæ Quadrageſimæ jejunia ab undecima die menſis*

*Pha-*

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 404. *Phamenoth, & hebdomadæ Dominicæ Paſſionis ſextadecima die menſis Pharmuti, & finiemus jejunia veſpere Sabbati vigeſima prima die ejuſdem menſis Pharmuti, & ſequenti die Dominica Paſcha celebrabimus, vigeſima & ſecunda die ejuſdem menſis.* Quæ dies Aprilis decimoſexto reſpondet; quo anno 404. Paſcha celebratum eſt. Ea epiſtola Theophylus plura de vitiis criminibuſque fugiendis inculcat; ac Quadrageſimale jejunium diſtrictiore obſervantia ſervandum eſſe, eoque tempore a vino & carnibus fideles abſtinuiſſe docet. *Nequaquam*, ait, *diebus Quadrageſimæ, ſicut luxurioſi divites ſolent, vini poculum ſuſpiremus, neque carnium edulio delectemur.* His multa contra Origenem, ejuſque errores addit. Hanc Hieronymus eo tempore accepit, quo ob eccleſiæ tumultus, & Paulæ obitum ſe conſternatum, & in luctu fuiſſe teſtatur:

Hier. epiſt. ad Theophyl. 99. *Ex eo tempore, quo Beatitudinis tuæ accepi epiſtolas, juncto Paſchali libro, uſque in præſentem diem, ita & mœrore luctus, & ſollicitudine, ac diverſis ſuper ſtatu eccleſiæ hinc inde rumoribus exagitatus ſum, ut vix volumen tuum potuerim in latinum ſermonem vertere ... & hanc ipſam epiſtolam febre æſtuans, & quintum jam diem decumbens lectulo, nimia feſtinatione dictavi.* De Paulæ vero obitu paulo poſt ſubdit: *Obſecro te ignoſcas tarditati meæ, ita enim ſanctæ, & venerabilis Paulæ confectus ſum dormitione, ut abſque translatione hujus libri, uſque in præſentiarum, nihil aliud divini operis ſcripſerim.* Quos autem de ſtatu eccleſiæ tumultus dolebat Hieronymus, a Theophylo adverſus Chryſoſtomum excitatos deſignaſſe certum eſt.

Pachomii regulas Hieronymus in latinum vertit. Hier. op. tom. 2. p. 54. edit. Veron.

44. Paulo poſt tamen, nondum obducta, quam Paulæ obitus inflixerat, plaga, Pachomii, Theodori, & Orieſii regulas in latinum vertit, præfatione auxit, qua iterum Paulæ obitum luget, ac ſuſcepti operis rationem reddit: quod ſcilicet in monaſteriis Thebaidis, & Metanææ habitarent latinæ linguæ monachi, qui Ægyptiacum, æque ac Græcum ſermonem ignorarent, in quorum utilitatem eam translationem ſuſcepit. Scriptorum Pachomii, Theodori, & Orieſii meminit Gennadius.

Gennad. de vir. Illuſt. cap. 7. 8. 9. *Ex his vides*, ait Baronius, *quanta reverentia proſecuti ſint ſanctiſſimi ac doctiſſimi Patres inſtituta monachorum, quæ S. Hieronymus hac ex parte etiam commendanda latinis ſuis, ut ipſe teſtatur, profutura in latinum convertit.*

JE-

JESU CHRISTI an. 405. Innocentii Papæ 5.
Arcadii Imp. 23. et 11. Honorii Imp. 13. et 11.
Coss. Fl. Stilicone 2. et Anthemio.

1. Anthemius, qui faſtis hoc anno nomen dedit, pietate magis, quam purpura inclaruit. Nepos erat Philippi, qui ſub Conſtantio Præfectum Prætorio agens, Paulum CPolitanum Epiſcopum throno expulerat, aviti tamen erroris hœres non fuit, quin pietatem fidemque catholicam impenſe coluit, ad quem Chryſoſtomus Cucuſo exulans, ob adeptum conſulatum has litteras dedit: *Alii tibi conſulatus atque Præfecturæ nomine gratulantur: ego autem magnificentiæ tuæ cauſa ipſis quoque magiſtratibus, imperiiſque gratulor. Neque enim te ornarunt, verum abs te ornata ſunt. Quandoquidem etiam ea virtutis natura eſt, ut honores non aliunde mutuetur, verum ipſa eos in ſeſe circumferat, nimirum hiſce dignitatibus honorem præbens, non autem ipſa ab illis accipiens.* Hæc aliaque in Anthemii conſulis laudem Chryſoſtomus; quem etiam ſanctiſſimos monachos coluiſſe teſtatur Theodoretus, nam de geſtis Aphraatis agens hæc narrat.

Anthem. Conſulis pietas commendatur. *Chryſoſt. epiſt. 147. p. 686. tom. 3.*

*Theodor. hiſt. SS. Patrum cap. 8.*

2. Cum Anthemius, qui poſtea Conſul, & Præfectus fuit, ad Perſas legationem iniiſſet, inde reverſus Aphraatem adiit, eique tunicam apud Perſas contextam detulit, dicens: *Cum ſcirem unicuique ſuam dulcem eſſe patriam, & qui illic naſcuntur fructus eſſe jucundiſſimos; hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogoque, ut eam accipias, ego vero ſim tuæ benedictionis particeps.* Aphraates autem veſtem oblatam ſine Anthemii injuria recuſavit. Ad eum quippe dixit, ſe angi animo, utpote quod eſſet in duas partes diviſa cogitatio. Illo autem rogante cauſam: Semper, inquit, conſtitui habere unum ſolum, qui mecum habitaret, mihique ipſi hanc legem præſcripſi, ut mihi omnino denegetur duorum ſimul habitatio. Cum ergo unus mecum jam ſexdecim annis habitaſſet, mihique acceptus eſſet, acceſſit quidam meus contribulis, volens mecum habitare, & rogans ut hoc ſibi liceret, hoc mihi mentem diſtrahit; duos enim ſimul habere non patiar; contribulem enim amplector ut contribulem: priorem autem, qui mihi hactenus adfuit, expellere, & grave & iniquum exiſtimo. Anthemius vero: *Merito*, inquit, *o Pater: neque enim fas eſt, ut eum; qui*

Anthemius Aphraatem viſitat, veſtemque offert.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 405.

*qui tibi plurimo tempore inſerviit, amandes, tamquam non aptum; eum autem, cujus morum nondum feciſti periculum, propter ſolam admittas patriam.* Ad hæc divinus Aphraates: *Non accipiam ergo*, inquit, *o vir admirande, hanc tunicam; duas enim habere non patiar. Eſt enim hæc mea quidem ſententia jucundior, tua autem melior ea, quæ mihi tanto tempore inſerviit.* Sic Anthemii munus ſanctus vir prudenti conſilio recuſavit; quanta autem fidelitate, & prudentia poſt Arcadii obitum, pro Theodoſio puero Orientale Imperium adminiſtraverit Anthemius, ſuo loco dicturi ſumus.

Secunda legatio eccleſiæ CP. ad Innocentium. *Pallad. chryſ. ſt. vita pag. 10.*

3. Cum Chryſoſtomi epiſtolam accepiſſet Innocentius, & Petrum Theophyli legatum audiſſet; reprobata Theophyli ſententia, quem etiam epiſtolis monuerat anno elapſo, ut ſi judicio confideret, ſynodo ſe ſiſteret, cauſamque adverſus Joannem proſequeretur, non multo poſt, anno ſcilicet elapſo deſinente, vel labentis initio, advenit presbyter CP eccleſiæ Theotecnus reddens epiſtolas ſynodi Joannis viginti quinque Epiſcoporum, aut paulo plus, quibus docebant, & Joannem militari manu urbe expulſum, & Cucuſum in exilium ejectum fuiſſe, atque ſuccenſam Eccleſiam. Cui etiam dedit Innocentius communicatorias litteras, & ad Joannem Epiſcopum, & ad omnes Epiſcopos, qui cum eo communicabant; cum vero alter etiam Theophili legatus advenilſet, Paternus ſcilicet, Presbyter Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, litteras paucorum Epiſcoporum deferens, Acacii, Pauli, Antiochi, Cyrini, Severiani, & aliorum quorumdam, in quibus calumniabantur Joannem, quaſi Eccleſiam incendiſſet, eos adeo deſpexit Papa Innocentius, ut ne reſponſione quidem dignos judicaverit.

Aliæ Orientalium legationes ad Innocentium.

4. Cumque poſt Arſacii ordinationem in Chryſoſtomi locum, CPolitana eccleſia, ceteræque Orientales gravioribus in dies premerentur calamitatibus; qui Joanni favebant, tertiam ad Innocentium legationem miſerunt, quam Cyriacus Synnadorum Epiſcopus obiit, ſecum Imperialia edicta perferens, quibus jubebatur, ut ſi quis non communicaret Theophilo, Arſacio, & Porphyrio, ille quidem epiſcopatu arceatur, ſimul etiam amittat ſi quam viſus fuerit habere ſubſtantiam pecuniarum, aut prædiorum. Poſt Cyriacum advenit Eulyſius, Epiſcopus Apameæ Bithyniæ, reddens litteras quindecim Epiſcoporum e Synodo Joannis, & optimi ſenis Anyſii, Theſſalonicenſis Epiſcopi, in quibus præſentem totius Conſtantino-

tinopolis direptionem perſcribebant; Anyſius vero ſcribebat ſe judicio Romanæ Eccleſiæ acquieſcere. Romam deinde advenit Palladius Epiſcopus Helenopolis abſque litteris, ac ſe quoque fugiſſe magiſtratuum furorem dicebat, oſtendens Edicti exemplum his verbis conceptum: *Quicumque occultaverit Epiſcopum aut Clericum, aut omnino exceperit in domum ſuam aliquem, qui communicet Joanni, domus ejus publicetur.*

*Quarta ad Innocentium legatio pro Joanne.*
*Pallad. vita Chryſoſt. p.11.*

5. Poſt Palladium advenere Germanus Presbyter una cum Caſſiano Diacono, litteras totius cleri Joannis deferens, quibus ſcribebant Eccleſiam CPolitanam vim atque tyrannidem perpeſſam eſſe, cum Joannes Chryſoſtomus militari manu ejectus, atque in exilium actus fuiſſet per factionem Acacii, Beræ Epiſcopi, Theophyli Alexandriæ, Antiochi Ptolemaidos, & Severiani Gabalorum. Ac breviculum prædicti oſtenderunt, quo conſtabat eos pretioſa vaſa tradidiſſe Studio Præfecto Urbis, & Eutychiano Præfecto Prætorii, & Joanni Comiti Theſaurorum, & Euſtathio Quæſtori; iique aperte demonſtrabant calumniam Joanni Epiſcopo irrogatam fuiſſe, quaſi ea diſtraxiſſet: litteras quoque Presbyterorum Antiochiæ detulit, in quibus Porphyrii illegitimam ordinationem deplorabant. Advenit etiam Presbyter Domitianus, Æconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Vallagas quidam *Presbyter Niſibenus*, narrantes tum monaſteriorum, quæ ſunt in Meſopotamia, afflictionem, cum ſtragem plurimorum ex clero populoque CPolitano, aut ſanctarum virginum, ut ibidem videre eſt.

*De Caſſiano Joannis legato, an idem ac auctor collationum.*
*Gennad. de vir. Illuſt. cap. 61.*
*Bar. an. 404. n. 78.*
*Caſſianus de Incarn. adverſ. Neſtorium lib. 7. in fine.*

6. Caſſianum Diaconum, qui una cum Germano Presbytero legatus in cauſa Joannis epiſtolas cleri CPolitani Romam hoc anno detulit, auctorem Collationum SS. Patrum fuiſſe vix dubitari poteſt; quem a Chryſoſtomo Diaconum ordinatum fuiſſe ex Gennadio ſcimus; unde eos errare adnotat merito Baronius, qui alterum ſibi Caſſianum finxerunt. Quem etiam Chryſoſtomum impenſe coluiſſe, eique tamquam magiſtro quidquid ſciret tribuiſſe, idem Caſſianus teſtatur in libro de Incarnatione: *Ille*, ideſt Chryſoſtomus, *ipſe vobis etiam hæc, quæ a me ſcripta ſunt, commendat, quia hæc, quæ ego ſcripſi, ille me docuit, ac per hoc non tam meum hoc, quam illius eſſe credite, quia rivus ex fonte conſtat; & quidquid putatur eſſe diſcipuli, totum ad honorem referri convenit magiſtri.* Hæc & alia ad CPolitanos de Joanne Chryſoſtomo Caſſianus.

JESU CHR. AN. 405.

Jus appellationis ad Rom. ſedem demonſtratur

*Bar. an. 404. n. 74.*

7. Antequam Innocentii geſta in Chryſoſtomi cauſa referamus, cum Baronio adnotare juvabit, tam illuſtri exemplo, ac repetitis ex utraque parte legationibus, jus appellationum ad Romanum Pontificem, ejuſque in tota Eccleſia Primatum non tantum ordinis & dignitatis, ſed juriſdictionis etiam mirifice confirmari; non etenim ſolliciti adeo Orientales Epiſcopi fuiſſent, ut ſua ipſorum ſententia ab Innocentio Pontifice confirmaretur, niſi utraque eorum pars, qui ſcilicet Chryſoſtomo favebant, quique eum depoſuerant, irritam ipſorum fore ſententiam cognoviſſent, ſi eam Rom. Pontifex calculo ſuo non confirmaſſet. Nec non obſcura hujuſce appellationis indicia deſunt, quin & certæ probationes extant; atque imprimis id Joannis epiſtola ad Innocentium data teſtatur, qua Pontificem rogat, ut una cum fratribus ſuis, ideſt Occidentalibus Epiſcopis, quæ inique a Theophilo tentata fuerant, irrita declaret, iiſque recitatis Palladius addit: *Ad hæc Beatus Innocentius Papa utrique parti pares litteras communionis miſit, improbans judicium, quod a Theophilo factum videbatur: dicens debere aliam cogi ſynodum irreprehenſibilem Occidentalium & Orientalium.* Ideo autem Theophili ſociorumque judicium improbavit Innocentius, & Chryſoſtomi cauſam in irreprehenſibili Occidentalium & Orientalium concilio retractandam juſſit, jure Primatus, & appellationis ab utraque parte apud eum interpoſitæ. Hanc etiam Romanæ eccleſiæ prærogativam Arcadio Imperatori Honorius commemorat in epiſtola ad eum in Joannis Chryſoſtomi cauſa ſcripta: *Erat*, inquit, *inter Epiſcopos cauſa, quæ collato, contractoque concilio deberet abſolvi, miſſis ad Sacerdotes urbis æternæ, atque Italiæ utraque ex parte legatis, expectabatur ex omnium auctoritate ſententia informatura regulam diſciplinæ, integrum nempe eſſe debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet &c.* ideſt cum utraque pars ad Innocentium legatos ſuos deſtinaſſet, nil erat innovandum, ſed ejus ſententia expectanda, vel ſaltem univerſalis ſynodi judicium, ſi illud ea de cauſa utile, aut neceſſarium Innocentius exiſtimaſſet.

*Pallad. pag. 9.*

*Chryſoſt. ep. tom. 3. p. 529.*

Baſnag. objectiones ſolvuntur.

*Baſnag. ann. 404. num. 9.*

8. His autem de Chryſoſtomi ad Innocentium provocatione dictis, Hæterodoxorum plurimi, qui Rom. Pontificis Primatum, auctoritatemque cane pejus averſantur, multa objicere ſolent, præ ceteris unus audiatur Baſnagius: *Nos*, inquit, *pro-*

*provocationis neque volam invenimus, neque veſtigium*, atque ad œcumenicam ſynodum potius eum appellaſſe fatetur, ad quam idem Innocentius ad Theophylum ſcribens, ut eidem ſe ſiſteret juſſerat, quam neceſſariam finiendæ controverſiæ ipſe Innocentius in epiſtola ad Clerum CPolitanum hoc anno data teſtatur: *Quid adverſus iſta in præſenti faciemus? neceſſaria erit ſynodi cognitio, quam jam pridem congregandam eſſe diximus, ea quippe ſola eſt, quæ tempeſtates hujuſmodi ſedare poteſt*. Si ergo ad oecumenicam ſynodum appellavit Chryſoſtomus, quod Socrates & Sozomenus teſtantur, ſi eam neceſſariam eſſe, vel ipſe Innocentius cenſuit, ad Pontificem ergo non provocavit Chryſoſtomus, cum aliud ſit tribunal Pontificis, aliud vero concilii; hinc ſubdit: ſi Innocentius ut ſummus controverſiæ hujus judex appellatus fuiſſet, ad ſuum quidem, non ad concilii tribunal Theophylum advocaſſet, nec Summus Pontifex prudenter egiſſet cauſam, quàm ipſe compendiaria via definire debuiſſet, longiori & moleſtiori judicio, cujuſmodi eſt univerſale concilium, committere: addit etiam Honorium Imperatorem in epiſtola ad Arcadium una cum urbis Pontifice Italiæ Epiſcopos addidiſſe, quorum judicio eam cauſam finiendam eſſe cenſebat: ergo ſingulare Romani Pontificis privilegium nullatenus erat, ut ad eum provocaretur, alioquin & ad Italiæ Epiſcopos provocaſſe Chryſoſtomum ſequeretur, ad quos litteras & dederat, & legatos deſtinaverat. Hæc aliaque congerit multa diligentia Baſnagius, ut ad Innocentium nullatenus provocaſſe Chryſoſtomum evincat, cujuſmodi ſunt, quod Pontifex Theophylum, ſocioſque non citaverit, communione ſua non ejecerit, non exauctoraverit. Quæ tamen opinioni ſuæ tuendæ tot verbis, tantoque apparatu affert, ad rem vix faciunt, cum id tantum comprobent, quod nemo negare poteſt, juſſiſſe ſcilicet Innocentium, Chryſoſtomi cauſam coram ſynodo univerſali retractandam eſſe; inde tamen non ſequitur ad Innocentium nequaquam provocaſſe; quin potius ideo cogendam ſynodum Innocentius juſſit, quia ex utraque parte repetitis legationibus ad eum provocatum fuerit. Nec obſtat, quod judicio œcumenicæ ſynodi cauſam Joannis finiendam eſſe dixerit, quam ipſe definire potuiſſet; nam id quoque teſte Palladio fecerat, ac Theophili ſociorumque ſententiam in ſynodo ad Quercum latam improbaverat: *Innocentius Papa utri-*

JESU CHR. AN. 405.

*Socrat. lib. 6. 15. Sozom. lib. 8. 22. 26.*

*Pallad. Chryſoſt. vita p. 9.*

Jesu Chr. an. 405. *utrique parti pares litteras communionis miſit, improbans judicium, quod a Theophilo factum videbatur*. Quod itaque ſui juris erat Innocentius impleverat; atque ut ſummus Eccleſiæ judex ſententiam ſynodi ad Quercum irritaverat, cui ſubſcribere quidem Theophilus, ceterique Orientales debuiſſent; nam ut Honorius in epiſtola ad Arcadium adnotat, Pontificis Rom. ſententia Joannis cauſa finienda erat: *Miſſis ad Sacerdotes Urbis æternæ, atque Italiæ utraque ex parte legatis, expectabatur ex omnium auctoritate ſententia informatura regulam diſciplinæ*; hinc ſubdit: *Integrum nempe eſſe debuerat, neque quidquam novari dum definitio deliberata procederet*. Quod autem objicit Baſnagius, legatos non ad unum Rom. Pontificem fuiſſe deſtinatos, ſed etiam ad Italiæ Epiſcopos, quaſi eadem prærogativa cum Romano Pontifice iidem gauderent, inane omnino eſt; ſcire etenim debuiſſet, Italiæ Epiſcopis, non aliter ac Rom. Pontifici legationes fuiſſe deſtinatas, quia eorum conſilio, in rebus Eccleſiæ gravioribus pertractandis, aut quæſtionibus finiendis, Rom. Pontifices quam ſæpiſſime utebantur, quos ad concilia Romæ celebranda vocabant, aut datis epiſtolis eorum vota exquirebant, ut hiſtoriam percurrenti facile patebit. Nam Romani Pontifices ſententias ſuas, ſive in cauſa fidei, aut morum, vel in Epiſcoporum judiciis, tanquam ex tripode ut delphica oracula promere nunquam ſolent, ſed cum ſe infirmitate circumdatos eſſe ſciant, adhibitis precibus, maturaque præmiſſa conſultatione cum Italiæ Epiſcopis, aut Romano clero habita, in dubiis quæſtionibus ſententiam proferre curabant. Cauſam itaque pro ea qua pollebat auctoritate Innocentius finierat; Theophili judicium, ſynodique ad Quercum ſententiam improbaverat; Chryſoſtomi innocentiam agnoverat; quia tamen obfirmato animo in ſua perſeverabat ſuperbia Theophilus, & aulæ Imperialis, procerumque potentia fretus, Joannem exilio ejiciendum curaverat, & Innocentii Pontificis ſententiam ſpernebat, œcumenicum concilium congregandum eſſe juſſit Innocentius, ut ejus auctoritate tandem aliquando, & Chryſoſtomi innocentia, & Theophili protervia, & ſuæ ſententiæ æquitas cunctis pateret; in quibus etiam non minimum Primatus ſui dignitas effulget, dum auctoritate ſua illud congregandum, ejuſque ſententiam, ut totius Orbis Epiſcopi, ſubſcribendam juſſit. Dum autem hæc agerentur, in Theophi-

Digitized by Google

phili, ſociorumque ſuæ factionis communione perſeveravit; eoſdem ſuis ſedibus inſidere permiſit, ne intempeſtiva ſeveritate majores in Orientali eccleſia turbas excitaret, aut ſchiſma; quod Innocentii modeſtiæ, & prudentiæ adſcribendum eſt; qui ex Apoſtolo didicerat: *Multa mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Jesu Chr. an. 405.

8. Ad Innocentii Papæ geſta redimus, qui ut ea, quæ CPoli peracta fuerant, ex tot legationibus accepit, *non amplius ſuſtinens*, ait Palladius, *quid ferrent epiſtolæ illæ*, ad Honorium Imp. miſit. Ille vero Occidentalium ſynodum congregari juſſit, ac ſententiam, quam una ſimul tuliſſent, ad ſe referre præcepit; quare in unum congregati Epiſcopi Honorio ſuggeſſerunt, ut Arcadio ſcriberet, eumque rogaret, ut Theſſalonicæ ſynodum fieri juberet, qua cum Orientalibus Epiſcopis Occidentalium aliquot adeſſent. Honorius vero his acceptis, Romano Pontifici, ideſt Innocentio, ſcripſit, ut quinque epiſcopos mitteret, Presbyteros autem Romanæ Eccleſiæ duos, & Diaconum unum, qui ferrent ad fratrem ſuum epiſtolas, his ferme verbis conceptas: *Tertio jam ſcribo ad Manſuetudinem tuam, rogans, ut quæ ex compacto contra Joannem Epiſcopum geſta ſunt emendentur*, & ut Orientis Epiſcopos Theſſalonicam mitteret, ut ibidem cum Occidentalibus Epiſcopis cauſa retractaretur; a quibus ſi probatum fuiſſet, quod jure expulſus eſſet Joannes, ab ejus quidem communione recederet: aut ſi injuria id factum demonſtraverint, ſe ab eorum communione averteret; in eamque rem Epiſcopos quinque, Presbyteros duos, Diaconum unum Romanæ eccleſiæ miſiſſe adnotat, quos ut debito honore exciperet, Arcadium admonet, ac Theophilum, Alexandriæ Epiſcopum, etiam nolentem ſiſtere juberet. Epiſtola vero altera cum Arcadio agit Honorius; ut hactenus in Joannis cauſa inique geſta retractentur, ac cædes, aliaque ſcelera ob eam rem patrata longa oratione deplorat: *Idcirco hoc clementiæ veſtræ inſinuandum putavi, ne me velut gratulatione occulta faceret apud quemque taciturnitas ipſa ſuſpectum; neve quis crederet, me talibus factis præbere conſenſum; & qui ſæpe, ne acciderent, commonuerim, poſtquam commiſſa ſunt, non dolerem.* De judicio vero Joannis ab Innocentio Pontifice una cum Italiæ Epiſcopis definiendo, prout legatione expetierat Chryſoſtomus, ſubdit: *Erat inter Epiſcopos cauſa, quæ collato contractoque concilio deberet abſolvi; miſſis* Epiſt. Honorii Imp. ad Arcadium. Pallad. vit. Chryſ. p. 12.

*ad*

JESU CHR. AN. 405. *ad Sacerdotes Urbis æternæ, atque Italiæ utraque ex parte legatis, expectabatur ex omnium auctoritate ſententia, informatura regulam diſciplinæ; integrum nempe eſſe debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet &c.*

Innocentii Papæ litteræ ad Chryſoſtomum, & ad Clerum CP. *Chryſoſt. ep. tom. 3. p. 522.*

9. Eo etiam tempore per Cyriacum diaconum conſolatorias ad Joannem epiſtolas Innocentius Papa dedit, quibus eum ad tolerantiam excitat, dignaque laude exornat: *Neque enim*, ait, *tu doceri debes, tot populorum paſtor & doctor, optimos quoſque ſemper & aſſidue probari, num in vigore patientiæ permaneant, nec ulli labori ac moleſtiæ ſuccumbant*, ut poſt plurima de perferendis æquanimiter calamitatibus epiſtolam his verbis claudit: *Conſoletur charitatem tuam ipſa animi conſcientia, frater cariſſime, quæ in calamitatibus ſolet eſſe virtutis conſolatio*, & in epiſtola ad Clerum CP, non ſolum eos hortatur, ut præſentis temporis acerbitatem ferant; ſed etiam ut Joannis innocentiam tueantur, atque Epiſcopum ejus loco ordinatum fuiſſe deplorat; quæ omnia a ſynodo mox indicenda, retractanda eſſe prædicit. Quare poſt alia: *Quid adverſus iſta in præſenti faciemus? Neceſſaria erit ſynodi cognitio, quam jam pridem congregandam eſſe diximus; ea quippe ſola eſt, quæ tempeſtates hujuſmodi ſedare poteſt*; & iterum: *Nos enim multum deliberamus, quomodo Oecumenica Synodus celebranda ſit, ut per voluntatem Dei turbulenti motus ſedentur. Exſpectemus itaque tantiſper, & patientiæ muro communiti, cuncta auxilio Dei reſtituenda eſſe ſperemus. Omnia porro, quæ vos perferre dixiſtis, jam antea a Coepiſcopis, qui Romam, licet diverſis temporibus, confugerunt, ideſt a Demetrio, Cyriaco, Eulyſio, & Palladio, qui nobiſcum ſunt, ſciſcitando plane compereramus.*

*Pag. 523.*

Joannes Chryſoſt. Arabiſſum transfertur. *Epiſt 66. 130. 222.*

10. Quanta autem animi conſtantia tot adverſa pertulerit Chryſoſtomus, teſtes ſunt ejuſdem epiſtolæ ad plurimos datæ, dum exul ageret; ex multis, ad Antiochenos presbyteros ſcribens, quo animo eſſet exponit, ac inter cetera narrat ſe bene valere, ac nec obſidione, nec latronum incurſionibus, nec loci ſolitudine, nec ſexcentorum adverſorum caſuum turba, nec denique alio hujuſmodi incommodo dejici, & conturbari. Verum ſecuritate diu frui Chryſoſtomo non licuit; nam cum vix annum Cucuſo ſubſtitiſſet, Arabiſſum translatus eſt. Quot vero, tum ex Iſaurorum incurſionibus, cum ex fre-

*Pallad. vita Chryſ. tom. 12. p. 38.*

Digitized by Google

frequenti peregrinatione pericula, & incommoda pertulerit, ex ipſo Chryſoſtomo nonnulla ſcimus, ad Elpidium quippe hæc ſcribebat: *Non contemptu tui, nec incuria ſuperiori tempore ſiluimus: verum res adverſæ, quibus undique obſideremur, diuturnum hoc ſilentium effecerunt. Neque enim ullo loco certo defiximus, verum nunc Cucuſum, nunc Arabiſſum, nunc valles, ac prærupta deſertaque circumimus: uſque adeo cuncta tumultibus, ac perturbatione plena ſunt, flammaque & ferrum, tam corpora, quam ædificia omnia conficit.* Hæc Chryſoſtomus de rebus ſuis, dum Arabiſſum tranſiiſſet; eademque in aliis epiſtolis narrat ad Nicolaum Presbyterum, ad Polybium; ad Theodorum Diaconum, ubi etiam Armeniæ calamitates lamentatur: Tot *Armeniæ mala ſunt*, inquit, *ac tempeſtas altera omnia excepit: nam quocumque tandem quiſque venerit, cruentos torrentes, cadaverum agmina, domos ſolo æquatas, urbes everſas proſpiciet.* Id unum Joanni ſolatio erat, quod Otrejus Arabiſſi epiſcopus, utpote cum Joanne amicitiæ conjunctus, perhumaniter cum eo agebat.

Jesu Chr. An 405. Chryſoſtomi peregrinationes, & incommoda. Epiſt. 131. tom. 3. p. 76. Epiſt. 69. 127 67. 68. Epiſt. 126.

11. Ex epiſtolis Arabiſſo ſcriptis ſcimus eum graviſſima infirmitate laboraſſe, cui etſi peritiſſimi adeſſent medici, ob rerum tamen neceſſariarum inopiam, non ſolum medicinis carebat, ſed cunctis rebus, quæ ad vitæ commoditatem, ſanitatemque curandam uſui eſſe poterant. Morbi tamen frequentes, innumeræque calamitates, quibus undique premebatur, eum ab eccleſiarum ſollicitudine gerenda nullatenus deterrere potuerunt; atque inprimis ſui gregis eam curam exul agebat, ac ſi præſens fuiſſet, ut plures ad clerum ſuum epiſtolæ datæ teſtantur, advigilabatque ſedulo, ut presbyteri, & clerus ſibi addictus ſuo fungeretur officio. Ad Theodorum ſcribens de negligentia Saluſtii Presbyteri queritur, quod quinquies tantum ineunte menſe Octobri homilias ad populum habuerit, eademque ad ipſum Saluſtium ſcribens adnotat; Theophilum etiam Presbyterum epiſtola altera arguit, eo quod ad collectas perraro adeſſet; cumque Philippus & Euthymius presbyteri, quos CPoli ſcholis Joannes præfecerat, ejus cauſa ejecti fuiſſent, utroſque epiſtolis ſuis conſolatur Chryſoſtomus, & ut patienter jacturam ferrent, ac ut frequenter ad ſe ſcriberent, hortatur. Sed infiniti pene eſſemus, ſi aut epiſtolas ab eo ſcriptas recenſere, aut earumdem ſaltem argumenta narrare conaremur. Quantam vero pauperum viduarumque curam geſſerit, epiſtolæ ea de cauſa ſcriptæ teſtantur. 12. Nec

Joannis infirmitates, ac eccleſiarum ſollicitudo. Epiſt. 70. 181. 135. & epiſt. 15. Epiſt. 210. Epiſt. 203. Epiſt. 212. Epiſt. 213. 218. Epiſt. 217. 116.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 405.

Joannis ſollicitudo eccleſiarum Perſidis, & Gothiæ

12. Nec ſolum CPolitanæ eccleſiæ ſollicitus erat, ſed exterarum etiam, quod multis conſtat exemplis. Inter ceteros Epiſcopos, qui in ſynodo ad Quærcum contra Joannem ſententiam dixeraut, Maruthas in Meſopotamia Supharenorum, ſeu, ut alii volunt, Martyropoleos Epiſcopus in Perſidis confinio adfuerat; qui CPolim eo tempore veniens, & a Theophylo circumventus, contra Chryſoſtomum ſteterat, ubi cum eſſet, pedemque Cyrini Epiſcopi imprudens calcaſſet, ex eo vulnere miſer ille obiit, ut ſupra dictum eſt an. 403. Quia tamen vir pietate inſignis, atque ad Evangelium in Perſide propagandum utilis, & neceſſarius erat, eum impenſe Chryſoſtomus Olympiadi commendat: *Omnibus officiis eum complecti ne deſinas*, inquit, *ut eum e barathro extrahas*, ideſt ab impiorum communione, Theophili ſcilicet, ſociorumque avertas; nam ut ſubdit, *ejus opera ob Perſidis negotia egeo, atque ſi id a te fieri poteſt, ex eo intellige, quidnam illuc ipſius ſtudio atque opera perfectum ſit, & cur iſtuc profectus ſit, fac ſciam, ac num ei duas epiſtolas, quas ad eum miſi, reddideris*: multiſque, ut hæc diligenter curet, Olympiadem hortatur; unde vides Joannem ſua nihili curare, dummodo Pauli exemplo Evangelium prædicetur. Num Maruthas Chryſoſtomo reſcripſerit, vel ſocietatem aliquando cum eo inierit, prorſus ignoramus; conſtat tamen eum in Perſide Evangelium mirifice propagaſſe, ac multa ibidem miracula perpetraſſe, de quibus alibi occurret ſermo. Eadem ſollicitudine, qua evangelii propagationem in Perſide curavit, & Gothicæ eccleſiæ curam geſſit. Unilam non ita pridem ad eos miſerat virum vitæ ſanctitate, & miraculorum gratia celeberrimum, quem ut obiiſſe ſcivit, anxius ſummopere fuit, ne indignus ab Arſacio, qui CPolitanam ſedem invaſerat, Gothis Epiſcopus deſtinaretur; quare Olympiadem rogat, ut negotium differri curet: *Narraverunt mihi Marſi, ac Gothi monachi, apud quos Serapion Epiſcopus perpetuo deliteſcebat, Moduarium Diaconum veniſſe illud afferentem, admirandum illum Epiſcopum Unilam, quem non ita pridem ordinavi, atque in Gothiam miſi, multis & magnis rebus geſtis, diem ultimum clauſiſſe, ac Regis Gothorum litteras attuliſſe, quibus, ut ad eos Epiſcopus mittatur, petit. Quoniam igitur ad ſubverſionem eam, cujus minæ nobis intentantur, depellendam nullum aliud adjumentum conſpicio, quam cunctationem ac dilationem; neque enim nunc ipſi in Boſphorum, aut in illas*

Epiſt. 14. ad Olymp.

Epiſt. 14. ad Olymp. tom. 3. p. 600.

par-

*partes navigare poſſunt*; *da operam*, *ut illos tantiſper ob hyemem remoreris*; *hæc quæſo ne negligenter prætereas*, *iſtud enim maximi momenti eſt &c.* Hujuſce negotii quis exitus fuerit ignoratur; in epiſtola ad Theodolum diaconum data, eum huic negotio advigilantem hortatur, ut Deum ea de cauſa precetur, & moras trahi curet: in epiſtola vero ad monachos Gothos Promoti degentes, ob ærumnas & moleſtias patienter toleratas impenſe celebrat, hortaturque, ut negotium de novi Epiſcopi creatione, quantum poſſint, differrent. Sperabat fortaſſe Chryſoſtomus, ſe cito ad Eccleſiam ſuam Occidentalium ope redire poſſe, atque Gothis Epiſcopum dare.

13. Nicæa tranſiens Chryſoſtomus exilii locum petens, Conſtantio Presbytero ſcripſerat, ne ab officio & re ſuſcepta amoveretur, ſed pro more ſuo eos, qui adhuc Græcorum ſuperſtitionibus, ſeu Idololatriæ dediti erant, ad chriſtianam Fidem convertere pergeret, atque Phœniciæ, Arabiæ, & Orientis eccleſiarum curam gereret; his autem etiam exul continuo advigilans, ad Nicolaum Presbyterum hoc tempore epiſtolas dedit, quibus ob zelum Fidei in Phœnicia propagandæ laudat, eademque de cauſa Gerontium, & Joannem presbyteros, quos illuc miſerat, litteris ſuis hortatur, ut quanto major eſt tempeſtas, quantoque majora ingruentia mala, tanto majori ſtudio ad id opus ſuſcipiendum incumberent. Simeoni vero & Mari presbyteris, & monachis, qui Apameenſem agrum incolebant, Joannem presbyterum, qui in Phœniciam evangelii prædicandi cauſa tranſierat, commendat, illoſque hortatur, ut ſi quos generoſos & præſtantes viros nanciſcantur, qui ad eam rem auxiliarem manum afferre potuiſſent, eos illuc mittant; cumque ob tumultus in Phœnicia excitatos, in ærumnis, & periculo ibidem eſſent Evangelii præcones, metuens Joannes noſter, ne ea de cauſa ab Evangelii prædicatione ceſſarent, presbyteros, & monachos hortatur, ne ob exortum tumultum inde diſcederent. Dum hæc tanta cura Joannes ageret, ethnici Phœnices in furorem acti, adverſus monachos, qui Evangelium ibidem nunciaverant, exaſperati, eorum plures vulneribus affecerunt, quoſdam etiam occiderunt; quare timens Joannes, ne eccleſia ibidem collecta diſpergeretur, epiſtola altera ad Ruffinum presbyterum enixe rogat, ut illuc continuo iret, atque pietate, manſuetudine, patientia, qua pollebat, ingruentibus malis occurreret. Longa nimis ac prope infinita res eſſet,

*Joannis ſollicitudo pro eccleſiis Phœniciæ.*

*Epiſt. 221.*

*Epiſt. 53.*

*Epiſt. 54.*

*Epiſt. 55.*

*Epiſt. 123.*

*Epiſt. 126.*

Jesu Chr. An. 405.

cetera vel compendio narrare, quæ Chryſoſtomus tam Cucuſo, quam Arabiſſi exulans pro eccleſiarum utilitate geſſit, cujus ſollicitudinis teſtes ſunt tot epiſtolæ ea de cauſa ſcriptæ Orientalibus, & Occidentalibus Epiſcopis, quorum communione fruebatur.

Arſacii obitus, cui ſuccedit Atticus. *Socrat. lib. 6. 20. Sozom. lib. 8. 27.*

14. Dum hæc agerentur, Arſacius, qui auſu nefario CPolitanam ſedem invaſerat, ſeu potius, utpote delirus ſenex, in ea locatus fuerat, tertio idus novembris labentis anni mortem obivit, quem laudibus quidem Socrates extollit; ineptum tamen Eccleſiæ regendæ fuiſſe non obſcure Sozomenus indicat, quem etiam, ob ea quæ tunc adverſus Chryſoſtomum ſunt geſta, infamiam incurriſſe teſtatur; Menæis tamen ſuis ſanctorum numero adſcripſere Græci. Quo ſublato, cum multi tantæ ſedis occupandæ cupiditate tenerentur, tandem Atticus electus ordinatuſque fuit anno ſequenti, vir quidem induſtrius, mediocriter doctus, ſed in eos, qui Joannis Chriſoſtomi partes ſectabantur, ſævus, ut geſta ſequentibus annis monſtrabunt.

De ſynodo Carthaginenſi, ejuſque geſtis. *Hard. concil. tom. 1. p. 918. Labb. tom. 2. pag. 1662.*

15. De Carthaginenſi ſynodo hoc anno celebrata, hæc in Codice canonum eccleſiæ Africanæ leguntur: *Stylicone iterum & Anthemio VC. Coſſ. X. Kal. Septembris Carthagine in baſilica regionis ſecundæ, ut libera legatio ab omnibus provinciis ad Concilium dirigatur &c.* ut quia apud Carthaginem unitas facta eſt, dentur etiam litteræ ad Judices, ut & in aliis provinciis, & civitatibus operam impendi jubeant unitati. Quæ autem de unitate Africanis eccleſiis procuranda in Carthaginenſi ſynodo ſtatuta ſunt, paulo fuſius ſunt explicanda, atque in memoriam revocandum, eoſdem Africanos Epiſcopos anno proximo ad Honorium legationem deſtinaſſe, qua petebant, ut Donatiſtæ legibus a Theodoſio olim in hæreticos vulgatis coercerentur, atque ab injuriis vexationibuſque in

*Auguſt. epiſt. ad Bonif. 185. & contra Creſc. lib. 3. cap. 43.*

Catholicos inferendis prohiberentur. Honorius itaque tum publica legatione, cum privatorum Epiſcoporum, qui ad eum venerant, querelis excitatus, adverſus Donatiſtas non ſolum Theodoſii legem, qua librarum auri decem mulctæ hæretici ſubjiciebantur, ab iis exigendam juſſit, ſed gravioribus etiam pœnis ſubjecit, ultra quam catholici Epiſcopi poſtulaverant;

*Auguſt. epiſt. 88.*

unde Auguſtinus in epiſtola ad Januarium: *Ex concilio autem noſtri Epiſcopi legatos ad comitatum miſerunt*, inquit, *qui impetrarent, ut non omnes Epiſcopi & clerici partis veſtræ eadem condemnatione decem librarum auri, quæ in omnes hæreti*

*reticos conſtituta eſt, tenerentur, ſed hi ſoli, quorum in locis aliquas a veſtris violentias eccleſia catholica pateretur. Sed cum legati Romam venerunt, jam cicatrices epiſcopi catholici Bagaitani horrendæ ac recentiſſimæ Imperatorem commoverant, ut leges tales mitterentur, quales miſſæ ſunt.* Hinc factum, ut præter pœcuniariam mulctam decem librarum auri, Epiſcopis, ceteriſque Donatiſtarum clericis impoſitam, alias etiam in eos pœnas decerneret, ut ex lege ad Hadrianum data die 12. Februarii Ravennæ manifeſtum eſt. Quare quicumque ſive ſervum ſive liberum hominem rebaptizaſſe convictus fuerit, facultatum omnium publicatione mulctari juſſit, filiis ejus libertate facta & adipiſcendorum bonorum copia, ſi relicta parentum pravitate catholicæ Eccleſiæ ſe ſociaverint. Loca etiam, & prædia, quæ ſacrilegiis deinceps conſtiterit præbuiſſe ſecretum, Fiſco deſtinavit, ſi tamen dominum aut dominam, aut præſentem forte fuiſſe, aut conſenſum præſtitiſſe probetur. Si vero his neſciis, per conductorem procuratoremve eorum in domo agitatum hujuſmodi facinus fuiſſet, perpetuo exilio tanti ſceleris auctores, & participes plectebantur. Servis vero per vim aut ad rebaptizandum coactis, aut rebaptizatis, ad Eccleſiam catholicam confugiendi poteſtas datur, ut ejus præſidio adverſus hujus criminis, & ſocietatis auctores attributæ libertatis præſidio defenderentur. Si quis etiam iterare baptiſma præſumpſerit, aut qui conſentiendo hoc facinus propria hujus ſocietatis permixtione non damnaverit, non ſolum teſtandi, verum adipiſcendi aliquid ſub ſpecie donationis, vel agitandorum contractuum in perpetuum copia negabitur. Hæc aliaque plura Honorius Imp. adverſus Donatiſtas hoc tempore ſtatuit, quæ longum eſſet exponere.

*Cod. Theod. tit. ne Sanctum baptiſm. reiteretur, l. 4.*

16. Hæc coercendis hæreticis, & ſchiſmaticis legum ſeveritas, atque ad unitatem Eccleſiæ revocandis agendi ratio, Baſnagio ſummopere diſplicet; ejuſque ſententia, *nec recta, nec laudabilis fuit*, ait, nam ut experimento conſtat, Principum minæ perfidos quidem, & diſſimulatores faciunt, non Chriſtianos, aut catholicos; in quam ſententiam iverat Auguſtinus, re tamen melius conſiderata, & experimento edoctus retractaverat, unde ad Vincentium ſcribens, ajebat: *His ergo exemplis a collegis meis mihi propoſitis ceſſi: Nam mea primitus ſententia non erat, niſi neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vin-*

Hæreticos & Schiſmaticos legum ſeveritate coercere, & ad unitatem revocare an utile ſit.

*Baſnag. an. 405. n. 8.*

*Auguſt. epiſt. 93. n. 17.*

JESU CHR. AN. 405. *vincendum; ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota eſſet in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum Imperialium converſa eſt, quam nunc videmus ita hujus veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, ut in ea nunquam commemorabantur, ut ipſis rebus agnoſcerem etiam in hac cauſa recte intelligi poſſe quod ſcriptum eſt*: Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Qua de cauſa, cum multa in eam rem narret, inter cetera addit: *O ſi poſſem tibi oſtendere ex ipſis circumcellionibus quam multos jam catholicos manifeſtos habeamus, damnantes ſuam priſtinam vitam, & miſerabilem errorem, quo ſe arbitrabantur pro Eccleſia Dei facere quidquid inquieta temeritate faciebant; qui tamen ad hanc ſanitatem non perducerentur, niſi legum iſtarum, quæ tibi diſplicent, vinculis tanquam phrenetici ligarentur*; & paulo poſt: *Non omnis qui parcit, amicus eſt: nec omnis qui verberat, inimicus. Meliora ſunt vulnera amici, quam oſcula inimici. Melius eſt cum ſeveritate diligere, quam cum lenitate decipere &c.* Quod multis etiam exemplis confirmat, Pauli nempe, qui temporali cæcitate, & cœleſti virtute proſtratus, ad Chriſti fidem vocatus eſt, Saræ etiam ancillam, ſeu Agar affligentis, Moiſis rebellem populum duris coercitionibus afficientis, Heliæ falſos Prophetas occidentis &c. Hæc autem, aliaque ab Auguſtino ad Donatiſtarum procaciam, adverſus ſeveritatem legum Honorii Imp. oblatrantium, tradita, ſapientiſſimo Baſnagio judice, naturali divinæque legi, Chriſti etiam, Apoſtolorumque exemplis adverſantur: *Ac pace Auguſtini*, inquit, *Themiſtius utut Ethnicus in ea cauſa longe ſe ſapientiorem præbuit*; dum in oratione ad Valentem Auguſtum religionem liberam eſſe voluit, dicens: *Neque bonum virum per vim quear efficere, eſt enim virtus habitus voluntarius, neque cogere poſſis, ut id ulla re ſentiam, quod ſentire nolo &c.* Qui tamen ſapientiam ſapientum reprobavit, vana hæc Themiſtii Ethnici, & Baſnagii Calviniſtæ ſophiſmata eſſe, vel ipſa experientia magiſtra demonſtravit; nam ea legum ſeveritate factum eſt, ut Donatiſtarum plurimi ad eccleſiam redeuntes, gratias agerent, ut non uno loco narrat Auguſtinus.

*Epiſt. 93. n. 2.*

*N. 4.*

*Themiſt. orat. 12.*

*Ad. Rom.*

*Auguſt. ad Vincent. epiſt. 93., & 185.*

Pammachius colonos ſuos a ſchiſmate revocat.

17. Hoc etiam tempore Pammachius inter Romanos Senatores pietate & religione clariſſimus Numidas colonos ſuos, Dona-

Donatiſtarum ſchiſmati tenaciſſimos, ad catholicam eccleſiam revocare conatus eſt. Quamobrem gratulatorias ad eum Auguſtinus epiſtolas dedit, quibus inter cetera: *Niſi in Chriſti* caritate junctus eſſes, *non tibi tam dilecta catholica unitas foret, nec colonos tuos Afros, eo terrarum, unde Donatiſtarum error exortus eſt, hoc eſt in media Proconſulari Numidia conſtitutos, tali admoneres eloquio, tanto fervore ſpiritus animares, ut devotione promptiſſima ad ſequendum eligerent, quod te talem ac tantum virum, nonniſi agnita veritate ſequi cogitarent, & tam longe a te locorum intervallis remoti, irent ſub idem caput, atque in ejus membris in æternum tecum deputarentur, cujus præcepto tibi temporaliter ſerviunt. In hoc ergo tuo facto, te cognitum amplectens exſultavi, ut gratularer tibi in Chriſto Jeſu Domino noſtro, tibi has gratulatorias litteras mitterem &c.* deinde: *O quam multorum tecum pariter Senatorum, pariterque ſanctæ Eccleſiæ filiorum, tale opus deſideramus in Africa, de quali tuo lætamur; ſed illos periculoſum eſt exhortari, tibi ſecurum eſt congratulari.* Hæc aliaque ad Pammachium, cum quo etiam Hieronymus neceſſitudinem, & amicitiam habuit, ut ejuſdem teſtantur epiſtolæ.

Jesu Chr. an. 405. *Auguſt. epiſt.* 58.

18. Cum Anno 400, Romanam eccleſiam Anaſtaſio adminiſtrante, Toleti conveniſſent Hiſpaniarum Epiſcopi, de eccleſiaſtica diſciplina ſervanda multa tractantes, Priſcillianæ factionis clericos ad eccleſiam redeuntes cum honoribus ſuis recipiendos cenſuerunt. Toletanorum tamen Patrum nonnullos ea in Priſcillianiſtas clericos clementia ita offendit, ut graves inde contentiones exorirentur; quibus ſopiendis Apoſtolicam ſedem conſulendam cenſuerunt. In quam rem Innocentii extat epiſtola ad Toletanos Patres inſcripta; non vero ad Toloſanos, ut in nonnullis Codicibus legebatur. Cur autem tam ſero Toletanorum Patrum conſultationibus reſponderit Innocentius, nobis incompertum eſt, ac multi multa divinando dixerunt. Id unum conſtat, Innocentium adhibitam in Priſcillianiſtarum clericos agendi rationem confirmaſſe, ac multa eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodiendæ aptiſſima ſuggeſſiſſe his verbis: *Fratres noſtri*, inquit, *coepiſcopus Hilarius, Alpidius presbyter, partim unitatis amore permoti, partim qua laborat provincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad Sedem Apoſtolicam commearunt, & in ipſo ſinu fidei violatam intra provincia pacem, diſciplinæ rationem eſſe confuſam, & multa* con-

Innocentii Papæ epiſtola ad ſynodum Toletanam. *Coutan. epiſt. Rom. Pontif.* pag. 758.

*Coutan.* p. 764.

*contra canones Patrum, contempto ordine, reguliſque neglectis, in uſurpatione Eccleſiarum fuiſſe commiſſa, nec concordiam, in qua fidei noſtræ ſtabilitas tota conſiſtit, poſſe retineri, cum dolore, & gemitu proſecuti ſunt &c.* Hortatur itaque Pontifex, ut pacem, unitatemque foveant, atque clementiam in Priſcillianiſtas ab Toletana ſynodo adhibitam, impenſe laudat, & confirmat. Quæ vero contra Nicænos canones a Minicio & Rufino uſurpata fuerant, dum in alienis diœceſibus clericos ordinare præſumpſerant, reprobanda eſſe declarat; ac Joannis Epiſcopi, *cujus in ſynodo Toletana ſuper receptis Symphoſio, & Dictinii per legatos conſenſus acceſſit*, ut cauſa diſcutiatur, jubet; Ordinationes vero contra canones factas tolerandas eſſe denunciat; impoſterum tamen vitandas eſſe jubet. Gregorii autem Emeritenſis querelas ut exciperent, hortatur, atque *in invidos honoris alterius vindicetur*. Tandem quæ in clericorum ordinationibus regulæ ſervandæ eſſent, pluribus edocet.

Regulæ in clericorum ordinationibus ſervandæ. Pag. 770.

19. Ac primum ne quiſpiam, qui poſt baptiſmum militaverit, ad ordinem clericatus admitteretur, aut qui cauſas poſt acceptum baptiſmum egerit; neque de curialibus aliquem venire ad eccleſiaſticum ordinem poſſe, qui poſt baptiſmum vel coronati fuerint, vel Sacerdotium Idolorum ſuſtinuerint, & editiones publicas celebraverint. Hoc etiam de curialibus ſtatuit, ne iidem aliquando a ſuis Curiis abſtrahentur, ne forte ad officia ſua etiam inviti revocarentur. In ordine autem Clericorum ii eligendi erant, qui ab ineunte ætate baptizati fuerant, & Lectorum officio ſociati; vel ſi majores erant, & uxorem habuerint, eam virginem & unicam habuerint, cum in veteri Teſtamento ſcriptum eſſet, *Uxorem virginem accipiat Sacerdos*; Paulus vero Apoſtolus ait: *Unius uxoris virum*. Nec illud admitti debet, quod aliquanti pro defenſione pravi erroris afferebant, quod ante baptiſmum uxor accepta non deberet imputari; quia in baptiſmo peccata dimittuntur, non uxorum numerus aboletur. Hæc aliaque ibidem Innocentius Papa.

Levit. 21. 13. 1. Tim. 3. 2.

Innocentii epiſtola ad Exuperium. Couſtan. p. 796

20. Hoc eodem anno X. *Kal. Martias Stilicone ſecundo, & Anthemio VC. Coſſ.* ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum epiſtolas dedit Innocentius Papa, qua dubiis quibuſdam ſibi propoſitis reſpondet. Quis vero, quantuſque fuerit Exuperius, ex Hieronymo ad Ruſticum ſcribenti conſtat: *S. Exuperius*, inquit, *Toloſæ Epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator eſu.*

Hier. epiſt. 125. in fin.

Jesu Chr. An. 405.

3. Reg. 17.

Exuperii laudes.

*eſuriens paſcit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur aliena, omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro: qui avaritiam ejecit e Templo, qui abſque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, ideſt dona S. Spiritus, menſaſque ſubvertit, mammona, & nummulariorum æra diſperſit, ut domus Dei domus vocetur orationis, & non latronum ſpelunca. Hujus tu e vicino ſectare veſtigia*; & ad Ageruchiam iterum de Exuperio: *Non poſſum*, inquit, *abſque lacrymis Toloſæ facere mentionem, quæ ut hucuſque non rueret, ſancti Epiſcopi Exuperii merita præſtiterunt*; hæc ipſe de Exuperii laudibus. Is itaque cum Innocentium conſuluiſſet de variis diſciplinæ capitibus, præſertim de ſacrarum Scripturarum canone, Innocentius ut ſatisfaceret, laudata tanti viri modeſtia, qua in rebus dubiis Apoſtolicam ſedem adierat, primo capite docet Presbyteros & Diaconos, quos incontinentes fuiſſe generati filii prodiderunt, juxta canonum regulas omni eccleſiaſtico honore privandos eſſe, quod ſi Siricii legem eos ignoraſſe conſtabit, *gradus ſuos, in quibus inventi fuerint, ſic retentent, ut eis non liceat ad potiora conſcendere, &* impoſterum in continentia perſeverent. Quæſierat etiam, quid de his obſervari oporteret, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo tandem vitæ exitu pœnitentiam, & reconciliationem communionis expoſcebant; de quibus: *Obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior*; itaut etſi antiquitus concederetur pœnitentia, & communio negaretur, aut utraque; ut aliis placet, negaretur; pœnitentiam tamen, & communionem dandam eſſe decernit, *ne Novatiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſequi videamur*. De his vero, *qui poſt baptiſmum adminiſtraverunt, aut tormenta ſola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere ſententiam*, quæſitum fuerat, an ad communionem admittendi eſſent, quos ſuo arbitrio relinquendos cenſet Innocentius. Capite ſequenti adulterii crimen idem in viro ac muliere eſſe reſpondet, etſi æqualis pœna non ſemper irrogetur, ac graviori ut plurimum mulieres, quam viri ſubjicerentur. An licitum eſſet Chriſtiano a Principibus mortem alicujus, aut ſanguinem petere, interrogaverat Exuperius, quod nequaquam prohibitum fuiſſe reſpondet, & *dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit*

*dicta-*

Hier. epiſt. 123. n. 26.

De Presbyteris, & Diaconis qui continentiam violarunt.

De poenitentia morituris danda.

*dictator immunis*. Qui vero ob adulterium divortium fecerant; ſi ad alias nuptias tranſiiſſent, abſtinendos omnino eſſe jubet, & a communione removendos. Tandem qui libri in canone recipiendi eſſent, quive rejiciendi, his verbis edocet: Moyſi libri quinque, ideſt, Geneſi, Exodi, Levitici, Numeri, Deuterenomii, & Jeſu Nave, Judicum unus, Regum libri quatuor, ſimul & Ruth, Prophetarum libri ſexdecim, Salomonis libri quinque, Pſalterium. Item hiſtoriarum, Job liber unus, Tobiæ liber unus, Heſter unus, Judith unus, Machabæorum duo. Novi vero Teſtamenti, Evangeliorum libri quatuor, Pauli Apoſtoli epiſtolæ quatuordecim, epiſtolæ Joannis tres, epiſtolæ Petri duæ, epiſtola Judæ, epiſtola Jacobi, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Joannis. Cetera autem, quæ vel ſub nomine Matthiæ, ſive Jacobi minoris, vel ſub nomine Petri, & Joannis, quæ a quodam Leucio ſcripta ſunt, (vel ſub nomine Andreæ, quæ a Nexocharide, & Leonida philoſophis) vel ſub nomine Thomæ, & ſi qua ſunt alia, non ſolum repudianda, verum etiam damnanda eſſe ſtatuit.

De libris canonicis. *Coutan. pag. 795.*

Italiam Radagayſus invadit. *Bar. an. 406. n. 1. Pag. ibid. Murat. an. 405. Baſnag. ibid.*

21. Celeberrimam de Radagayſo victoriam narrare aggredimur, quam etſi anno ſequenti alligaverint poſt Baronium Petavius, Gothofredus, aliique, labenti tamen affigendam eſſe, multis argumentis docent viri doctiſſimi Pagius, Muratorius, Baſnagius. De ea Marcellinus in Cronico, conſulibus Arcadio ſextum, & Anicio Probo, ideſt anno ſequenti, hæc habet: *Radagayſus Paganus natione Scbyta, cum ducentis millibus ſuorum totam Italiam inundavit. Cum Huldin & Saurus* (vel Sarus) *Hunnorum, Gothorumque Reges, Radagayſum continuo confecerunt, ipſius capite amputato, captivos ejus ſingulis aureis diſtrahentes*. Proſper vero ad hunc annum Stilicone, & Anthemio Coſſ. victum debellatumque Radagayſum narrat: *Radagayſus in Thuſcia, multis Gothorum millibus cæſis ducente exercitum Stilicone, ſuperatus & captus eſt*. Proſpero conſentit Iſidorus, confirmatque Paulinus carmine 13. de S. Felice, Januario ineunte anni ſequentis recitato, quo indicat eam victoriam labenti anno habitam fuiſſe, unde habet:

*Murat. anecd. latina tom. 1. Paulin. op. p. 309. & 513.*

*Candida pax lætum grata vice temporis annum*
*Poſt hyemes ætas tranquillo lumine ducit,*
*Inſtanteſque Getas ipſis jam faucibus Urbis*
*Pellere, & exitium, ſeu vincula vertere in ipſos,*
*Qui miniſtrabantur Romanis ultima Regnis.*

dein-

Digitized by Google

Deinde Chriſti potentiam admirans, qua Barbari deleti ſunt, addit: Jesu Chr. an. 405.

..... *Mactatis pariter cum Rege profano*
*Hoſtibus &c.*

22. Cum immenſa Barbarorum manu in Italiam anno elapſo erumpens Radagayſus, eam vaſtando excurrerat, in Romanos præcipue furens, quorum ſanguinem Diis ſuis litaverat. *Rex Gothorum Radagayſius, genere Schyta*, ait Iſidorus in Chronico, *cultui Idolatriæ deditus, barbaricæ immanitatis feritate ſæviſſimus, cum ducentum armatis Sarmatarum millibus, Italiæ partes vehementi vaſtatione aggreditur, ſpondens in contemptum Chriſti Romanorum ſanguinem Diis ſuis litare, ſi vinceret*. In Thuſiam vero irrumpens, Romanorum cervicibus jamjam imminere videbatur; eoque *Romanis arcibus imminente*, ait Oroſius, *fit omnium Paganorum in Urbe concurſus: Hoſtem eſſe cum utique virium copia, tum maxime præſidio Deorum potentem: Urbem autem ideo deſtitutam, & mature perituram, quia Deos & ſacra perdiderit. Magnis querelis ubique agitur; & continuo de repetendis ſacris celebrandiſque tractatur. Fervent tota Urbe blaſphemiæ: vulgo nomen Chriſti tamquam lues aliqua præſentium temporum probris ingravatur*. At cœleſtem opem ſuis Chriſtus attulit; nam etſi Barbaris & Gothis Urbs tradenda eſſet, Alaricum tamen abſentem elegerat Deus, inſultantem vero Radagayſum, & Urbi jam proximum repulit, ne Ethnici inſolentiores fierent, aut Chriſtiani ſcandalum paterentur. Quare ut adnotat Oroſius, cum duo tunc populi Gothorum cum duobus potentiſſimis Regibus ſuis per Romanas Provincias baccharentur; quorum unus Chriſtianus, propiorque Romano, & (ut res docuit) timore Dei mitis in cæde; alius Paganus, barbarus, & vere Scytha, qui non tantum gloriam, aut prædam, quantum inexatiabili crudelitate ipſam cædem amaret in cæde; & hic jam receptus ſinu Italiæ, Romam e proximo trementem terrore quaſſaret; juſtus Deus, diſpenſator humani generis, perire Paganum hoſtem voluit, & Chriſtianum prævalere permiſit; ut Pagani, blaſphemanteſque Romani, & illo confunderentur perdito, & hoc punirentur immiſſo; maxime cum Imperatoris Honorii admiranda continentia, & ſan-

Ethnici Idolatriam reſtituere conantur.

Oroſ. lib. 7. 37.

Jesu Chr. An. 405. ctiſſima fides, non parum divinæ miſericordiæ mereretur.

Ingens & mira de Rhadagayſo victoria.

23. Victoriam porro de Rhadagayſo divina ope, non humanis viribus partam, ſcriptores graviſſimi ac coævi paſſim celebrant Oroſius, Auguſtinus, Paulinus Nolanus, aliique. In Romanorum quidem auxilium adfuerunt Hilevin & Sarus, Hunnorum & Gothorum duces; eorum tamen armis victoriam adſcribi Deus non permiſit. Nam Rhadagayſum in Feſulanos montes redactum, ejuſque (ſecundum eos qui parciſſime referunt) ducenta millia hominum, inopum conſilii & cibi, in arido & aſpero montis jugo, urgente undique timore, concluſit. *Quid multis morer?* ait Oroſius, *non diſpoſita in bellum acies fuit, non furor timorque incerta pugnæ pretulit; non cædes acta, non ſanguis effuſus eſt; non poſtremo (quod felicitatis loco deputari ſolet) damna pugnæ eventu compenſata victoriæ: edentibus, bibentibus, ludentibus noſtris, tanti illi, tamque immanes hoſtes eſurientes, & ſitientes languenteſque confecti ſunt.* Cum exercitus dux ipſe Radagayſus, ſolus ſpem fugæ ſumens, clam ſuos deſerens, in Romanos incidit, a quibus captus, ac pauliſper retentus, *deinde interfectus eſt.* Tanta vero multitudo captivorum Gothorum fuit, ut viliſſimarum pecudum modo ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur.

Chriſti potentia Rhadagayſus debellatur. *Auguſt. ſerm. 29. in Lucam.*

24. Celeberrimæ victoriæ divinitus habitæ meminit Auguſtinus, eaque occaſione Chriſti potentiam celebrat. *Mementote fratres*, ait in ſermone ad populum, *mementote, non eſt longum, pauci anni ſunt, recordamini. Everſis in urbe Roma omnibus ſimulacris, Rhadagayſus Rex Gothorum cum ingenti exercitu, multo numeroſiore, quam Alarici fuit, venit. Paganus homo erat Rhadagayſus, Jovi ſacrificabat quotidie, nunciabatur ubique, quod a ſacrificiis non deſiſteret Rhadagayſus. Tunc omnes iſti* (Pagani ſcilicet) *Ecce nos non ſacrificamus, ille ſacrificat: vinci habemus a ſacrificante, quibus non licet ſacrificare. Deus oſtendens, quia non in iſtis ſacrificiis eſt ipſa temporalis ſalus, ipſa regna terrena: victus eſt Rhadagayſus, adjuvante Domino, miro modo. Poſtea venerunt Gothi, &c.* Libris autem de Civitate Dei eadem commemorans, quantum Chriſto Roma deberet pluribus exponit, quæ ibidem videri poſſunt. Eam victoriam S. Ambroſius e Cœlo Florentinis ea de cauſa trepidantibus prædixerat; nam teſte Paulino: *Eo tempore, quo Rhadagayſus ſupradictum Florentinam*

*Auguſt. de civit. Dei lib. 5. c. 23.*

Digitized by Google

*nam civitatem obſederat, cum jam de ſe penitus deſperaſſent viri civitatis ipſius, per viſum cuidam apparuit, & promiſit alio die ſalutem illis affuturam. Quo referente, civium animi ſunt erecti, nam altero die, adveniente Stilicone tunc Comite cum exercitu, facta eſt de hoſtibus victoria. Hæc Panſophia religioſa femina, matre pueri Panſophii, referente cognovimus*; eamdemque victoriam anno ſequenti verſibus ſuis cecinit Paulinus, quam Apoſtolorum Petri & Pauli precibus tribuit, nam inter cetera habet:

*Cum furor accenſus, divinæ motibus iræ,*
*Immiſſo Gatiis arderet in urbibus hoſte,*
*.... Auguſti pueri victoria pacem*
*Reddidit: atque annis tener idem, & fortis in armis*
*Prævaluit virtute Dei, & mortalia fregit*
*Robora, ſacrilegum Chriſto ſuperante tyrannum.*
*Ut Romana ſalus, & publica vita maneret*
*Hic Petrus, hic Paulus, proceres hic Martyrum omnes,*
*Quos ſimul innumeros magnæ tenet ambitus Urbis,*
*Quoſque per innumeras diffuſo lumine gentes*
*Intra Romuleos veneratur eccleſia fines,*
*Sollicitas ſimul impenſo duxere precatu.*
*Excubias* &c.

Sed de ea victoria hactenus.

JESU CHR. AN. 405. Ambroſii prædictio de Rhadagayſi interitu. *Paulin. Ambr. vita. Tom. 4. pag. 14. Paul. carm. 13. in S. Felicem. pag. 513.*

## JESU CHRISTI AN. 406. INNOCENTII PAPÆ 6. ARCADII IMP. 24. ET 12. HONORII IMP. 14. ET 12. THEODOSII JUNIORIS AN. 5. COSS. ARCADIO AUG. VI. ET ANICIO PROBO.

Trophæa Imperatoribus Romæ erecta, & Stiliconi ſtatua. *Apud. Gruterum pag. 287. ibid. p. 412. Cod. Theod. tit. de tyron. l. 16. & 17.* Atticus Arſacio in CP. ſede ſucceſſor, quis fuerit.

1. Ob inſignem victoriam adverſus Rhadagayſum anno proximo habitam, trophæa Imperatoribus Arcadio, Honorio, & Theodoſio juniori, Romæ erecta fuiſſe veteres inſcriptiones teſtantur, eodemque tempore, Flavio Piſidio Romulo urbis Præfecto curante, Stiliconi Duci ſtatua ærea dedicata eſt. Rhadagayſi interitu, Imperio, & Italiæ ſecuritas non eſt reſtituta, cujus cervicibus Alaricus in Pannonia degens inſtabat; qua de cauſa ut Imperii vires augeret Honorius, dum Ravennæ eſſet, ſervos etiam armari juſſit, ingenuis vero ſtipendia auxit.

2. *Tertio idus novemb. Stilicone iterum, & Anthemio Coſſ.*

JESU CHR. AN. 406. *Coſſ*, Arſacius CPolitanæ ſedis invaſor obierat, cui poſt quatuor menſes anni ſequentis, ideſt labentis 406. *Arcadio ſextum, & Probo Coſſ.* ſucceſſit *Atticus vir religioſus*, ait Socrates, *qui ex Sebaſtia Armeniæ generis ſui originem ducebat. Ceterum monaſticæ vitæ genus ab ineunte adoleſcentia ſectatus fuerat, ac diſciplinis quidem mediocriter inſtitutus; naturali prudentia magis valebat.* Eum tertio idus Martias labentis anni Arſacio ſucceſſiſſe, ex Sozomeno ſcimus, qui de eodem narrat: *Quarto poſt obitum illius menſe*, ideſt Arſacii, *Atticus CPolitani cleri presbyter, qui unus fuerat ex Joannis inſidiatoribus.* Qui quidem ab ineunte ætate in monaſtica philoſophia inſtitutus fuit a Monachis Macedonianis, qui tunc temporis in hujus ſapientiæ ſtudio apud Sebaſtiam florebant, virilem ingreſſus ætatem, ad Catholicam Eccleſiam redierat. Hic porro cum eſſet natura magis, quam diſciplina prudens, in rebus agendis ſummæ fuit dexteritatis, & ad ſtruendas atque evitandas inſidias ſolertiſſimus, moribus autem blandus, itaut pleriſque gratus eſſet; in concionibus vero Eccleſiaſticis mediocris, cujus ſermones nec digni, qui excriberentur, nec prorſus eruditionis expertes auditoribus erant. Palladius tamen utpote Attico inſenſiſſimus, de ejuſdem moribus, & eruditione a Sozomeno longe diſtat; eumque non ſolum illiteratum ſcribit, ſed etiam adverſus eos, qui ejus communionem adverſabantur immitem fuiſſe, atque ex geſtis ejuſdem confirmat.

*Socrat. lib. 6. 20.*

*Sozom. lib. 8. 27.*

*Pallad. Chryſoſt. vita p. 38.*

Chryſoſtomi epiſtolae ad Occidentales datæ.

3. Interea cum ſciret Chryſoſtomus Occidentales Epiſcopos ſibi favere, ſuæque reſtitutionis ſollicitos eſſe, ac Innocentium Pontificem ad Arcadium Imperatorem legationem deſtinaſſe, epiſtolas plurimas, tum in communi ad Occidentales, cum ſingulatim ad quamplurimos per Evethium Presbyterum dedit, quibus gratias agit, & ut in propoſito perſiſtant, impenſe hortatur. *Privatim ſingulis*, ait ad Occiden[tal]es ſcribens, *& univerſim omnibus gratias vobis deferre debemus, non nos duntaxat, ſed etiam omnes Orientales Epiſcopi, diverſarum urbium clerici, ac laici vario modo pulſi, quod paterna viſcera exhibentes, vicem noſtram doluiſtis, fortiterque ſtetiſtis*, & ut eamdem fortitudinem in re ſuſcepta exhibeant, obſecrat; aliis epiſtolis, ut perturbationem, quæ Orientales eccleſias invaſerat, ſedare conentur, pluribus rogat. Præceteris Chryſoſtomo favebant Chromatius Aquilejenſis Epiſcopus, Venerius Mediolanenſis, Gaudentius Brixienſis, Anyſius Theſſaloni-

*Epiſt. 152.*

153. 154. *ad* 168.

*Epiſt.* 154. 182. 183. 184. 185.

Digitized by Google

lonicenſis, Macedoniæ etiam Epiſcopi, Heſychius Salonæ, quibus etiam epiſtolas dedit, gratiaſque egit: Epiſcopis vero, Romaniſque Presbyteris, qui legationem ad Arcadium pro ejuſdem reſtitutione ſuſceperant, per eumdem Evethium Presbyterum ſcribens, immenſis eos exornat præconiis, atque ut in re bene cœpta perſeverent, hortatur; dignæ ſane ut annalibus infererentur, niſi nos earum copia & prolixitas deterreret. *Epiſt. 157. ad 162.*

4. Quis autem tantæ legationis exitus fuerit, ex Palladio ſcimus. Igitur S. Emilius Beneventi Epiſcopus, & Cythegius, & Gaudentius, una cum Valentiniano & Bonifacio Presbyteris, cum accepiſſent litteras Imperatoris Honorii, Papæ Innocentii aliorumque, Chromatii ſcilicet Aquilejenſis, & Venerii Mediolanenſis, nec non commonitorium Synodi totius Occidentis, publica evectione Conſtantinopolim profecti ſunt. Commonitorium autem continebat, Joannem judicium ingredi non debere, niſi ipſi prius reſtituta fuiſſet Eccleſia. Conſtantinopolim autem pergentes, dum adhuc in via eſſent, ac Athenas perveniſſent, ea pati coacti ſunt legati ab Occidentalibus miſſi, quæ neque apud barbaras gentes, quibus legatorum dignitas venerationi eſſe ſolet, ſuſtinuiſſent; nam a quodam Tribuno detenti eos Theſſalonicam ne accedere quidem permiſit, etſi litteras Anyſio Epiſcopo, & Romanæ ſedis Legato tradendas ferrent, ſed ſtatim navigare eos juſſit, & ingruente Auſtro vehementi, tribus diebus ægæum mare ſine cibo trajecerunt, ac circa duodecimam tertii diei horam ante Urbem regiam juxta ſuburbana Victoris pervenerunt; ubi concluſi fuerunt in maritimo Thraciæ caſtello, Athyra dicto, Romani quidem in una domuncula, in pluribus vero qui cum Cyriaco erant, illicque multis modis vexati, ita ut ne famulus quidem præſto eſſet, qui miniſtraret. Litteræ interea ut ſibi traderentur Tribunus juſſit; at ii: *Qui fieri poteſt, ut qui legati ſumus, litteras Imperatoris & Epiſcoporum ferentes, ipſi Imperatori non reddamus?* Repulſam itaque paſſus ex Tribunis alter Valerianus, per vim eas ab eorum manibus, rupto etiam Mariani Epiſcopi pollice, abſtulit, ac oblatis tribus millibus numiſmatum, ut Attico communicarent, & Joannis cauſam desererent, hortatus eſt, quod cum iis perſuadere non poſſet, ad ſua redire juſſit, quinimo compulit. Qui fuerint Occidentalium legati, quidve pati coacti fuerint. *Pallad. dial. p. 13.*

5. Quo

JESU CHR. AN. 406.

Samuelis Prophetæ reliquiæ CPolim translatæ.

*Niceph. lib.* 13. 10.

*Hier. tom.* 2. *p.* 391. *edit. Veron.*

5. Quo tempore Arcadius Imp., & Atticus CP. Epiſcopus, ſanctiſſimum virum, ideſt Chryſoſtomum perſequebantur, Reliquias Samuelis Prophetæ, ex Palæſtina CPolim transferendas curarunt; eaſque Honorio, & Attico curantibus, multa cum pompa CP. translatas fuiſſe ex chronico Alex. ſcimus, poſtmodum, teſte Nicephoro, in templo, quod Samuelis dictum eſt, prope Septimum honorifice conditæ ſunt, cujus tranſlationis meminit quoque Hieronymus, adverſus Vigilantium ſcribens: *Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa B. Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam: Omnes Epiſcopi, non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portaverunt: Stulti omnium eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis Reliquiis, & tanta lætitia quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem una voce reſonarent*. De eadem translatione agens Baſnagius, ex religionis quidem amore hæc manaſſe fatetur, at minus ſapienter id factum fuiſſe adnotat; ita ut *hic locum inveniant Apoſtoli verba*. *Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*, cum tamen Reliquiarum translationes non ſolum Arcadius Imp., & Atticus CP. Epiſcopus probaverint, ſed ante ipſos, & cum iis eadem fecerint, aut laudaverint alii eccleſiæ Patres Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, aliique ſexcenti, omnes quidem Baſnagio judice, zelum quidem Dei habuiſſe dicendum eſt, ſed non ſecundum ſcientiam, itaut Vigilantio, ejuſque imitatoribus Baſnagio, ceteriſque Calvinianæ, aut Lutheranicæ ſectæ aſſeclis, multas debeamus gratias, qui multa ſapientia ornati, tandem Eccleſiam docerent, & Reliquiarum cultum, venerationem, translationeſque improbarent; unde cum Hieronymo repetere juvabit. *Sacrilegus dicendus eſt Arcadius Aug. qui oſſa B. Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam. Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi... Stulti omnium eccleſiarum populi*: & iterum; *Male ergo facit Rom. Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria, & non ſolum unius urbis, ſed totius*

Reliquiarum translatio injuria a Baſnagio improbata.

*Baſnag.* 407. *n* 1.
*Hier. ut ſup. & p.* 395.

tius

JESU CHR. AN. 406.

*tius Orbis errant Epiſcopi, qui Cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur baſilicas mortuorum, in quibus pulvis viliſſimus & favilla neſcio quæ jacet linteamine convoluta &c.* eadem, quæ in Vigilantium adnotavit Hieronymus, Baſnagio ceteriſque reliquiarum contemtoribus aptari poſſe, nemo non videt; quorum ſapientiam deſurſum non eſſe dixerim, ſed terrenam, animalem, diabolicam.

*Jacob. 3. 15.*

De Vigilantii Patria, & ſtudiis.

8. Translatio Reliquiarum Samuelis Prophetæ eo tempore accidit, quo Vigilantius adverſus Sanctorum Reliquias, earumque cultum impuro ore blatrabat, ita ut vel ipſo facto pateret cunctis, eum ab eccleſiæ fide ac moribus diſſidere. Antequam de ejuſdem hæreſi agamus, de impii nebulonis patria, & ſtudiis aliqua ſunt prænotanda, de quibus hæc Gennadius: *Vigilantius Presbyter natione Gallus, in Hiſpania Barcinonenſis parochiæ eccleſiam tenuit, &c.* Is tamen *imperitus & verbis, & ſcientia, & ſermone inconditus* a Hieronymo dictus eſt. Gennadium quidem redarguit Baronius, eo quod Vigilantium Gallum natione dixerit, quem Hiſpanum fuiſſe tradit, Calaguri natum, ut ait Hieronymus: *Iſte Caupo Calagurritanus*. Baronianam Gennadii cenſuram calculo ſuo Caveus, aliique comprobarunt; immerito tamen ea de cauſa vapulaſſe Gennadium viri docti adnotant, & ut conciliationem inter Gennadium, & Hironymum a Baſnagio inventam prætereamus, utpote ad rem minus aptam, dum Vigilantium origine Hiſpanum nativitate Gallum fuiſſe tradit, conſtat omnino eum & origine, & nativitate Gallum fuiſſe in vico Calagorgis natum prope Convennas, ut pluribus demonſtrat Pagius, confirmatque tum ex Antonini itinerario, cum ex Hieronymi auctoritate, qui non ſemel Vigilantium origine, & nativitate Gallum fuiſſe teſtatur in ſuo adverſus Vigilantium commentario, cujus initio hæc adnotat: *Multa in Orbe monſtra generata ſunt, Centaurus &c. .... Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortibus & eloquentiſſimis abundavit. Exortus eſt ſubito Vigilantius, ſeu verius Dormitantius &c.* & iterum de Vigilantii origine, & patria: *Reſpondet generi ſuo, ut qui de latronum, & Convennarum natus eſt ſemine &c.* paulo poſt, iterum: *Galliæ vernaculum hoſtem ſuſtinent*.

*Gennad. de ſcripſ. ecclet.*
*Hier. adverſ. Vigil. tom. 2.*
*Bar. 406. 41.*
*Hier. adverſ. Vigil. cap. 1. tom. 2. p. 388. Caveus hiſt. litt. In Vigil. Baſnag. 406. 7.*
*Pag. not. ad an. 406. 5. ad 12. in. lib. Hier. adv. Vigil. moultum. p. 386.*
*P. 390.*

De Vigilantii inıtiis, & moribus.

9. Vigilantius itaque in Gallia ortus, parochiæ Barcinonenſis eccleſiam tenuit, teſte Gennadio, qui antequam in Galliam hæreſis ſuæ venena evomiturus rediret, S. Paulino No-

*Paulin. epiſt. 5. n. 11.*

JESU CHR. AN. 406. Nolano Epiſcopo percarus fuit, de quo in epiſtola ad Severum; *Vigilantius quoque noſter in Campania, & antequam ad nos perveniret, & poſtea quam pervenit, vi febrium laboravit & ægritudini noſtræ, quia & ipſe ſociale membrum erat, ſocio labore compaſſus eſt*. Eique in Gallias redeunte epiſtolas ad Severum deferendas dedit. *Ergo ut cœpit Vigilantius noſter progredi poſſe, tum demum cenſui ſcripta eſſe reddenda*. Quem etiam in Palæſtinam migrantem Hieronymo commendaverat, ut adverſus eum ſcribens teſtatur; peramanter vero eum tunc ab Hieronymo exceptum fuiſſe in altera ad eumdem Paulinum Epiſtola his verbis teſtatus eſt: *Sanctum Vigilantium presbyterum, qua aviditate ſuſceperim, melius eſt, ut ipſius verbis, quam meis diſcas litteris*. Cum autem a Ripario presbytero admonitus fuit Vigilantium ab Eccleſiæ fide, & moribus aliena diſſeminare, eidem reſpondens Hieronymus ajebat: *Ego ego vidi hoc aliquando portentum, & teſtimoniis Scripturarum; quaſi vinculis Hippocratis volui ligare furioſum, ſed abiit, exceſſit, evaſit, erupit*. Inter cetera eidem exprobrat, quod dum adhuc in Palæſtina eſſet, inverecundiæ ſuæ non obſcura indicia dederat, nam ſubito exorto terræmotu, nudus aufugerat. *In hac provincia*, ait, *cum ſubitus terræmotus noctis medio omnes de ſomno excitaſſet, tu prudentiſſimus, & ſapientiſſimus mortalium, nudus orabas, & referebas nobis Adam, & Evam de Paradiſo: & illi quidem apertis oculis erubuerunt, nudos ſe eſſe cernentes, & verenda texerunt arborum foliis: tu & tunica, & fide nudus, ſubitoque timore perterritus, & aliquid habens nocturnæ crapulæ, ſanctorum oculis obſcœnam partem corporis ingerebas, ut tuam indicares prudentiam*.

*Hieronym. epiſt. 61.*
*Hier. epiſt. 59. in fine.*
*Epiſt. 109.*
*Hier. adverſ. Vigil. pag. 398.*

Vigilantius hæreſim ſuam prodit.

10. Palæſtina excedens in Ægyptum tranſierat, aliaſque provincias peragraverat, tandem cum in Gallias rediiſſet, hæreſim ſuam palam prodidit, cujus hæc erant capita. Martyres, eorumque Reliquias nullatenus venerandas eſſe ajebat, nec ad eorum ſepulchra vigilandum, alioque cultu proſequendos, Sanctorum vero precibus chriſtianos adjuvari, at cœlites terrenis neceſſitatibus tangi negabat. Nonnullas etiam Eccleſiæ cæremonias, eam præcipue, qua cerei accendebantur, dum legeretur Evangelium, reſpuebat; Alleluja autem in Paſchate tantum cantandum eſſe dicebat; voluntariam bonorum abdicationem in monachis, aut eleemoſinas, quæ Hieroſolymam mittebantur, & Epiſcoporum, aliorumque clericorum cœlibatum

tum carpebat, ut laſciviarum ac libidinis incitamentum; unde Epiſcopis aliquot perſuaſerat, neminem in clerum eſſe admittendum, niſi quos tumentes uxorum ventres probaſſent eſſe maritos. Vigilantii errores curſim leviterque Hieronymus in epiſtola ad Riparium presbyterum confutaverat anno. 404, cum nondum hæretici hominis commentarios accepiſſet, quibus poſtmodum lectis labenti anno acrius pleniuſque, ſingula ejuſdem hæreſis capita impugnavit, quem librum Ripario, & Deſiderio inſcripſit ac Siſinio, cui etiam commentarios in Zachariam Prophetam Exuperio Tholoſano deferendos dedit, quos, ut in præfatione teſtatur, ſub conſulatu Arcadii Aug. ſexti, & Anicii Probi, ſe elucubraſſe narrat; ex quo loco ſcimus, labenti anno adverſus Vigilantii hæreſim Hieronymum ſcripſiſſe, & quod mirum eſt una nocte perfeciſſe. *Hæc ut dixi ſanctorum presbyterorum rogatu, Riparii ſcilicet, & Deſiderii, unius noctis lucubratione dictavi, feſtinante admodum fratre Siſinnio, propter ſanctorum refrigeria ad Ægyptum ire properante.* Qua de cauſa Riparius, & Deſiderius Hieronymum rogaverint, ut Vigilantii blaſphemias confutaret, his verbis narrat: *Auctores ſunt hujus dictatiunculæ meæ Sancti presbyteri Riparius, & Deſiderius, qui parœcias ſuas vicinia iſtius ſcribunt eſſe maculatas, miſeruntque libros per fratrem Siſinnium, quos inter crapulam ſtertens evomuit, & aſſerunt repertos eſſe nonnullos, qui faventes vitiis ſuis, illius blaſphemiis aquieſcant. &c.*

*Epiſt. 109.*

Hieronymus adverſ. Vigilant. ſcribit.

*Cap. ultimo.*

*Cap. 3. p. 389. tom. 2. edit. Veron.*

II. Inter plurima, quæ ad refutandam Vigilantii hæreſim Hieronymus habet, hæc delibaſſe ſufficiet, ne libros exſcribere videamur: *Ais, Vigilantium os fœtidum rurſus aperire; & putorem ſpurciſſimum contra Sanctorum Martyrum proferre reliquias: & nos qui eas ſuſpicimus appellare Cinerarios & Idolatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur. O infelicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens, non ſe intelligit eſſe Samaritanum & Judæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vaſa, quæ in eadem domo fuerint, pollui ſuſpicantur*; cumque Eccleſiæ conſuetudinem cereos lampadeſque accendendi ad ſepulchra martyrum Vigilantius improbaret, & apochryphi libri auctoritate innixus, poſt mortem nullum pro alio deprecandi facultatem habere dixiſſet, ejus temeritatem his verbis Hieronymus arguit: *Tu vigilans dormis, & dormiens ſcribis, & proponis mihi librum apocryphum, qui ſub nomine a te, & ſimi-*

Singula Vigilantii capita a Hieronymo confutata.

*Epiſt. 109. ad Riparium.*

*Hier. adv Vigil. cap. 7. pag. 393.*

JESU CHR. AN. 406. *ſimilibus tui legitur, ubi ſcriptum eſt, quod poſt mortem nullus pro aliis audeat deprecari, quem ego librum nunquam legi. Quid enim neceſſe eſt in manus ſumere, quod Eccleſia non ſuſcipit*; ad id autem, quod addebat, vigilias in eccleſia, excepto Paſchatis feſto, celebrandas non eſſe, quod occaſionem inde ad delinquendum nonnulli captarent, reſpondet: *Error autem & culpa juvenum, viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpe deprehenditur, non eſt religioſis hominibus imputandus, quia in vigiliis Paſchæ tale quid fieri plerumque convincitur, & tamen paucorum culpa non præjudicat religioni, qui & abſque vigiliis poſſunt errare vel in ſuis, vel in alienis domibus; Apoſtolorum fidem Judæ proditio non deſtruxit*. Ad id vero quod impie addebat impoſtor, ſigna ad Martyrum ſepulchra fieri ſolita Dæmonum præſtigiis eſſe imputanda; cum ſigna infidelibus darentur, non fidelibus; *ſentio, ſentio infeliciſſime mortalium*, ejus temeritatem redarguens Hieronymus ait, *quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpe hoc viliſſimo tortus eſt pulvere, immo hodieque torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in ceteris confitetur... Do conſilium, ingredere baſilicas Martyrum, & aliquando purgaberis, invenies ibi multos ſocios tuos, & nequaquam cereis Martyrum, qui tibi diſplicent, ſed flammis inviſibilibus cumbureris*.

*Pag. 396.*

*pag. 397.*

Quanta religione martyrum reliquiæ haberentur. *P. 398.*

12. Quo autem honore Martyrum Reliquias haberet, eorumque baſilicas revereretur idem Hieronymus, his verbis teſtatur: *Ego confiteor timorem meum, ne forſitan de ſuperſtitione deſcendat. Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore, & animo contremiſco*. Bonorum vero abrenunciationem Apoſtolorum exemplis, & Evangelica auctoritate laudabiliter fieri his verbis probat: *Non a me ei, ſed a Domino reſpondebitur. Si vis eſſe perfectus, vade vende omnia, quæ habes & da pauperibus, & veni ſequere me* &c. Hæc aliaque plurima Hieronymus adverſus Vigilantium, qui non ſolum bonorum abrenunciationem, ſed virorum etiam receſſum in ſolitudinem, monachorumque vitam impuro ore carpebat, quem eodem loco Hieronymus confutavit, obſtruxitque os impia loquens, ac in ipſo naſcentis hæreſis exordio penitus eam fere extinxit, ita ut ſanctis Epiſcopis, ad eam penitus extirpandam, vix laboran-

randum fuerit, cum pii homines hujuſcemodi blaſphemiis aures obſtruerent, utpote quæ tales eſſent, quæ omnem penitus diſſolverent Eccleſiæ diſciplinam, virtutum omnium germina ſucciderent, cœlibatum ſcilicet, monachorumque vitam, Eccleſiæ ritus, dogmata, Sanctorumque cultum & venerationem. Fuſiori quidem ſtylo ſe adverſus Vigilantium ſcripturum eſſe promiſerat Hieronymus, ſi iterum adverſus eum, ſanctorumque cultum muſſitaſſet, nova tamen confutatione opus non fuit. *Quod ſi Dormitantius in mea rurſus maledicta vigilaverit, & eodem ore blaſphemo, quo Apoſtolos, & martyres laceraverat, de me quoque putaverit detrahendum, nequaquam illi brevi lucubratiuncula, ſed tota nocte vigilabo*; quem cum acriori, vehementiorique ſtylo confutaverit, hanc idem Hieronymus Ripario ſcribens rationem, aut excuſationem reddit: *Tacita me forſitan cogitatione reprehendas, cur in abſentem invehar. Fatebor tibi dolorem meum. Sacrilegium tantum patienter audire non poſſum &c.* Sic Vigilantii hæreſis, unica fere Hieronymi ſcriptiuncula, tanta facilitate, ac felicitate repreſſa, ac per multa ſecula extincta pene remanſit, donec e cineribus, ſeu potius ab Inferis Pſeudoreformatorum ſtudio, a Lutheranis ſcilicet, & Calviniſtis, aliſque iis conſentientibus, in ſcenam revocaretur, quorum veſtigiis inhærens Baſnagius, pro Vigilantio apologiam texere non erubuit, ac de Reliquiarum Sanctorumque cultu, & veneratione acturus, ut incautis lectoribus fucum faceret, priſca ſecula Reliquiarum cultum, venerationemque ignoraſſe ſcribit, plebejamque religionem appellat, quam merito Vigilantium improbaſſe adnotat; adverſus quem hoc loco plura non addimus, ne actum alibi, & præcipue tomo primo anno 55, iterum agamus.

Jesu Chr. an. 406.

*Hier. adverſ. Vigil. cap. ult.*

*Hier. epiſt. 109.*

*Baſnag. an. 406. 7. 8. 9.*

13. Hoc etiam anno editis in Zachariam, Oſeam, Joelem, Amos, & Malachiam Prophetas ſuis commentariis Hieronymus eccleſiam ditavit, de quibus ad Pammachium: *Præſenti anno, qui ſexti conſulatus Arcadii Auguſti, & Anicii Probi faſtiis nomen impoſuit, Exuperio Toloſanæ eccleſiæ Pontifici Zachariam, & ejuſdem urbis Minerio, & Alexandro monachis, Malachiam Prophetam interpretatus ſum: ſtatimque recurrens ad principium voluminis, Oſea, & Joel, & Amos tibi negare non potui.* Hæc Hieronymus, cum vix de graviſſima convaluiſſet infirmitate, trementibus adhuc digitorum articulis.

Hieronymi lucubrationes hoc anno vulgatæ.

*Hier. comm. in Amos præf. lib. 3.*

 JE-

Jesu Chr. An. 407.

JESU CHRISTI AN. 407. INNOCENTII PAPÆ 7. ARCADII IMP. 25. ET 13. THEODOSII JUN. IMP. 6. COSS. HONORIO AUG. VII. ET THEODOSIO AUG. II.

Honorii leges adverſus hæreticos. *Cod. Theod. De hæret. l. 40.*

1. Conſulatum ſeptimum Honorius repetitis hæreticorum vexationibus illuſtravit. Inter cetera extat edictum, *octavo Kal. Martii, Romæ, Honorio ſeptimum, & Theodoſio ſecundum AA. Coſſ.*, quo Manichæi, Phryges, Priſcillianiſtæ, variis afficiuntur pœnis, eorumque accuſationem publicam eſſe jubet, *quia quod in religione divina committitur, in omnium fertur injuriam*. Quos etiam bonorum publicatione mulctavit, eaque proximioribus parentibus catholicam fidem profitentibus tranſire voluit. Omni quoque acquirendi facultate, ſive ex contractu, aut ex teſtamento hæreticos privavit, data etiam eorum ſervis licentia ad eccleſiam confugiendi, fideliori ſervitio deputandis, ideſt eccleſiæ; ac tandem *Rector Provinciæ ſi hæc crimina diſſimulatione, vel gratia delata diſtulerit, aut convicta neglexerit, ſciat ſe mulcta viginti librarum auri feriendum. Defenſores quoque, & principales Urbium ſingularum, nec non & Officia provincialia decem librarum auri pæna conſtringet; niſi in his, quæ a Judicibus ſuper hoc præcepta fuerint, exequendis, & ſagaciſſimam curam, & ſolertiſſimam operam commodarint. Dat. VIII. Kal. Martii Romæ, Honorio ſeptimum, & Theodoſio ſecundum AA. Coſſ.*

S. Joannes Chryſoſtomus diu vexatus obiit.

2. Occidentalium ad Orientales repetitæ querelæ, frequenteſque legationes pro Chryſoſtomi reditu, eidem obitum maturaſſe, a vero non eſt alienum, ut ex dicendis infra conſtabit, nam hoc anno ærumnis confectus ad cœleſtem gloriam tranſiit: *Honorio ſeptimum, & Theodoſio ſecundum Coſſ.*, ait Socrates, *XVIII. Kal Octob. S. Joannes Chryſoſtomus Comanis apud Pontum Euxinum ex hac vita migravit*, quem decimaquarta Septembris obiiſſe exploratum eſt; quæ autem exitum ejus præceſſerint, prius ſunt adnotanda. Tertio itaque exilii anno, cum Arabiſſi adhuc detineretur, Joannem presbyterum & Paulum diaconum Romam mittens, ultimas ad Innocentium epiſtolas dedit, quibus ob ſuæ innocentiæ tutelam ab eo ſuſceptam gratias agit, enixeque rogat, ut pro eccleſiæ unitate ſervanda mitius cum perſecutoribus ſuis ageret. *Corpus quidem noſtrum uno eodemque loco tenetur*, inquit, *carita-*

*Socrat. lib. 6. 21.*

*Coutan. epiſt. Rom. Pont. pag. 809.*

Digitized by Google

*ritatis autem ala in univerſo Orbe circumvolitat. Proinde licet tanta itineris intercapedine ſeparati ſimus, a pietate tamen veſtra non abſumus. Sed quotidie vobis præſentes ſumus; caritatis enim oculis videmus veſtram illam fortitudinem, ſincerum affectum, conſtantiamque non mutabilem, conſolationemque illam magnam perpetuam, atque ſtabilem, quam nobis affertis....... Ea propter & gratias vobis habemus multas, & deſideramus quidem ad vos dare crebras litteras, id quod nobis maximo foret ſolatio &c.* His multa ſubdit de exilii ſui ærumnis, ac ne ob ingruentes undique difficultates ab incepto ceſſaret, Innocentium Pontificem rogat; eodemque tempore alias ad Probam, & Julianam Romanas matronas, litteras dedit, apud quas legatos ſuos Romæ hoſpitari acceperat, ob quam cauſam gratias agit, ac Joannem presbyterum, & Paulum diaconum legatos ſuos eiſdem commendat.

JESU CHR. AN. 407. Epiſt. Joannis Chryſoſt. ad Innocentium Papam. *Contan. pag. Chryſ. ſt. tom. 3. pag. 521.*

Chryſ. epiſt. ad Probam, & Julianam.

3. Interea cum indies Chryſoſtomus per Orientem, Occidentemque clareſceret, atque ad eum, non ſolum in ſua ſede reſtituendum in Oriente plurimi, totuſque Occidens conſpiraret, *vehementius invidiæ flamma incenſi*, ait Palladius, *Severianus & Porphyrius*, ac quidam alii Epiſcopi Syriæ, ut illinc quoque transferretur, aut etiam ut vita privaretur, moliuntur; eaque de cauſa ad Comitatum mittentes, reſcriptum obtinent, ut Pityuntem, locum regionis Tzanorum deſertiſſimum ad litus Pontici maris, deportaretur. Milites autem Præfecti Prætorio, qui eum ducebant, per viam eum maxime urgebant, dicentes ſe maximo prœmio affecturos, ſi mortuus eſſet in itinere. Hinc cum imber eſſet vehemens, nihil curabant, etſi per dorſum & per pectus aquarum rivi decurrerent, aut ſolis æſtu Joannis caput vexaretur; menſibus autem tribus difficile iter peractum eſt. Cum autem Comanis appropinquaſſent, prætergreſſi extra muros in martyrio quinque, aut ſex millibus diſſito manſerunt, ubi cum eſſet, eadem nocte apparuit ei loci illius Martyr, nomine Baſiliſcus, qui Epiſcopus Comanorum cum eſſet, martyrio obierat, dicens: Macte animo, frater Joannes, craſtina enim die una erimus. Prædixerat quoque Presbytero cuidam ejus loci dicens: Para locum fratri Joanni.

Joannes Chryſoſtomus ex Arabiſſo Pityuntem transfertur. *Pallad. vit. Chryſ. p. 39. tom. 12.*

4. Quare Oraculo credens Joannes, ſequenti die oravit milites, ut ad horam quintam uſque ibi permanerent. At eo invito iter agere coegerunt; confectis tamen triginta ſtadiis, rur-

Joannes Chryſoſt. Comanis obiit.

Digitized by Google

rurſus ad martyrium, unde diſceſſerant, redierunt, cum graviter ille ſe ſe haberet. Ad martyrii locum reverſus, candidas veſtes induit, omnibus ad calceamenta uſque mutatis, atque reliqua præſentibus deſtribuit; & ſumptis Dominicis ſymbolis, coram adſtantibus ultimam orationem fecit; & cum dixiſſet more ſuo: *Gloria Deo propter omnia, & ultimum amen obſignaſſet*, ibidem mortuus eſt. *Tanta autem*, ſubdit Palladius, *multitudo virginum, monachorum, & qui ſanctitatis teſtimonium habebant aderant e Syria, Cilicia, Ponto, atque Armenia, ut plerique putarent quaſi dato ſigno eos adveniſſe. Pollinctus igitur ad ſepulturam, & feſta celebritate honeſtatus, velut victor Athleta, una cum Baſiliſco ſepelitur in eodem martyrio*, obiit vero die ſeptembris decimaquarta, Honorio ſeptimum, & Theodoſio iterum conſulibus, ut narrat Socrates, anno ætatis ſexageſimo, non vero quinquageſimo ſecundo, ut poſt Leonem Auguſtum quamplurimi tradiderunt.

*Socrat. lib. 6. 21.*
*Bar. 307. n. 9.*

*Socrates, & Baſnagius injuſti Chryſoſtomi cenſores.*

5. Joannis laudes non ſolum ejus ætatis, ſed etiam ſequentium temporum ſcriptores celeberrimi, ſanctique viri perſecuti ſunt, ſi unum, aut alterum excipias, qui præjudiciis ſuis, aut erroribus indulgentes, ob nimiam ejus dicendi libertatem, aut in peccantes indulgentiam, criminati ſunt, ut ex antiquis Socrati, ex recenſioribus vero Baſnagio contigit; nam primus, cum in multis ſe Joannis obſequentiſſimum præferat, Novatianorum tamen vel erroribus, vel gratia deceptus, ejus tum dicendi libertatem, cum in peccatores ad pœnitentiam alliciendos indulgentiam, ſe vix probare poſſe adnotat. Socratis judicio libenter ſubſcribit Baſnagius, qui inter cetera de eodem hæc addit: *Optandum quidem ut iracundiæ, ad quam propenſior erat, robuſtiora vir optimus frena injeciſſet, atque credulitati, quibus affectibus ita ſe comparavit, ut Principes acrioribus verbis pungeret, ſibique maxime infenſos efficeret, melius ſane fuiſſet, ſi palam & publice Eudoxiam Auguſtam Herodiadis nomine non affeciſſet. Sed & ipſius nonnulla reperiuntur, puriſſimæ veritati non ſatis conſona*. Quod collectis undique locis aliquot ex immenſa homiliarum ejus mole confirmare nititur, injuria tamen hæc Baſnagius, aliique reformatæ religionis viri, ſanctiſſimo Præſuli objecerunt, aut locum aliquem in ſuæ ſectæ, & hæreſis tutelam interpretati ſunt; nam quæ fuerit aut Chryſoſtomi, aut alterius cujuſque Sancti Patris ſententia, non ex uno, aut altero loco, quem facile quiſquam opi-

*Socrat. lib. 6. 21. 22.*
*Socrat. lib. 7. 6.*
*Baſnag. an. 407. 7.*

opinionibus ſuis accommodat, eruenda eſt; ſed aut ex toto orationis contextu, aut ex pluribus in eamdem rem collatis locis, ita ut ſi locus quiſpiam dubius occurrat, qui in utramque partem facile interpretari poſſit, ex aliis clarioribus, ubi præſertim eo de argumento agitur, explicari debet, de quibus erudite, copioſeque viri docti pertractarunt, præceteris Montfoconius in præfatione prævia ad ejuſdem opera. Quanta autem pietate Chryſoſtomi reliquias CPolim transferendas curaverit Theodoſius junior, eaſque venerationi habuerit, idem refert, ſed de his infra ſuo loco.

*Chryſoſt. op. tom. 1 Dupin. ſecul. 5. tom. 7. in 4. aut 29. & 30.*

6. Multa quidem de Chryſoſtomi obitu dicenda ſupereſſent, ſi fides Georgio Alexandrino, Leoni Auguſto, Nicephoro Clyca, Damaſceno, aliiſque Graecis hiſtoricis habenda eſſet; cujuſmodi ſunt Innocentii Papæ epiſtolæ minarum plenæ, quibus Imperatorem, Eudoxiam Auguſtam, ac Epiſcopos ſceleris participes excommunicavit, tum Arcadii excuſatoriæ epiſtolæ ad Innocentium plures, aliæque eo de argumento Honorii Imp. ad Arcadium fratrem, *fide quidem*, ut ait Baronius, *explorata, germana, in omnibus ſincera, &c.* hæc tamen inter apocrypha recenſenda eſſe, dubitari vix poteſt, cum Eudoxia Auguſta; quæ una cum marito Innocentii epiſtolis anathemate damnatur, anno 404. vivere deſiiſſet, ut ſuo loco adnotavimus.

*Nat. Alex. ſec. 4. diſſert. Theodor. lib. 5. cap. 36.*

De Chryſoſtomi geſtis, & obitu apocrypha monumenta rejiciuntur.

*N. 25. 26. 27. Coutan. append. ad epiſt. Rom. Pontif. p. 103. Pag. not. in Bar.*

7. Hoc quoque anno Carthagine ſynodum celebratam fuiſſe, ex ejuſdem præfatione ſcimus, qua hæc habentur: *Glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio ſeptimum & Theodoſio ſecundum Aug. Coſſ., Idibus Junii, Carthagine in Baſilica regionis ſecundæ, Cum Aurelius Epiſcopus una cum Epiſcopis ſuis conſediſſet &c.* Cumque multa ibidem ſtatuta ſint, quæ eccleſiæ Africanæ cauſas ſpectabant, hæc notatu digniora occurrunt. Inprimis quæ de plenario concilio celebrando ſingulis annis Hipponenſi ſynodo olim ſtatuta fuerant, revocantur, nam placuit: *Ut non ſit ultra fatigandis fratribus annuaria neceſſitas*, ſed quoties id cauſa communis totius Africæ exegerit, tunc Epiſcopus Carthaginenſis in ea provincia, ubi opportunum judicaverit, univerſalem ſynodum congregabit; leviores vero cauſæ in provinciis judicentur. Canone altero cautum eſt, ut Vincentius, & Fortunatianus legati omnium provinciarum a glorioſiſſimis Imperatoribus poſtulent, ut dent facultatem eligendi ſcholaſticos, ſive advocatos, qui eccleſiarum defenſionem ſuſcipiant. Eo-

Concilium Carthaginenſe ejuſque canones.

*Labb. tom. 2. p. 1660. Har. tom. 1. p.*

JESU CHR. AN. 407. Eorum votis annuens Honorius lege lata juſſit, ut defenſores eccleſiarum, & eccleſiaſticorum privilegiorum, ex Advocatorum corpore conſtituerentur. Hi vero eccleſiarum defenſores ab aliis, qui pauperum erant, diſtinguebantur, de quibus in altero concilio Carthaginenſi anno 398. habito hæc leguntur: *Propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis, ſine intermiſſione fatigatur eccleſia, poſtulandum eſt, ut defenſores eis adverſus potentias divitum, cum Epiſcoporum proviſione delegentur*. Sed de defenſoribus eccleſiarum, & pauperum, vel civitatum, videatur Gothofredus in notis ad Codicem Theodoſianum, tum in dictas leges.

8. Tandem ut cetera in hac ſynodo geſta prætereamus, canone ultimo cautum eſt: *Ut quicumque ad Comitatum irevoluerit, in formata, quæ ad urbis Romæ eccleſiam mittitur, intimetur, ut inde etiam ad Comitatum formatam accipiat. Quod ſi accipiens tantummodo Romanam formatam, & tacens neceſſitatem, qua ad Comitatum illi pergendum eſt, voluerit etiam ad Comitatum pergere, a communione removeatur. Quod ſi ibi Romæ repentina neceſſitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Epiſcopum urbis Romæ ipſam neceſſitatem, & de hoc ſcripta ejuſdem Rom. Epiſcopi perferet. Formatæ autem, quæ a Primatibus, vel a quibuſcumque Epiſcopis, clericis propriis dantur, habeant diem Paſchæ. Quod ſi ejuſdem anni Paſchæ dies incertus eſt, ille præcedens adjungatur, quomodo ſolet. Poſt conſulatum in publicis geſtis adſcribi*. Hactenus de formatis epiſtolis, & Carthaginenſi ſynodo, quibus etiam huic volumini finem imponimus.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

# INDEX
## RERUM PRÆCIPUARUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

*Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.*

### A

Africana Eccl. a Gildonis tyrannide liberata. 235. 6.
A Circumcellionibus vexatur. 237. 8. Ejuſd. epiſt. ad Anaſtaſium Pap. de Donatiſtis recipiendis. 329. 33. Africana concilia vide ſynodus.
Alaricus Gothor. Rex in Italiam irruit. 343. 1. Ter victus excedit. 346. 3.
Alipius Hieroſolym. proficiſcitur; mox in Africam redit. 151. 10.
Allelnja quid ſignificat, ejuſque uſus in Eccl. 15. 20.
Ambroſius Juſtinæ Aug. perſecutionem ſuſtinet. 8. 11. & ſeqq. Milites a Juſtina miſſi cum eo reconciliantur. 9. 14. & ſeq. Ejus res in melius mutantur. 11. 16. Uſus pſallendi alternatim in Occidente ab eo invectus. 13. 18. Cum Auxentio diſputare recuſat, & quare. 23. 4. Valentiniani legem pro Arianis injuſtam declarat. 24. 5. Cum Arianis diſputare recuſat. 25. 6. & ſeq. Exilio deſtinatur, divinitus liberatur. 26. 8. & ſeq. Ss. Mart. Gervaſ. & Prothaſii corpora invenit. 27. 10. & ſeq. Novæ in eumdem inſidiæ. 29. 13. Ejus legatio ad Maximum. 46. 1. & ſeqq. Epiſt. de Judæorum ſynagoga, & Valentinianor. templo a Chriſtianis inceuſo. 65. 9. & ſeq. Theodoſium Imper. publice redarguit. 66. 11. & ſeq. Gentilibus reſiſtit. 68. 13. Viduæ depoſitum ſervat. *ibid.* 14. Theodoſium ad pœnit. excitat. 109. 6. & ſeq. Ejus ſollicitudo pro Valentiniani ſepulcro. 138. 7. Geſta & miracula Florentiæ patrata. 141. 10. Eugenii aſpectum vitat. 144. 1. Theodoſium luget & laudat. 182. 4. & ſeqq. Corpora Ss. Nazarii & Celſi detegit. 202. 27. Eccl. immunitatis vindex. 203. 1. Epiſt. a Fritigila Regina accipit, eique reſcribit. 204. 2. Item ad Vercellenſes de Epiſcopo eligendo. *ibid.* 3. Ejus obitus. 210. 1. Ultima ejuſd. geſta & dicta, 211. 2. & 3. Miracula & apparitiones. 212. 4. De ejus ſcriptis, & vita a Paulino edita. *ibid.* 5. & 6.
Ambroſius alter ab Ep. Mediol. 213. 6.
Amphilochii elogium. 168. 17. De eod. ejuſque operibus. 170. 18.
Anaſtaſius Pap. poſt Siricium. 254. 38.

28. Ad Simplicianum Mediol. Ep. ſcribit. 311. 15. Item ad Joannem Hieroſolym. Ep. 312. 16. An Ruffinum damnaverit. ibid. Epiſt. altera ad Afric. Epiſcopos. 328. 32. Innocentium ſucceſſorem habuit. 332. 35.

Antemii Conſ. pietas. 399. 1. Aphraatem viſitat, eique veſtem offert. *ibid.* 2.

Antiocheni ſtatuas Theodoſii dejiciunt, & tumultuantur 55. 19. Poſt ſeditionem eorum luctuoſus ſtatus. 56. 20. *& ſeqq.* In melius mutatur. 58. 25.

Aquilius ſeverus, & Audentius Eccl. ſcriptores. 79. 36.

Arbogaſtes Valentinianum Imp. occidit. 135. 4. & 137. 6. Ejuſd. & Flaviani interitus. 156. 4.

Arcadium inter & Gallam diſſidia. 120. 22. In Orientali Imperio Theodoſio ſuccedit. 182. 3. ac 184. 9. Ejus nuptiæ cum Eudoxia. 186. 12. Ejuſd. leges contra hæreticos, & paganos. 191. 17. Ejus religio & pietas. 192. 18. Eccl. immunitatem lege lata violat. 242. 15. Ad ſupplicium damnatos a Clericis vel Monachis abripi per vim prohibet. 243. 17. Idololatriam deſtruit. 273. 12. & 13. Lex CP. data pro tumult. componendis. 385. 27.

Archieroſynæ munus quid fuerit. 43. 35.

Arianor. adverſus Ambroſium perſecutio vid. *Ambroſius*, & *Auxentius*. Arianus a dæmone obſeſſus, veritatem confitetur. 29. 12. CPoli tumultuantur. 64. 9. Eor. plurimi ad Cath. fidem redeunt. 193. 19.

Arſacius CP. Ep. Chryſoſt. loco ſuffectus. 382. 23. Atticum ſucceſſorem habuit. 410. 14.

Atticus in CPtana Sede Arſacio ſuccedit. 410. 14. Quis fuerit. 419. 2.

Audentius Eccl. ſcriptor. vid. *Aquilius*.

Auguſta Maximi Imp. uxor Martino convivium exhibet. 40. 27.

Auguſtini oratio in Bautonis laudem. 1. Ejuſd. geſta uſque ad baptiſmum. 31. 16. S. Antonii, aliorumq. exemplis ad vitæ emendationem excitatur. *ibid.* 17. Cæleſti voce vocatus, toto corde ad Deum convertitur. 33. 18. Ab Ambroſio baptizatur. 50. 9. Ei Evodius in ſancto propoſito ſociatur. 51. 11. Matris funus celebrat, ejuſque animam commendat. 54. 16. Romam reverſus plura ſcripſit. *ibid.* 17. In Africam redit. 84. 43. Carthaginem appulſus miram refert infirmi curationem. *ibid.* 44. Tagaſte piis operibus vacat. 85. 45. Presbyter ordinatur. 128. 6. Monaſticæ vitæ in Africa auctor & propagator. 129. 7. Sermocinari juſſus dilationem petit. 130. 8. Ejus opera ante Epiſcopatum. 152. 11. Semipelagianis favet. *ibid.* Donatiſtas confutat. 174. 23. Hippon. Epiſc. ordinatur. 194. 20. Convivia in Eccl. fieri vetat. 196. 22. *& ſeqq.* Ejuſd. collatio cum Fortunio Donatiſtar. Ep. 224. 15. Epiſt. ad Donatiſtas. *ibid.* Ad Glorium altera, & Felicem Donatiſtas.

Digitized by Google

ſtas. 226. 16. Pro eiſdem intercedit. 237. 9. Pro eorumd. converſione ſollicitudo. 238. 10. Calumnias & inſidias ab eiſd. patitur. 239. 11. In ſopiendis, & judicandis cauſis laborat. 242. 14. Quid ſentiret de diſſidiis Hieronymum inter & Ruffinum 315. 17. Epiſt. altera ad Donatiſtas. 365. 29. Iterum in ipſor. converſione ſollicitudo. 389. 32. Collationes cum Felice Manichæo habitæ 391. 34. & *ſeqq.*

Auxentius Arian. Ep. Mediol. ab altero ejuſd. nominis & ſectæ diſtinguendus. 12. 17. Hic Benevoli vices gerit pro Arianis. 23. 3. Ambroſium ad diſputationem provocat. *ibid.* 4.

B

Baptiſmum Catechuminis quo tempore miniſtrandum. 2. 3. Matrimonia non ſolvit. 393. 38.

Baptizati ab hæreticis non rebaptizandi. 2. 3.

Baſilica S. Pauli Romæ ampliatur & reſtauratur. 44. 36.

Baſnagii cenſura in Ambroſium rejecta. 67. 12. Item in Chryſoſtomum. 368. 3. Objectiones aliæ contra Primatum Rom. Pontif. ſolvuntur. 402. 8. De coercendis hæreticis, & Schiſmaticis. 411. 16. Contra Ss. Reliquiar. cultum. 422. 5. Iterum de Chryſoſtomo. 430. 5.

Benevolus legi pro Arianis ſubſcribere recuſat, ac officio renunciat. 22. 2.

Bigamus eſt judicandus, qui poſt baptiſmum ſecundas nuptias celebrat. 393. 38.

Bonoſus hæreticus, ejuſq. damnatio. 93. 12. & 13.

C

CAſſianus Chryſoſt. legatus an idem ac auctor Collationum. 401. 6.

Chriſtiani Principis digna ſententia. 19. 27.

Chriſtiani Alex. ob idolorum everſionem vexati, & occiſi. 71. 19. & *ſeqq.* Ead. a Gazenſibus patiuntur. 272. 11. Eorum modeſtia & abſtinentia commendatur. 276. 15. Alibi & paſſim vexantur. *ibid.* 16. & 17.

Chryſoſtomus Presbyter ordinatur. 42. 32. Ei concionandi munus demandatur. *ibid.* 33. Homiliæ poſt Antiochen. ſeditionem habitæ. 56. 21. CP. Epiſc. ordinatur. 257. 31. Ejuſd. geſta. 258. 32. Ad Rom. Pontif. legatio. 259. 33. Clericor. mores corrigit. *ibid.* 34. & 35. Superfluos ſumptus reſecat. *ibid.* Homilia de Eutropio ad Eccl. confugiente. 265. 5. Synodum CP. congregat. 283. 4. Epiſcopos diſſidentes ad pacem hortatur. *ibid.* 5. Cauſam Antonini Epheſior. Ep. cognoſcit. *ibid.* Epheſum pergit, & Synodum celebrat. 285. 7. Metropolitæ auctoritatem in Thracia & Aſia exercet. 286. 8. & 9. Alia tunc geſta. *ibid.* Querelæ in eumd. excitatæ. 287. 10. Ariãnor.

Defuncti res viventium aliquando curant. 52. 13. Eorum Animas Fidelium precibus ſublavari probatur. 53. 15.
Didymus a Hieronymo laudatur. 40. 28. De ejus operibus. 41. 29.
Dii gentium ludibrio expoſiti. 73. 25. & 26. Eor. ſtatuæ & templa ubiq. deſtructa. 75. 28.
Donatiſtæ inter ſe iterum diviſi. 148. 8. & 9. Eor. geſta, & ſententia contra Maximianiſtas. 172. 21. Imperatoris auxilium adverſus eos poſtulant. 173. 22. In eoſd. crudeliter ſæviunt. 175. 24. Sua ipſorum opera convicti. 176. 25. Eor. inſidiæ in Auguſtinum. 239. 11. In Poſſidium 364. 27. Oblatam Collationem a Cathol. pro ineunda pace recuſant. 363. 26. & ſeqq. Maximianum Ep. crudeliſſime vexant. 389. 33.
S. Donatus Ep. miraculis clarus 171. 19.
Doxologia in fine Pſalmor. addita. 14. 19.

E

Eccleſiæ Miniſtri qua ratione eligendi. 45. Ejus immunitas Arcadii lege violata. 242. 15. Ead. cum aliis privilegiis ab Honorio confirmatur. Vid. *Honorius*.
Epiphanius Salaminæ, & Joannes CPoli Epp. qua de cauſa inter ſe diſſiderent. 102. 23. & 24. De velo ab eod. ſciſſo. 103. 25. CPolim pergit, cum Chryſoſt. communicare recuſat. 333. 2. Alia ibid. geſta. 334. 4. In Cyprum rediens, in itinere obiit. 335. 5. & 6. Ejus elogium, & opera. *ibid.*
Epiſcopor. cauſæ ad Rom. Sedem deferendæ. 92. 11. Judicandi poteſtas eiſd. conceſſa confirmatur. 241. 14.
Evagrius Ponticus, ejuſq. opera. 83. 41. An Origeniſtar. fautor fuerit. *ibid.* 42.
Eudoxia Aug. In Chryſoſt. iraſcitur 349. 5. Cum eo reconciliatur, & ad eumdem ſcribit. 359. 18. In eum iterum iraſcitur. 368. 3. & 4. De ipſius ſtatua prope Eccl. erecta. *ibid.* Infelix ejuſdem obitus. 386. 30.
Eugenius Imp. ſalutatur poſt Valentinianum. 140. 8. Ethnicis favet. *ibid.* 9. Ejuſd. interitus. 155. 3.
Eunapii ob idololatriæ everſionem querelæ 76. 30. Ejuſd. in Martyres blaſphemiæ. 77. 31.
Evodius Auguſtino in fidem converſo ſociatur. 51. 11.
Eutropii avaritia. 207. 6. Inſidiæ adverſus Timaſium & Abundantium. *ibid.* Eccl. immunitatis violator ad eam confugere compellitur. 243. 16. & 264. 4. In exilium miſſus paulo poſt interficitur. 265. 5. & 6.

F

Fauſtinus & Marcellinus presbit. Schiſmatici libellum Theodoſio porrigunt. 78. 32. Imper. reſcriptum pro eiſdem *ibid.* 33.

Fi-

Fidei quæſtiones apud Epiſcopos agitandæ. 25. 6. & 7.
Flaviani legatio ad Theodoſium. 58. 26. Ejus oratio ad Imp. 59. 27. Ejuſd. reditus, & Antiochenor. lætitia. 60. 28. Romani Pontif. judicium declinat. 90. 8. Porphyrium habuit ſucceſſorem. 385. 28.
Formatæ epiſtolæ a quibus dandæ. 432. 8.

G

Gaïnas in Arcadium rebellis. 268. 7. Clades inde ſecutæ. *ibid.* CPolim: prædari tentat, ſed fruſtra. 280. 1. Tandem occiditur. 282. 3.
Galliar. Epiſcopi ſanctitate clari. 167. 16.
Gazenſes ethnici Chriſtianos vexant. 272. 11.
Gentilium idola ludibrio expoſita. 74. 26. Eorum ſcelera, & clandeſtinæ impudicitiæ. *ibid.* 27. Querelæ ob idololatriæ excidium. 76. 29. & 30. Falſa ipſor. prædictio de Chriſt. Relig. interitu. 239. 12. Idololatriam reſtituere conantur. 417. 22.
Ss. Gervaſii & Prothaſii corpora inventa 27. 10. & 11. Miracula tunc patrata. *ibid.*
Gildo tyrannus debellatur, & occiditur. 417. 22.
Gothi CPoli cum Eccleſia incenſi. 281. 2.
Gregorii Nazianzeni certamina, & morbi: 116. 17. Fœminar. aſpectum vitat. 117. 18. Falſi Monachi eid. adverſantur. *ibid.* 19. Ejus obitus. 118. 20. De tempore, quo obiit, ejuſq. teſtamento. *ibid.* 21.
Gregorii Niſſeni, & Amphilochii elogium. 168. 17.
Gregorius Beticus, ejuſq. opera. 78. 34.

H

Hæreticos & Schiſmaticos legum ſeveritate coercere, & ad unitatem revocare an utile ſit. 411. 16.
Hæreſis Priſcillian. propagata. 19. 26.
Helladii, & Ammonii in Chriſtianos crudelitas. 72. 21.
Hieronymus in Orientem redit. 5. 7. Querelæ adverſus eumd. vulgatæ. 6. 8. Hieroſolym. proficiſcitur. 7. 9. Alexandriæ Didymum viſitat, & laudat. 40. 28. Ægypti Monaſteria luſtrat. 41. 30. Joviniani ſcripta confutat. 98. 18. Querelæ hac de cauſa Romæ excitatæ. *ibid.* 19. Librum de Viris Illuſtrib. edit. 143. 12. Ejus epiſt. ad Heliodorum. 208. 7. Sacerdotalem Veſtem a Nepotiano accipit. *ibid.* Ejuſd. diffidia cum Ruffino. 228. 20. Cum eod. & Joanne Hieroſol. Ep. reconciliatur. 229. 21. Primam adverſus Ruffinum apologiam ſcribit. 299. 4. Aliæ in eumd. querelæ, & invectivæ. 316. 18. & 19. Paſchalem Theophili epiſt. in latinum vertit 397. 43. Item & Pachomii regulas. 398. 44. Adverſus Vigilantium ſcribit. 424. 10. & ſeqq. Variæ lucubrationes eod. tempore vulgatæ. 427. 13.

Hi-

Himerius Tarracon. Ep. Damaſum Pap. conſulit. 2. 3.
Honorius a Theodoſio Auguſtus creatur. 147. 5. Occidentale Imper. poſt Patrem obtinet. 180. 3. ac 184. 9 Eccl. privilegia confirmat. 194. 19. Ejus nuptiæ cum Stilichonis filia. 230. 1. Leges alteræ pro Eccleſiar. aſylo, & immunitate. 240. 13. Item pro judicandi poteſtate Epiſcopis tributa. 241. 14. Contra Idololatriam aliæ, ac Idolatras. 274. 13. Collectas Judæor. prohibet. 278. 18. Item Manichæor. ſcelera, & ſectam. ibid. Eccl. privilegia iterum confirmat. 279. 19. Romam pergit, ſpectacula & ludos celebrat. 366. 1. Ludos gladiatorios prohibet. 367. 2. Ejus epiſt. ad Arcadium. 405. 8. De ejuſd. legib. contra hæreticos. 410. & 15. & 16. Item 428. 1.
Hymni *Te Deum* an Auguſtinus & Ambroſius auctores fuerint. 51. 10.

# I

IMaginum ſacrar. cultus comprobatur. 103. 25.
Innocentius Pap. Anaſtaſii Succeſſor. 332. 35. Epiſtolas a Theophilo & Chryſoſt. accipit. 373. 10. Quid Theophilo reſcripſerit. 374. 11. Epiſt. ejuſd. ad Victricium Ep. 392. 37. *& ſeqq.* Secunda CPtanæ Eccl. legatio ad eumd. 400. 3. Orientalium altera. *ibid.* 4. Quarta pro Chryſoſtomo. 401. 5. Ad eumd. Chryſoſt. & Clerum CP. ſcribit. 406. 9. Ad ſynodum Toletanam. 413. 18. Item ad Exuperium. 414. 20.
Joannes Chryſoſt. vid. *Chryſoſtomus.*
Joannes Hieroſol. & Epiphanius Salaminæ inter ſe diſſident. 102. 23. & 24. Quinam eſſent. 105. 26.
S. Joannis Bapt. caput CPolim transfertur. 126. 5.
Jovinianus unde prodierit, quæque ejuſd. hæreſis. 94. 14. & 15. A Siricio Pap. damnatur. 96. 16. & iterum. 98. 18. *& ſeqq.* Ejus pœna & exilium. 100. 21.
Italia a Rhadagayſo vexatur. 416. 21.
Judæor. ſynagogam. Chriſtianor. impenſis reædificari Ambroſius vetat. 65. 9.
Juſtina Aug. Ambroſium perſequitur. 8. 11. Eccleſiam occupare tentat, ſed fruſtra. *ibid.* 12. *& ſeqq.* Catholicos vexat. *ibid.* Perſecutionem reſtaurat. 22. 1. Ejus obitus. 64. 6.

# L

LApſi in vitæ exitu reconciliandi. 2. 3.
Latronianus, qui & Matronianus Poeta 18. 25.

# M

MAcedonius Monach. Judicum iram reprimit. 57. 24.
Marcelli Ep. precib. templum Jovis deſtruitur. 70. 18. Apameæ martyrio coronatur. 71. 19.
Marinæ Arcadii filiæ ortus. 361. 22.

S. Mar-

Digitized by Google

S. Martinus Treviros pergit, & cum Ithacio invitus communicat. 38. 24. De hujuſmodi communione pœnitet. 39. 25. Ab Imp. honorifice exceptus. *ibid.* 26. Auguſta convivium ſola eid. præbet. 40. 27. Ejus obitus. 216. 9. & 10. De funere, ſepultura, & cultu. 218. 11.
Maximianus Bagaien. Ep. a Donatiſtis dire vexatus. 389. 33.
Maximus Imp. Priſcillianiſtas extremo ſupplicio multavit. 18. 23. Ejus crudelitas a Pacato notata. *ibid.* 24. Epiſt. ad Siricium Pap. 19. 27. Chriſtiani Principis digna ſententia. *ibid.* Ad Valentinianum pro Catholicis ſcribit. 29. 14. Martinum Turon. convivio excipit. 39. 26. Ejus geſta cum Ambroſio. 46. 1. & *ſeqq.* Italiam invadit. 48. 5. & 6. Legationem ad Theodoſ. mittit. 49. 7. Clades ab eo illatæ. *ibid.* 8. Aquileæ captus occiditur. 62. 3.
Melania Romam redit, & quo plauſu. 226. 17. Nolæ a Paulino excipitur. 227. 18. Crucis reliquias eid. donat. 228. 19.
Miſcezelis victoria de Gildone divinitus parta. 232. 2. & 233. 4. A Stilichone per inſidias occiditur. 234. 5.
Monachor. pœna ob violatam caſtitatem. 3. 4. Quinam ad Eccl. officia eligendi. 4. 6. Vitæ ſanctitas in Monachis utriuſq. ſexus. 54. 18. Antiochiæ afflictæ opem ferunt. 57. 23. & 24. Eunapii blaſphemiæ in eoſd. 76. 30. De Monachis Inſular. Capraprlæ & Gorgoniæ. 232. 3. Cur victum ſibi labore & arte quærebant. 247. 21. & 22. Monachi longi ad Chryſoſt. confugiunt. 309. 12. & 13.
S. Monichæ obitus, & ſepultura. 52. 14. & *ſeqq.*
Mulier ſectæ Macedon. ad Cathol. fid. miraculo converſa. 289. 13.

N

SS. Nazarii & Celſi corporum inventio. 202. 27.
Nectarius CP. Ep. Pœnitentiarium amovet. 122. 3. An publ. aut priv. pœnitentiam abſtulerit. 123. 4. Succeſſorem habuit Chryſoſtomum. 257. 31.
Neophiti CP. dire vexati. 372. 9.
Nicetas Apoſt. Daciæ, ejuſq. geſta. 209. 9. Nolæ a Paulino exceptus Laudibus celebratur. 342. 13.
Nilamon Monach. Epiſcopatum refugit, ac mori magis eligit: 360. 21.
Ninianus Pictonum Apoſt. 209. 9.

O

Olybrius, & Probinus germani Conſules. 177. 1. Eor. Parentum epitaphia. 178. 2.
Olympias fecundas nuptias a Theodoſio oblatas refugit. 80. 37. Ejus conſtantia, & pietas. *ibid.* 38.
Olympius Hiſpan. Ep. ejuſque ſcripta. 295. 18.

Opta-

Optati Donatiſtar. Ep. ſcelera, & geſta contra Catholicos 235. 7.
Origenis errores in Eccleſia contentiones excitant. 297. 2.

P

Pacianus Eccl. ſcriptor. vid. *Phebadius*.
Palladius Galata, ejuſq. peregrinationes. 81. 39. Origenis hæreſi inſimulatur. 82. 40.
Pammachius colonos ſuos a ſchiſmate revocat. 412. 17.
Paſchatis feſtum quo die celebrandum. 30. 15.
Pater defunctus res filii curat viventis. 52. 13.
S. Paula Hieroſolym. contendit. 7. 10. Ejus peregrinatio in Ægyptum. 42. 31. Vitæ ratio, obitus, & funus. 395. 41. & 42.
S. Paulini vita, & geſta. 158. 7. Genus, & ſtudia. 159. 8. Uxorem ducit. 160. 9. Presbyter ordinatur. 162. 11. In Italiam redit, atque Nolam ſecedit. 163. 12. Romæ invidiam patitur. 164. 13.
Paulinianus ab Epiphanio presbyter ordinatur. 101. 22.
Peccatum ſola res moleſta. 381. 21.
Pecuniæ inventio, vid. *Proſculus*.
Phebadius, ſeu Icobadius, & Pacianus Eccl. ſcriptores 79. 35.
Philaſtrii Brixien. Ep. obitus, & vitæ breviarium. 36. 22.
Pinianus Conf. religione clarus. 1. 2.
Placillæ Aug. obitus 21. 30.
Pœnitentiarius Presbyter qua de cauſa a Nectario amotus. 122. 3. Reliqua, *ibid.* & *ſeq.*
Porphyrius Antioch. Ep. poſt Flavianum. 385. 28. Antiochenor. iræ adverſus eumd. 386. 29.
Porphyrius Gazæ Ep. templum Marnæ deſtrui petit, ſed fruſtra, 271. 10. CPolim pergit, & ai adverſus Ethnicos obtinet. 21. & *ſeqq.* Marnæ templum deſtruit. 324. 28. & *ſeq.* Eccleſiam Gazæ ædificat. 326. 30.
Priſcillianus ad Maximum Imp. confugit. 17. 21. Una cum ſociis extremo ſupplicio punitur. 18. 23. Eorum hæreſis propagata. 19. 26.
Probi & Probæ epitaphia ſepulcralia. 178. 2.
Proculus pecuniæ inventor, ejuſq. liberalitas. 51. 12.
Pſallendi alternatim uſus Damaſo Pap. antiquior. 13. 18. An idem Pont. conſtituerit, ut in fine Pſalm. *Gloria Patri &c.* adderetur. 14. 19.

Q

Quadrageſimali temp. nulla ſupplicia corporalia. 89. 6.
Quæſtiones de Fide apud Epiſcopos agitandæ. 25. 6. & 7.

R

Regulæ in Miniſtror. electione ſervandæ. 4. 5. & 6. *Item* 414. 19.
Reliquiæ Martyrum quanta religione

ne haberentur. 426. 12.
Rhadagayſus Italiam invadit. 416. 21. Chriſti. potentia debellatur. 418. 43. & 44.
Romæ muri inſtaurantur. 344. 2. Trophæa Impp. in ea erecta, & Stilichoni ſtatua. 419. 1.
R[illegible]or. plurimi ſub Theod. Chriſti Fidem ſuſcipiunt. 87. 3. Epiſcopor. cautæ ad Rom. Sedem deferendæ. 92. 11. Imperii ſtatus ſub Stilichone, & Ruffino. 185. 10. Jus appellationis ad Rom. Sedem demonſtratur. 402. 7.
Ruffinus Conſ. Tatianum & Proculum perdendos curat. 133. 1. De ejuſd. patria, & morib. 186. 11. Alaricum Gothor. Regem adverſus Romanos evocat. 187. 13. & 14. Ab exercitu occiditur. 190. 16.
Ruffinus Presb. Aquilejen. in Urbem cum Melania redit. 226. 17. Ejus cum Hieronymo diſſidia. 228. 20. Origenis Periarchon Romæ in latinum vertit, & vulgat. 250. 25. Querelæ in eum hac de cauſa excitatæ. *ibid.* Roma diſcedit. 252. 26. Anaſtaſio Pap. Apologiam offert. 298. 3. Ad Hieronymum ſcribit. 300. 5. An ab Anaſtaſio fuerit damnatus. 313. 16.

S.

SAcerdotes caſtitatis deſertores qua pœna mulctandi. 4. 4.
Salvina Gildonis tyranni filia, ejuſq. pietas. 234. 5.
Samuelis Proph. reliquiæ CP. tranſlatæ. 422. 5.
Serapidis templum Alex. deſtruitur. 71. 20. Ejus deſcriptio. 72. 22. *& ſeqq.*
Simplicianus Mediol. Ep., cui Venerius ſuccedit. 295. 19.
Siricii Pap. poſt Damaſum electio a Valentiniano laudatur. 1. 2. Epiſt. ad Himerium Tarraconen. Ep. 2. 3. Baptizatos ab hæreticis rebaptizari vetat. *ibid.* Catechumenos quo tempore baptizandos præſcribit. *ibid.* Secus inſtante neceſſitate. *ibid.* Tunc etiam lapſis commun. non denegandam. *ibid.* Quid de Monachis & Virginib. ob violatam caſtitatem decreverit. 3. 4. De Clericis quoque incontinentib. *ibid.* Quænam regulæ in Miniſtror. electione ſervandæ. 4. 5. Monachos docet ad Eccl. officia eligi poſſe. *ibid.* 6. Epiſt. ad Maximum Imp. 19. 27. Ad Africæ Epp. altera. 34. 19. An ead. ſit legitima. *ibid.* Item ad Anyſium Theſſ. Ep. de Vicariatu Rom. Sedis. 35. 20. De extinguendo ſchiſmate Antioch. cum Theodoſ. agit. 96. 7. Ejus fama vindicatur. 252. 26. Ejuſd. obitus, & elogium. 253. 27. Anaſtaſium ſucceſſorem habuit. 254. 28.
SS. Siſinnii, & Soc. pro fide certamen. 214. 7. Reliquiæ Mediolanum, & alibi delatæ. 216. 8. Miracula tunc edita. *ibid.*
Spectacula, & obſcœnitates Majumæ tolluntur. 271. 9.

Stilicho cum exercitu in Orientem tranſit. 189. 15.
Sulpicius Severus Deo ſe dicat. 166. 14.
Syneſii ad Arcadium legatio, & oratio. 270. 8.
Synodus *Bagajen.* Donatiſtar. vid. *Donatiſtæ*.
*Burdigalen.* contra Priſcillianiſtas. 17. 22. & 23.
*Capuana*, ejuſq. geſta. 91. 9. *& ſeqq.*
*Carthaginen.* & ejus canones. 155. 16. *Altera*, novique canones. 220. 12. & ſeqq. *Iterum*. 244. 18. ad 25. *Quarta*. 279. 20. *Item*. 326. 31. Legatos ad Anaſtaſium Pap. & Honorium Imp. mittit. ibid. & ſeq. *Ejuſd.* Synodi decretum de recipiendis Donatiſtar. clericis. 329. 33. De invitandis etiam ad pacem Donatiſtis. 330. 34. Alii ejuſd. canones. ibid. *Sexta* Donatiſtas ad unitatem invitat. 361. 23. & 24. Synodi libellus ob eam cauſam oblatus. 363. 25. Quid reſponderint Donatiſtæ. ibid. 26. *Nova* ad Honorium legatio deſtinatur. 388. 31. Alia ejuſd. geſta. 410. 15. Octava Carthag. ejuſque canones. 431. 7.
*CPtana*, & qua de cauſa congregata. 168. 17. *Altera* a Chryſoſtomo celebrata. 283. 4. & 5. *Tertia* Chryſoſt. Sedi ſuæ, reſtituit. 361. 21. *Iterum* adverſus eumd. Chryſoſt. 369. 4. Epiſcopi ibid. congregati inter ſe diſſentiunt. 370. 6. & 7.
*Epheſina* a Chryſoſtomo congregata. 285. 7.
*Hieroſolym.* ejuſque epiſt. ad Theophilum. 305. 7.
*Hipponenſis*. 147. 6. Ejuſd. canones. 148. 7.
*Mediolan.* contra Joviní[illegible] 1. 97. 17. Qua de cauſa congregata 114. 15.
*Milevitana*, & canones tunc editi. 336. 7. ad 13.
*Romana* ſub Siricio Pap. ejuſq canones. 34. 19.
*Taurinen.* epocha, geſta, & 254. 29. & 30.
*Theophili Synod. ad Quercum* Chryſoſtomum condemnat. 349. 6. ad 15.
*Toletanæ* epiſt. & canones. 290. 14. *& ſeqq.* Epiſcopos & Clericos ex Priſcillianiſtar. hær. redeuntes Sedibus ſuis, & commun. reſtituit. 292. 16. & 17.
*Treviren.* in cauſa Ithacii. 37. 23.

## T

TAtiani exitus infelix. 133. 1.
Templor. ac Simulacror. everſiones. 69. 16. & 17. Serapidis Alex. deſtruitur. 71. 20. Valentinianor. eccleſia impenſis Chriſtianorum extrui vetat Ambroſius. 65. 9. & 10.
Tetradii clariſſ. viri mira converſio. 167. 15.
Theodorii Manlii Conſ. elogium. 262. 1.
Theodoſii Lex de Clericor. immun. 20.

20. 29. Aliæ ejuſd. leges. 22. 31. *&* 43. 35. De illius victoriis. *ibid.* Ejuſd. ac Placillæ Uxor. ſtatuas Antiocheni dejiciunt. 55. 19. Exoratus Antiochenis parcit. 59. 27. & 28. Joannem Monach. de expeditione in Maximum conſulit. *61.* 1. Ejuſd. leges contra hæreticos. *ibid.* 2. & 3. Mira erga victos clementia. *63.* 4. Valentiniano Imperium reſtituit. *ibid.* 5. Maximi geſta irritat. *64.* 7. Templa idolor. deſtruit. *69.* 17. Gentilium querelæ. *76.* 29. & 30. Ejus reſcriptum pro Schiſmaticis. 78. *33.* Romæ triumphat. *86.* 1. Et idololatriam deſtruit. *87.* 2. Ejus ira adverſus Symmachum, & clementia. 88. 4. A flagitiis Urbem expurgat. *89.* 5. & *6.* Lex contra nefandum ſcelus. 106. 1. Altera de Diaconiſſis, & mulierib. non tondendis. *ibid.* 2. Legem ſuam revocat. 107. 3. Inceſtuoſas nuptias vetat. *ibid.* 4. Ejus pietas, & humilitas commendatur. 109. *6.* *& ſeqq.* De lege pro dilatione ſupplicii. 114. 14. Symmachum Conſ. dicit, & Idololatriam prohibet. 121. 1. Apoſtatas Fidei puniri jubet. 122. 2. CPolim redit. *ibid.* 3. Leges alteræ adverſus idololatriam & hæreticos. 134. 2. Item de debitorib. ad Eccl. confugientibus. 142. 11. De belli exitu Joannem conſulit. 145. 2. Tributa relaxat. 146. 3. Licentiam militum coercet. *ibid.* 4. Suos detractores ſupplicio liberat. *ibid.* Honorium Auguſtum dicit. 147. 5. Adverſus Eugenium exercitum ducit. *153.* 1. Divina ope adjutus vincit. 154. 2. & 3. Erga victos clementia. 157. 5. Gallam uxorem luget. 158. *6.* Ipſius obitus. 180. *3.* Arcadium, & Honorium ſucceſſores habuit. *ibid.* Elogium ex ejuſd. geſtis. 182. 4. *& ſeqq.* Zoſimi calumniæ in Theodoſium diluuntur. 184. 8.

Theodoſii Junioris ortus. *318.* 20. Auguſtus a patre dicitur *333.* 1.

Theophilus poſt Timotheum Alex. Ep. 20. 28. Subdola ejus legatio ad Imperatorem. *64.* 8. Origenis errores condemnat. *302.* *6.* Et Synodum celebrat. *303.* 7. Nitriæ Monachos vexat, & monaſteriis ejicit. *305.* 8. *& ſeqq.* Epiſt. ad Chryſoſt. *310.* 14. Alia ejuſd. geſta adverſus Origeniſtas. *316.* 18. Cum adverſariis Chryſoſt. ſociatur. *348.* 4. CPolim pergit. *349.* 6. Synodum congregat, & Chryſoſt. vocat. 350. 7. & 8. Eumdem condemnat. *353.* 11. ad 15. Cum Monachis Nitriæ reconciliatur. 156. 15. CPoli fugiens, Alex. redit. *360.* 20. Epiſt. ad Innocentium Pap. *373.* 10. & 11.

Theotimus Tomitar. Ep. 171. 19.

Theſſalon. ſeditio. 108. 5.

Timotheo Ep. Alex. ſuccedit Theophilus. 20. 28.

Va-

V

Valentinianus Imp. ad Pinianum ſcribit. 1. 2. Siricij Pap. electionem laudat. *ibid* Arianis favet. 22. 1. A Maximo Imp. redarguitur. 29. 14. Baſilicam S. Pauli conſtrui jubet. 44. 36. Ambroſium legatum ad Maximum mitiit. 46. 1. *& ſeqq.* Poſtea Domnium ad eumd. 48. 5. Ejus fuga cum Juſtina. 49. 6. Aram Victoriæ reſtitui vetat. 135. 3. Ab Arbogaſte occiditur. *ibid.* 4. Baptizari cupit. 136. 5. Ejus cum Arbogaſte diſſidia. 137. 6. Ejuſd. mores ab Ambroſio laudati. *ibid.* Eugenius poſt eum Imperator creatur. 140. 8.

Venerius Mediol. Ep. poſt Simplicianum. 295. 19.

Vercellen. Eccl. dignitas. 205. 4.

Vicariatus origo Theſſalon. Epiſcopis conceſſi. 36. 21.

Victricii Rothomag. Ep. elogium, & obitus. 395. 40.

Vigilantii patria & ſtudia. 423. 8. Initia, & mores. *ibid.* 9. Hæreſim ſuam prodit. 424. 10 ... gula ejus capita ab Hier. confutata. *ibid.* & *ſeqq.*

Virginum pœna ob violatam caſtitatem. 3. 4.

Unni Orientem vaſtant. 128. 14.

ERRA-

| ERRATA. | CORRIGE. |
| --- | --- |
| Pag. 11. *Ut facies quod ſpadonis.* | *Tu facies ......* |
| 40. *Ipſe ſolo ſedente.* | *Ipſa .....* |
| 62. Qui contraſecerit. | Qui contra fecerint. |
| 79. Liber Fide de. | Liber de Fide. |
| 94. Accuſatus itaq. Bonoſus. | Accuſato itaq. Bonoſo. |
| 95. *Extra Urbis mædia.* | *Extra Urbis mœnia.* |
| 141. Quem mortum. | Quem mortuum. |
| 171. *Signum Crucis in ære.* | *Signum Crucis in aere.* |
| *Ibid.* Ærem inficeret. | Aerem ...... |
| Aliſque iis. | Aliiſque iis. |
| Ob quam cuſam. | Ob quam cauſam. |

MWG 2021606

Digitized by Google

Via A. Corvi n. 5
Digitized by Google

Digitized by Google